R.P. ANTONII DE ESCOBAR, ET MENDOZA VALLISOLETANI

è Societate IESV Theologi,

IN

EVANGELIA TEMPORIS

Commentarij Panegyricis moralibus illustrati.

VOLVMEN SEXTVM

LIGNVM VITALE,

CHRISTI PARABOLÆ.



LVGDVNI

Sumptibus Hæred. Proſt, Philippi Borde, & Laurentij Arnaud.

M. DC. XLVII.

AD LECTOREM.

CHRISTVS pacis Princeps, peccatores è mundi Principe liberatos ad æternam transfert exultationem, victoribus ligni vitalis duodecim fructus prælibans: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.*
En Parabolæ,
Nuptiæ scilicet Filij Regis,
Regis debitor,
Epulo Diues,
Villicus iniquitatis,
Cœna magna,
Publicanus,
Sinapis,
Fermentum,
Semen,
Vinea, Vineæque Operarij,
Zizania,
Incidens in latrones,
Prodigus,
Ouicula,
Drachma,
O dulcissima germina totius Paradisi abundantiam offerentia, anni benignitatis exponentia apparatum.

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOCIETATE IESV,

IN EVANGELIA TEMPORIS VOLVMEN SEXTVM.

(Est ordine duodecimum.)

IESV PARABOLÆ.

DVODECIM DOMINICI LIGNI VITALIS FRVCTVS.

QVIA assolet animus ex bonorum desiderio affligi, assidua indiget futuræ possessionis refricatione. *Spes, quæ differtur,* (inquit Sapiens,) *affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens.* Prou. 13. Vbi Anselmus, *Christus est desiderium veniens.* Strabus autem sic locum expendit: *Quandiu differtur spes æternorum, affligitur anima fidelium, vel pro dilatione bonorum, vel pro illatione malorum. At vbi venerit, quod desiderat, facilè obliuiscitur, quod sustinuerat, quia in æternum viuere incipit cum suo Redemptore, quod tota intentione quærebat. Ipse est enim lignum vitæ amplectentibus se.* Quonam modo Christus expectantibus æterna gaudia lignum vitæ est *veniens*, siue præsens? Certè quia fructuum loco duodecim Parabolas profert, queis Regnum cœlorum assimilatur: *Simile est Regnum cœlorum*, &c. Nos ergo nè dilata spe

Prou. 13. Anselm.

LIBER PRIMVS.

NVPTIÆ FILII REGIS.

PARAPHRASIS, AC COMMENTARII
literales ad caput vigesimumsecundum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vitæ, seu IESV locuti in Parabolis, FRVCTVS PRIMVS.

DIVINVS Concionatot Parabolarum nucleo auditoribus dogmata exprimens salutaria, Nuptias Filij Regis describit, conuiuium præparat, mensam apponit, diuites inuitat renuentes, ac pauperibus aulam implere dignatur. Porrò quidam indecenter indutus exturbatur in tenebras; nam ex multis vocatis, pauci electi. O conuiuium æternum post Mariam hominibus expositum! quam pauci tenebris addicuntur? Richardus Laur. lib. 2. de laud. Virg. ait, *Ad festum æternitatis homines redeunt per Mariam, cuius patrocinium signum est salutis. Vnde, A Luna signum diei festi, & per Mariam faciet Dominus omnibus populis conuiuium pinguium. Isa. 25. Omnibus*, inquit, nullus ex iis, quos Deipara protegit, excluditur. *Conuiuium illud erit Nuptialis illa Cœna magna, quam fecit homo Rex. Deus Pater dicitur homo ibi: Simile est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit Nuptias Filio suo.* Si per Mariam ad cœlestem hanc Cœnam inuitamur, haud ab aula relegabimur, quia Maria altera Rebecca colli nuda proteget, nè indecenter sine Nuptiali veste conuiuium sacerrimum ineamus. Omnes igitur per Mariam vocati, exponuntur electi.

Ricard. Laurent.

Isa. 25.

MATTHÆVS CAP. XXII.

VERS. 2. SIMILE factum est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit Nuptias Filio suo.

3. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire.

4. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata: venite ad Nuptias.

5. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.

6. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

8. Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati fuerant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad Nuptias.

10. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos: & impletæ sunt Nuptiæ discumbentium.

11. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes; & vidit ibi hominem non vestitum veste Nuptiali.

PARAPHRASIS.

2. *SImile, (inquit Dominus,) Regnum cœlorum factum est Regi cuidam, qui filio suo Nuptiale conuiuium exhibiturus, curauit in subditorum commodum recidere. (Nullum à Dei Regno excludi, nisi propria nequitia, Parabola edocemur.)*

3. *Seruos emisit, qui multos filij sui inuitarent ad Nuptias. At illi semel vocati, noluerunt venire.*

4. *Tunc Rex misit alios seruos, qui diligentius illos inuitarent, vt properarent ad Nuptias iam paratas; quique prosarentur. Ecce prandium apparatum est, tauri mei, & altilia mea occisa sunt, ceteráque omnia praeparata; nil superest, nisi vt veniatis, nè cuncta parata inutiliter exponantur.*

5. *Ast illi rursum inuitantes neglexere. Et cum instarent inuitatores, alius aliter excusabat: hic sibi visendam villam, quam nuper emisset; ille sibi boues inspiciendos quos esset mercatus*, &c. *O dementes tam felici conuiuio tam sordidas rerum fluxarum curas præferentes.*

6. *Sed alij crudelitatem addidere ingratitudini. Seruos enim Regis, qui semel atque iterum inuitabant ad tantum honoris, multis affectos contumelis occiderunt.*

7. *Id factum vbi Rex audisset, vehementi est indignatione affectus, lenitate spreta sese vertente in furorem; missisque satellitibus suis, illos perdidit homicidas, ciuitatémque illorum igni succendit. An non vrbis Ierosolymitanæ tectè prædicatur excidium, Gentiúmque prædicitur aduocatio?*

8. *Tunc seruis profatur, Nuptiæ sunt paratæ, sed qui vocati sunt se se indignos tam augusto conuiuio declarauerunt, quod ipsis tamen potissimè apparaueram.*

9. *Discurrite ergò quoquo versum per compita, & triuia citráque delectum quoscumque reperieritis homines, ad Nuptias vocate.*

10. *Egressi serui promiscuam multitudinem vndequaque collectam congregarunt, digni, indignique accurrunt, & impletum est conuiuium discumbentibus.*

11. *Ingressus est autem Rex, vt videret discumbentes conuiuas: ac inter cæteros ibi quemdam non vestitum indumento Nuptiali aspexit.*

12. Et

12. Et ait: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem Nuptialem? At ille obmutauit.	12. *Amice, inquit, quomodo huc intrasti, cum Nuptiali veste te videres exutum? At ille confusione affectus obmutuit.*
13. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.	13. *Tunc Rex praecepit ministris, vt illum vinctis manibus, ac pedibus procul à conuiuio submotum in densissimas coniicerent tenebras, vbi fletus est, & stridor dentium exauditur: dignitate videlicet, luceque conuiuij in carcerem abiectissimum: & voluptate summa in summum cruciatum commutata.*
14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.	14. *Porrò cùm plurimi sint vocati, pauci tamen electi. Vltro vocantur omnes, electi autem hi soli sunt, qui diuinae respondent vocationi in pietatis studio perseuerantes.*

SECTIO PRIMA.

Indigni inuitati.

TEXTVS.

VERS. 2. Simile factum est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit Nuptias filio suo. 3. Et misit seruos suos, vocare inuitatos ad Nuptias, & nolebant venire. 4. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata; venite ad Nuptias 5. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. 6. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt 7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Num eadem sit parabola Matthai, & Luca.

1. *An Parabola eadem?* PROFECTO similis extat Luc. 14. Parabola, *Homo quidam fecit cœnam magnam.*] Multi existimant hanc Matthaei nostri ab illa Lucae non esse diuersam. Fundamentum huius sententiae est, quia magna in Parabola vtraque similitudo exponitur. Curant D. Irenæum, & Theophylactum ad suam mentem allicere; sed non potest rectè colligi id hosce Patres existimasse.

2. *Sententia Auctoris. Similis est Parabola, sed nō eadē.* Assero similem esse parabolam, sed inficior eandem. Circunstantiae enim omninò diuersae scribuntur. Apud Lucam homò paterfamilias facit cœnam, apud Matthaeum Rex Nuptias filij sui celebrat conuiuio. Ibi vnus seruus immittitur, hic plures. In illa se excusarunt inuitati & villae emptione, & boum probatione, & ductione vxoris; in hac Nuptiale conuiuium neglexerunt, seruosque inuitantes occidere non verentur. In illa indignatus est paterfamilias, hacque sola poena affecit inuitatos: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam:* In hac non solum ira Rex efferuescit, sed exercitus etiam immittit, morte afficit inuitatos, ciuitatem illorum igni succendit. In illa de nullo fit mentiò qui veste Nuptiali neglecta, discumberet, in hac veste Nuptiali non indutus, deprehenditur, & in tenebras exteriores extruditur.

3. *Temporis manifesta differentia.* Addo Lucam asserere, parabolam suam à Domino cuiusdam Principis Pharisaeorum expressam in conuiuio, *Dixit illi quidam in conuiuio: Beatus qui manducabit panem in Regno Dei. At ipse dixit, Homo quidam fecit cœnam magnam.* Matthaeus verò post superiorem de vinea parabolam, Respondens, inquit, IESVS dixit iterum in parabolis eis: id est Principibus Sacerdotum, & senioribus populi, quibus parabolam de vinea in Templo protulerat. Hinc colligo, hanc parabolam multo post illam Lucae Ierosolymitano in Templo fuisse expositam, non in conuiuio. Sentio cum Augustino lib. 2. de consen. c. 71. *Simile quidam Lucas c. 14. commemorat. Sed non est hoc; sicut & ordo ipse indicat. Quamuis & illud nonnullam huius similitudinem gerat.* Gregorius, multique alij ex antiquis, & modernis contestantur.

§. II.

De Nuptiis, seruisque ad inuitandum immissis

4. *Ecclesia Regnum cœlorum.*

S*Imile factum est Regnum cœlorum homini Regi.*] Ecclesia cur dicatur Regnum cœlorum, & non Regnum potius cœleste? Hebraismo Regnum cœlorum appellatur, quemadmodum *vir fortitudinis* vir dicitur fortis. Regnum aptè vocitatur Ecclesia cœleste, quia cœlestes habet leges, cœlesti Regi præstat obsequium, cœlestem doctrinam, cœlestes scripturas profert, omnia exponit cœlestia.

5. *Nuptiæ Filij Dei Incarnatio.*

Qui fecit Nuptias filio suo.] Similis est Ecclesia homini Regi filij Nuptias conuiuio celebranti. Rex summus, Pater Regum omnium, terræ ac cœlorum Dominator Filij Nuptias regali conuiuio exposuit illustres. Gregorius homil. 38. in Euang. *Cum humanam naturam Verbum diuinum assumpsit, tunc Pater Filio Nuptias fecit.* Et Augustinus orat. cont. Iudæos, cap. 9. tom. 6. *Christus processit ex vtero Virginali tanquam sponsus de thalamo suo. In quo vtero spirituales Nuptiæ celebratæ sunt.: Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo.* Et lib. 50 homil. 31. cap. 5. *Ipse, qui tanquam sponsus processit de thalamo suo, de vtero scilicet virginali, vbi sanctæ Nuptiæ factæ sunt, Verbum & caro attulit miraculum. In Nuptiis hominum* (ait D. Gregorius) *duæ solent coniungi personæ, in his non duæ personæ, sed duæ naturæ in vna persona sunt illigatæ.* [Gregor. / August. / Greg.]

6. *Authoris sententia de Nuptiis Christi & Ecclesiæ.*

Alias præterea Nuptias Pater fecit Filio, cum sponsam illi pulcherrimam, id est, Ecclesiam sociauit. De his Nuptiis parabolam Hieronymus interpretatur, *Fecit Nuptias Deus Christo & Ecclesiæ, quæ tam ex Iudæis, quam ex Gentibus congregata est.* Hærent Gregorius citat. Haymo, Euthymius, ex modernis multi. Perficientur (addunt) hæ Nuptiæ in die iudicij, cum totam Ecclesiam, id est, homines iustos animo, corporéque constantes è terra in cœlestem thalamum Christus inducet. Subscribo. [Hieron. Gregor. & alij.]

7. *Quinâ serui missi?*

Misit seruos suos, vocare inuitatos ad Nuptias.] Hieronymus legit, *seruum suum.* At Græca ac Latina volumina, Euangeliumque Syriacum *seruos* habet. Bis serui immittuntur. Quinam illi? Hieronymus, *Priores sunt Prophetæ, posteriores Apostoli.* Gregorius, *Bis seruos ad inuitandum misit; quia Incarnationem vnigeniti, & per Prophetas dixit futuram, & per Apostolos nunciauit factam.* [Hieron. / Gregor.]

8. *Authoris interpretatio.*

Profectò qui Nuptias hasce Christi & Ecclesiæ esse asseruimus, interpretamur seruos bis immissos Apostolos ac Discipulos esse, per quos Iudæi ad Nuptias sunt aduocati. Bis immissi dicuntur, quia primum Rex misit Apostolos, Discipulósque: significat autem repetita missio, sæpè & à multis Dei seruis vocatos esse Iudæos, antequam Ierusalem solo æquaretur. Vocauit Baptista Ioannes, Apostoli, Stephanus, aliique Discipuli. Imò & Prophetæ (licet Nuptiæ celebratæ fuerint post Christi aduentum) serui himmissi ad inuitandum possunt assignari priores; quia Prophetarum libris semper vocantur.

9. *Qui nolebât venire.*

Et nolebant venire.] Patet Iudæos, qui ante Christi aduentum vixere, ad Nuptias non fuisse vocatos, quia non potuerunt huic adesse conuiuio vita iam functi; & quia de iis, qui vocati sunt, dicitur: *Et nolebant venire.* Illi verò, qui ante IESV Nuptiale epulum vixerunt, omnes verè volebant, hoc est, omnes expectabant Messiam, illumque expetebant.

10. *Quinâ epuli cibi?*

Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt.] An Deus tauros, & altilia nobis edenda præparat? Animæ est hoc epulum reficiendæ. Parabolicus cibus corporis animi signat alimenta, Euangelicam scilicet doctrinam, sacramenta, cœlestésque delicias. *Tauri*, id est, vituli. *Altilia* dicuntur à verbo *Alo*, id est animalia, ac aues, quæ aluntur, ac saginantur cibo. Græcè *σιτιστά*, *altilia*, *σιτέω*, *nutrio pasco*, *σῖτος*, *cibus.*

11. *De contumeliis, ac nece seruorum.*

Tenuerunt seruos, & contumelia affectos, occiderunt.] Postquam inuitati epulum contempsere, alio in vineam abeunte, alio ad negotiationem inurbanè diuertente: addidere crudelitatem, seruos afficientes contumelia, & exitialiter vulnerantes. De Iudæis hæc interpretor, quos post Christi Ascensionem Spiritúsque sancti aduentum Apostoli, aliique Discipuli ad Nuptiale conuiuium vocarunt. Hi seruos Domini tenuerunt, & occiderunt. Nimirum Iacobum vtrumque, Stephanum, atque alios, de quibus Dominus, *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Matth. 23.] [Matth. 23.]

§. III.

De supplicio inuitatorum exitiali.

12. *De exercitibus à Rege immissis.*

R*Ex autem iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, &c.*] Supplicium Iudæorum Dominus vaticinatur. Quinam hi exercitus Iudæis exitiales? Romanorum planè, quos Deus ad puniendos Iudæos immisit. Etenim ad paratum Euangelij epulum illos quadraginta annorum vocauit spatio. At quia accedere renuerunt, Euangelicam doctrinam accipere recusarunt, idque post Messiam occisum: Duces misit Vespasianum, ac Titum, qui meritum de illis supplicium sumerent, homicidas perderent, ac ciuitatem illorum Ierosolymam verterent in fauillam. An non quod parabolæ inuolucris tectum Dominus exposuit, indicauit euentus? Chrysostomus hom. 70. in Matth. *Hæc dicens Christus, Vespasiani, & Titi facta multo ante significat.* Theophylactus, *Misit Rex exercitus suos, hoc est, Romanos, qui inobedientes Iudæos perdiderunt, & ciuitatem illorum Ierusalem succenderunt.* Euthymius, Cornelius, Iansenius, Barradius, Maldonatus, & alij quamplures hærescunt. Qui quas pœnas Regi summo Iudæi dederunt, vult cognoscere adeat Iosephum lib. 6. & 7. de Bello Iudaico. [Chrysost. / Theophyl. / Euthym. & alij. / Ioseph.]

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX INDIGNIS INVITATIS.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cœlorum homini Regi.

Regnum cœlorum, seu sacra Ecclesiæ communitas Reges homines, seu Præsules requirit humanos.

Nulla etenim in Gubernatore moralis virtus commendabilior est, quam humanitas.

13. *Mansuetudo in subditos Regia virtus.*

PREMIT τῷ *Homini Regi.* Particula *Homo* particulæ *Regi* præposita est, vt innuatur, nullum aptiorem Regno, aut Præsulatui, quam ille cuius humanitas erga subditos præcedit Principatum, hoc est, ingenio est miti, & perhumano, seséque hominem in cunctis subditorum fratrem agnoscit. Sunt Præsules multi, qui se prius Principes esse ostendunt, quam homines, à quibus humanitas potentia supprimitur. At cùm humanitas primum obiicitur regnatura, ad eius leges ipsa Regni, aut Præsulatus potestas accommodatur.

14. *Precedat humanitas Regis potentiam, vt operetur prius pietas, quam supplicium.* Synes.

D. Synesius lib de Prouid. suum Osiridem, cui adscribendum orbis imperium asserit, sic descripsit. *De via & sede Ægyptiis senibus facilè cedebat; cum tamen eo esset parente natus, qui summum apud suos imperium administraret. Ad hac accedebat æqualium reuerentia, naturáque insita in eo erga homines cura, adeo vt vel in ea ætate vix inter Ægyptios vllus reperiri posset, cui non ab adolescente aliquid boni à Patre esset impetratum.* Hæc intuenis ante quam Regnum possideret exhibuit humanitatis documenta. Mox Regnum secutum est humanitatem. Præcessit quidem homo Regem. Quam laudabile in Regis hærede ingenium humanitati addictum! Quam taxabiliter Regnum humanitati præponitur!

15. *Obiicitur prius in Deo paternitas, seu mansuetudo, quam potentia?* Adam.

Cum Ecclesia, Dei profitetur in cœlo ac terra Principatum, ait: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.* Deus noster est omnipotens. Omnipotentia exprimit imperium, paternitas autem erga subditos humanitatem. Christus profatus, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. 28. *Mihi*, id est, *homini Imperium datum est*, ait Adamus. Cur humanitatem præposuit Imperio? Vt innuat in Principe humanitatem potiorem locum sortitura.

16. *Deus innuit se humano corde præditum, vt humanitas præcedens potentiam ostendatur?* Ose. 11. Hieron.

Ideò Dominus, *Conuersum est in me cor meum; pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ.* Ose. 11. Quare Deus se innuit corde velut humano ad pietatis affectus affersi? An non ira iudicis præualere debuerat? *Non faciam*, ait, *furorem iræ meæ.* Quia scilicet humanitas iudicij potestati præponitur; vnde paternitas præualet ad iudicium. Hieronymus, *Cum duram sententiam protulisset, rursum parentis affectu misericordia vincitur: & austeritatem Iudicis pietate mitigat patris.* Quid mirum, si humanitas Imperio præponitur? *Simile est Regnum cœlorum homini Regi.*

17. *Prius in calice, quem Deus subditis peccatoribus propinat, gustatur merum, quàm mistum: quia præcedit pietas potestatem.* Psal. 74. Ambros.

Clamat Dauid, *Calix in manu Domini vini meri plenus misto; inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita.* Psalm. 74. Vbi Ambrosius contemplatur in vino mero Dei misericordiam, in misto autem in mistione fæcis iram. Bibunt peccatores, quibus mistum ante fæces sunt præparatæ, & fæcibus, nos misto minimè potantur. *Fæx eius non est exinanita*, quia vino mero potati sunt peccatores. Iam requiro, si ex mente Ambrosij, quam confirmat Augustinus) fæx peccatoribus præparata erat, quonammodo non exinanitur? Certè quia merum humanitatis præponitur. Liceat vulgariter explicare: *Esta primero la humano de la misericordia, que lo riguroso de la Real potencia: Homo Rex.* Vnde prius peccatores ex humanitate alliciuntur ad pœnitudinem, quam ex potentia poniantur.

18. *Cupit Deus Timotheum Præsulē erga subditos prius misericordiam, quam iudicium ostendere.* 1. Tim. 1. Rupertus.

Timothæus Præsul zelo acriori in peccatores subditos succendebatur, cui Apostolus, *Gratia, & misericordia, & pax à Deo Patre.* 1. Timoth. 1. Romanis dixerat, *Gratia vobis, & pax à Deo Patre.* cap. 1. Cur scribens ad Timothæum addidit, *Et misericordia?* Subditis dum scribit, eis gratiam, & pacem à Domino imprecatur; felicissimè enim cum subditis agitur, si gratia Dei, & pace fruuntur. At cum Paulus scribit ad Præsulem, cum cupit misericordia superaddita donari eo quidem ordine, quo Deo summo Regi adscribitur. *Misericordia à Deo Patre.* Prius misericordia, mox Deus obiicitur. Haud aliter Prælatus prius ostentari debet misericors, quam Præpositus. Rupertus lib. 1. in Apocal. Misericordiam interponit Timothæo. *Nam quia in illo Episcopos omnes informabat, cuius officij summum, & necessarium decus est misericordia, & ille (vt fertur) Zeli feruentioris erat: idcirco rectè & opportunè viscera misericordia illi, vt haberet, praeptat.* Incedant pariter humanitas & potentia Præsulis; sed misericordia præcedens

iecedens prius accedat ad subditum : sicut Deo necedente , humanitas præcedens Regnum, prios gremio excipit peccatorem , quam potestas verberet delinqoentem.

Observat. II.

Ad illa verba :

Simile est Regnum cœlorum homini Regi.

Regnum cœlorum , seu Rex cœlestis aptè Rex homo appellatur , vt distingui possit à Rege terreno.

Rarò enim Rex terrenus apparet , qui pleno ore Rex homo possit vocitari.

19. SI Regnum cœlorum prædicatur , cur Regem cœlestis Regoi hominem Domious appellauit ? *Homini Regi* ? Exigua admodum commendatio, vulgare elogium. An oon aptius dixisset, simile est Regnum cœlorum augustissimo , sapientissimo , poteotissimo , iustissimo, piissimo Regi ? O egregia laudatio ! *Simile est Regnum cælorum homini Regi.* Parum ne tibi, Regem esse hominem ? Vulgare oe encomium est, Regem aliquem humanitate decorari ? Rara auis io terris Rex homo , qui oon belloinis moribus deturpatos obiiciatur , qui humano ingenio præditus possit prædicari.

20. *Qui sic viuit , quasi æternitatem non expectet haud Rex homo, sed bellua. Isai. 14.*

Qui sic ducit vitam , ac si in æternitatem non sit nutrienda, sed hoc in seculo terminanda : homo non est , belluarum comes adiicitur, quibus vnica fœlicitas saginatio. O quam innumeri Reges muodiales viuunt cum Nabuchodonosore inter belluas commorante! *Omnes Reges Gentium* (clamat Isaias) *vniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua.* cap. 14. Cur distinxit Reges Gentiom à viris ? Profectò quia Reges viri oon sunt dum belluinis moribus informantur. Viri eoim dormiunt non in mundiali gloria , quæ cum vita miserè terminatur; sed in domo sua æterna iustis præparata. *In domo enim Patris mãsiones multæ sunt.* Igitur sic degere, ac si seculom sit hominis cuna , & sepulchrum, tam exiguo termino fælicitate addicta, non virorum , sed belluarum est. Bernardus Epistol. 104. Principi cuidam deliciis tributa soluenti aiebat : *Esto tamen : liceat tibi hæc interim adscribere nomini tuo , & gloriari in laude tua , & facere tibi nomen grande dumtaxat super terram. Quid tibi post mortem de iis omnibus nisi sola fortassè memoria relinquetur : & hoc quoque solummodo super terram. Quod si hic est finis laborum tuorum , quid habes amplius incremento ?*

Bernard.

21. *Rex homo sic viuit vt qui pergit in domum æternitatis. Qui sic non viuit, bellua est. Eccles. 12.*

Ao non homo exortus ad obsequiom Deo præstandũ , vt æternum præparet domicilium? Ergo homo non est , qoi se solummodo exortum voluptatibus exponit. *Ecclesiastes* ait , *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* cap. 12. Tigurina , *In domum suam perpetuam.* Id est, sic viuet , vt æternitatis se ostendat candidatum. Nom sic mundi Proceres ? Eorum vitam sic Saluianus , ac Synesius describunt : *Quotus quisque est* (ait ille lib. 1. de Gubernat. Dei) *Principum connubij sacramenta conseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps ? Cui non domus , ac familia sua scortum sit : secundum illud quod de talibus dicitur , Equi insanientes in fœminas facti sunt.* Ierem. 5. At hic lib. de Regoo ait , *Quandiu ergo humanam conditionem aspernamini , ne hominis quidem perfectionem attingitis.* Homo ibit in domum suam æternam , vos minimè æternitati præparamini , sed vacatis anxiè adeo deliciis , ac si cum vita spes sit æternitatis terminanda. Haud igitur debetis hominum catalogo adscribi.

Saluian.

Synes.

22. *Pecudes, lupósque imitatur Rex impius , qui respiciẽs homines , à belluis recedit. Iob. 33.*

Dauidi Nathan ouis parabola ostendit impudicitiam , qua in morem rapacis lupi, pauperis ouiculam abstulerat. At Rex memor humanitatis clamat : *Peccaui.* Tunc equidem *Rex homo* ostentatur , à belluarum cœtu prosiliens ad hominum societatem. Illustro cogitationem Iobi illa sententia : *Respiciet homines, & dicet , peccaui.* cap. 33. An hominis respectus Regem hominem excitat ad compunctionem. Describit planè Eliu filius Barachel mysticam Iobi historiam , qua signatur Rex in belluinam quasi naturam conuersus ex voluptatum abundantia ; qui quidem respiciens homines memor miseriæ proclamat , *Peccaui,* & redit ad hominum ex belluarum cœtu societatem. D. Gregorius lib. 24. Moral. cap. 6. *Respiciet homines* , & tunc deinde subiungitur : *Et dicet , peccaui. Nam si consideraret homines Rex , citius agnosceret , quantum peccando infra homines cecidisset.*

Gregor.

23. *Dum Reges Veneri , & Baccho libido obsequuntur , mutantur in belluas. Iud. 5.*

Cecinit Debora , *Audite Reges , auribus accipite Principes.* Ad Reges Israëliticos dirigit carmina Virago. *Noua bella* , ait , *elegit Dominus.* Iudic. 5. Lxx. *Elegerunt.* Hebraicè , *Eligebant* Principes illi *Deos nouos.* Alij , *Elegerunt vt panem hordeaceum Deos nouos.* Princeps etenim qui obsequium præstat Veneri, & Baccho nihil differt à bellua , ideò hordeaceo pane vescitur. Theodoretus quæst. 10. *In quo summam Principum illorum amentiam per similitudinem arguit. Vt enim compos mentis non habetur is , qui triticeis panibus hordeaceos anteponit : ita supra modum stupidus est , qui falsos Deos vero Deo præfert.* Sed alibi Pater accommodatius , *Quia nihil differt à bestia , qui in impietate viuit.* Igitur Regnum cœlorum, id est fideles Principes Regi homini comparantor probè viuentes : praui autem Reges belluæ meritò vocitaodi expoouotur.

Theodor.

Observat. III.

Ad illa verba :

Qui fecit Nuptias Filio suo.

Nuptias Christi & Ecclesiæ seu animæ iustæ expendo, & illustro.

Taxans anima sponsa ingratitudinem, qua

qua ineffabilem sponsi IESV *dilectionem ausa est delinquendo offendere*

24. Origen. Ose. 2.

VIdimus in præsenti Christi & Ecclesiæ Nuptias celebrari. Confirmo ex Origene, *Nuptias intellige coniunctionem Christi ad animam.* Fatur Oseæ ex ore, *Sponsabo te mihi in sempiternum.* cap. 2. & Paulus inquit, *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.*

25. *Fœdissimam Christus aspexit, vt pulchrã amaret effectã.* Hieron.

O stupendum Regis Filij amorem, qui Æthiopissam sibi illigare non renuit, sed fœdissimam duxit, vt seu Baptisma, seu pœnitentiæ lauacro dealbaret. Ait D. Hieronymus epistol. 22. ad Eustoch. *Non est sponsus tuus arrogans, Æthiopissam duxit vxorem statim, vt audire voluit sapientiam Salomonis. Vbi ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta, quæ nouit: & inducet te Rex in cubiculum suum; & mirum in modum, colore mutato, sermo tibi ille conueniet: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Cant. 5.

26. *Ineffabile dilectionis documentũ, fœdam elegisse Dei Filium sibi illigandam.* Psal 44. August.

Dauid Epithalamio dulcissimo sic Nuptias descripsit: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiscet Rex decorem tuum.* Psalm. 44. Quémnam decorem concupiscit, qui fœcundissimam amauit, vt pulcherrimam efficeret? An non dilectionis ineffabilis documentum fœdam animam quæsiisse, sibi illigandam? D. Augustinus serm. 6. de verb. Domini, *Concupiuit qui fecit, quoniam vt pulchram faceret, fœdam amauit. Pro infideli, & fœda sanguinem fudit fidelem, ac pulchram reddidit. Dona sua in te amauit. Quid enim sponso tuo contulisti? Quid in dotem? Nonne luxurias & pannos peccatorum? Abiecit pannos, misertus est, vt ornaret: ornauit, vt amaret.*

27. *Ornatus sponsæ ex Cor[...] mira dilectione.* Ezech. 16. Isa 4. Hieron.

Concinunt Prophetæ. *Transiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum tempus amantium.* Ezech. 16. *Transiui per te*, quod vulgariter expendo, *Renatus puer tuo. Et laui te, & calceaui te hyacintho*, &c. Isa. 4. Ad quæ D. Hieronymus, *Transiui per te, & ecce tempus tuum tempus amantium. Id est, quando dæmones, & alij amatores erant, qui ad te cupiebant declinare, protectione mea repulsi sunt. Et iuraui tibi, & laui te, & vestiui te discoloribus; ideoque astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circũdata varietate. Et quid hac varietate pulchrius? Calceaui te hyacintho, & dedi coronam decoris in capite tuo. Similam, & mel, & oleum comedisti; & egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem posui super te. Id est, meis beneficiis, meaque incredibili largitate ad Reginæ vocabulum peruenisti.* Sic Doctor lib. 4. in Ezech.

28. *Denigratione sponsi pulchra effecta est anima.* Cant. 1. Bernard.

Fatur ipsa, *Nigra sum, sed formosa.* Cantic. 1. Si nigra es, quonammodo te formosam iactas? Profectò sponsi denigratione pulchra exurgo. *Non erat ei species, neque decor*, vt me nigram pulchritudine donaret. Bernardus serm. 28. in Cantic. *Multos candidos facit vnius denigratio. Splendor Dei obnubiletur in forma serui pro vita serui: candor vitæ æternæ nigrescat in carne pro carne purganda; speciosus forma præ filiis hominum pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species, neque decor; vt sibi speciosam, atque decoram, acquirat sponsam.*

29. *Ineffabilibus dilectionis documentis sponsa excipitur à* IESV. Cant. 1. Origen.

Acquiritur, ducitur, Regis Filio illigatur. Quid plura? Quàm egregiis dilectionis documentis prosequitur domi residentem, qui dum in volutabro residenti tot amoris signa prælibarat! Iam clamitat ipsa, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cantic. 1. Origenes legit, *Traxerunt te post se.* Ac si tota Trinitas sponsæ voius deliciis procurandis intenderet, & velut inuitam, aut ex verecundia sponsæ tenentem ad ineffabilia amoris documenta traheret? Aptius Doctor, *Traxerunt te ò Domine, post se sponsæ animæ.* Videntur enim animæ ipsum Deum, qui illarum amore deperit post se trahere, amatoriè quidem, & summa dilectione affectum.

30. *Curat sponsus dilectam somno dulci indulgere, ipso custode* Cant. 3. 5. Bern.

An non id exprimit vox illa: *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam, quo ad vsque ipsa velit.* Cantic. 3. 5. Ad quæ D Bernardus serm. 52 in Cant. *Animaduerto benignitatem sponsi, qui vt affectum tenerrimum, quem habet erga sponsam, explicet, ait: Adiuro vos, &c. Læuam posuerat sponsus sub capite, vt in sinu suo eam quiescere faceret, & dormire, & ipse beneuolentissimè super eam vigilaret. Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, vt Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foueri, Dei cura, & studio custodiri; ne dormiens fortè à quopiam non volens excitetur?*

31. *Tota intenta est sponso indulgẽdo Maiestas Filij Dei.* Cant. 1. Bern.

Rursum dilecta proclamitat, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 1. Ac si diceret, Mihi tota est intenta Maiestas adeò, vt ego illi quodammodo intendere tenear. Vulgariter liceat explicare: *Cuida tanto Dios de mi, que se oluida de si mismo de suerto, que parece me obliga a que yo cuide de li*; ne derelictus quodammodo queri cogatur. Allicio ad mentem hanc D. Bernardum serm. 68. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Insolens verbum: Et ego illi, nec minus insolens, Dilectus meus mihi. Mihi, inquit, intendit. Itáne intenta est Maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit, & cura sæculorum, ad solam transfertur negotia, imo etiã amoris?* Ita planè.

32. *Quam virginitatis delicia huius thalami!* 1. Cor. 11. Hieron. Philo.

Quid de Nuptiarum harum mee puritate annectam? Meretrix olim quæ fuit, purissimam virginem mutatur in sponsam: nec violatur integritas, imo potius custoditur, & accrescit. Ideò virgo appellatur, *Virginem castam exhibere Christo.* 1. Cor. 11. Fatur Amos, *Virgo Israël proiecta est in terram.* cap. 5. Vbi Hieronymus, *Virgo appellatur populus Israël, non quia in virginitatis permanserit puritate, sed quia quondam, instar virginis, sit Domino copulatus.* Et Philo lib. de Cherubim, *Deus eam animam, quam sibi per fidem, & charitatem desponderit, vsque adeo non violat, vt virginem, seu virginalem, & inuiolabilem reddat; etiamsi antea fuerit adultera, meretrix, & prostituta.*

33. *De sponsæ ingratitudine* Ezech. 16. Hieron.

Hæccine reddis amanti sponso? debito curas satisfacere? *Ædificasti tibi lupanar.* Ezech. 16. Hieronymus, *id est, tota frontis libertate deliquisti. Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti. Qui diuersorum peccatorum spiritum transeuntem suo suscepit gremio, iste effundit fornicationem suam. Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis. O misera*

anima, ô infælix adultera, non te pudet, non te pœnitet, non tibi venit in mentem pulchritudo collata à Deo, modò ablata, sine Deo, sine sponsô specioso præ filiis hominum?

34. *Eam tamen adhuc ad se allicere procurat sponsus.* Ierem. 3.

Quid sponsus? Occludit adulteræ veniæ aditum, afficit merita occisione? O ineffabilem sponsi charitatem vocantis, inuitantis, allicientis adulteram! *Vulgo dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid reuertetur ad eam vltra? Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Et tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ierem. 3. Ad quæ D. Hieronymus, *Post fornicationem suscipit pœnitentem, & hortatur, vt reuertatur ad se. Erubescant, qui nolunt ad meliora conuerti. Ipse despondit animam vestram amplexibus suis: & docet, quo modo orare debeat, & agere pœnitentiam. Quantò ille clementior, qui salutis post fornicationem ostendit viam: tantò miserior meretrix, quæ non vult post vulnera recipere sanitatem.*

35. *Ne adulteram sponsus occidat, ipse traditur occisioni.* Ioan. 3. Origen.

Quomodo ô ingrata non traheris ad sponsum, qui ne te occidat delinquentem, neci traditus est? An non vel insensibiles creaturas ad Christum traheret tam inauditus amoris affectus? *Et ego* (inquit ille) *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ioan. 3. Vbi Origenes homil. 20. in Numer. *Quodammodo nobis vim facit, vt pertrahat ad salutem. Non solum inuitat volentes, sed & cunctantes trahit. Quandam enim amoris vim nobis infert, quod pro adultera anima, quæ mortem merebatur, obierit ipse mortem; & quod brachiis in cruce extensis, fugitiuam animam ad se vocet, lapsam erigat, attrahat, & amplectatur.*

36. *O lapide duriorem!* Ierem. 3. August.

Te cum lapide mœchatam existimabo, si aspiciens tot dilectionis documenta, ad inuitantem non redis sponsum. De huiusmodi ingratitudine Propheta inquit, *Mœchata est cum lapide, & ligno.* Ierem. 3. Diligens lapidem, in lapidem conuersa est. Ideo post tot amoris affectos, non reuersa proclamat sponsum: *Sponse, sponse.* O lapidea præcordia! D. Augustinus lib. de catechiz. rudib. cap. 4. *Et nimis durus est animus, & cum lapidibus adulter, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere sponso, qui sibi elegit sponsam, fœdámque amauit, vt pulchram, redderet:* Ipsi totam curam, & diligentiam adhibet, ipsius deplorat peccata, & offensus ad amicitiam vocat; pro éaque dum mortem merebatur, emoritur.

***

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit Nuptias filio suo.

Per Incarnationis mysterium Deus, homo Rex Nuptiale conuiuium præparat, totus orbis dum pace potitur.

Neque enim subditis bellorum incommodo pressis, deceret Regem conuiuij delectis operam dare.

37. Anselm. Gregor. *Nuptiæ Filij, quando orbis pace fruitur. Nec enim belli tempore decent Regem deliciæ.*

EXposuimus ex Patrum aliquorum mente in Nuptiis Filij Regis mysterium Incarnationis esse expressum. Anselmus adhæret fatus, *Per Incarnationis mysterium Nuptiæ.* Et D. Gregorius, *Quando in vtero Virginis, qui thalamus fuit Filium, naturæ humanæ coniunxit, fecit Deus Rex Nuptias*, & Nuptiale conuiuium præparauit. *Quando*, precor? Quando totus orbis pace fruebatur, quando gladij conuertuntur in vomeres, quando totus orbis potest descriptioni ab vnico Rege signari. Nec enim Deus Rex Nuptialis conuiuij delicias exponeret aut sibi, aut Filio eiusdem vtique essentiæ, si bellis interim subditi miseri premerentur. Rex epulo indulget, cum subditi pane lachrymarum ob bellorum exactiones vescuntur? Haud cœlestis ille, qui quidem vt terrenus Principes edoceat, abstinuerat à deliciis (mysticè loqui sic liceat) dum bellis orbis premebatur: & tauris occisis, altilibusque præparatis, mensam Nuptialem apponit, quando belli omninò gemitus conticescunt.

38. *Exitiale Duci, ac Principi Ionathæ, deliciis studere vel minimis, quum milites hostes persequuntur.* 1 Reg. 14. Sanct.

Exitiale quodammodo facinus Reges deliciis vel minimis distrahi, quum subditi bellis pergrauantur. Expono Ionathæ periculum. Adiurauit Saul populum, *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* Abstinuit populus, exercitus persequitur hostes, venit ad saltum, mel diffluens apparet, Ionathas autem *extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Quod vt Saul cognouit, proclamat iratus: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* 1. Reg. 14. Quódnam precor Ionathæ scelus morte dignum. Excusat ignorantia. Etsi sciens gereret, mellis gustatiu paruitate materiæ graui excusaret à piaculo. Cur igitur mortis periculo Filius Regis subiacet? Pulchrè Gaspar Sanctius noster, *Porro virga sceptrum est, quod vt Dux exercitus de more ferebat in manu.* Ac si sceptrum ipsum mel interdictum subditis degustasset: *Extendit virgam, & intinxit in fauum mellis.* Princeps deliciis studet, cum exercitus hostes persequendo pane vescitur lachrymarum? *Morte morieris Ionatha.*

39. *Dum exer-*

Christus Rex semper ducit exercitum ab hostibus tentatú quidem, sed minimè superatum.

Multipli

Multiplicasti gentem (ait Vates) *sed non multiplicasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda: Iugum enim, & sceptrum exactoris eius superasti. Paruulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factum est Principatum super humerum eius.* Isai. 9. Hebraicè ה *super humerum Principatus* המשרה *musra* seu *missie sara*, hoc est, *ex spina Imperium.* Sanctius, *Neque enim Regnum Christi, sunt etiam neque Regnum Dauid, cuius sedem obtinuit: ad voluptatem, & delicias fuit aut inert atium sed ad curam, laborem, & onus.* Quare? si fortissimos hostes subditus exercitus persequebatur, si vita Christianorum militia est super terram: decebat ne Ducem, Regem delicijs studere, dum belli spinis milites pungebantur?

Diuus homini-num gemit sub pondere belli, Dux Christus pungitur spinis, nam delicijs soluitur. Isai. 9. Sancti.

40\. Dum Regnum bello premitur, dum fames belli filia miseros milites diuexare assurgit, Nuptiali Duces conuiuio excipiuntur? Ex Plutarcho in vita Pompeij. Accipit ille Romani Imperij labentis sceptrum, & cum oporteret militum famescentium fortunæ submitti, illicò Nuptias sibi parauit. *Verumtamen non placebant quibusdam intempestiua hæ Nuptiæ. Quippe erat Cornelia Pompei filia maturius Matrimonium. Honesti verò viri Pompeium existimabant Rempublicam depositisse iis iactatam fortunis, quarum elegerat ipsum medicum, atque vni se commiserat. Cum interim ille coronatus sacra Nuptialia faceret, qui illum deberet pro calamitate ducere consulatum.* Pulchrè.

Quam indecens, Ducem Nuptiali conuiuio accumbere cum famæ milites afficiuntur, cum Respublica perit. Plutarch.

41\. Accurrunt ad sacerdotem Abimelech Dauid, & milites famelicentes. Dux non satur ostenduur, cum fame exercitus pergrauatur. Quidnam petiit? Panes, non delicatos cibos. O egregium Ducem, qui deliciis non vacat, dum Regnum bello pergrauatur, & milites famæ afficiuntur! Obiicis Iosephum Ægypti Proregem conuiuium fratribus apposuisse, cum Regnum famis horribili bello impugnaretur. An deliciosum epulum? *Egressus continuit se, & ait: Ponite panes.* Gen. 43. Non ad deliciarum satietatem, sed ad famis subsidium communia apponuntur obsonia. Nec deceret Proregem delicijs dare operam, dum populus miserè lacrymatur. Philo lib. de Ioseph. *Interim sibi non valde lauti apponuntur, quod conniuatori non liberet vti delicijs in publica penuria.*

Dauid & Ioseph à delicijs abstinent, cum Regnum bello, aut fame premitur. Gen 43. Philo.

42\. Appositè Isaias clamat, *Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes. Surgite Principes, arripite clypeum.* cap. 21. Totus populus mensæ quasi Nuptiali adhæret, dum bellis sonitu vrbes inuadit. Indicitur bellum, lituorum sonitus exauditur, *Surgite Principes.* Cur non & alij conuiuio assidentes surgere monerantur? Certè quia licet cunctis sit indecorum deliciarum conuiuio solui, dum Respublica bello perturbatur, Principibus turpissimum est. Legunt alij, *Surgite Principes, vngite clypeum.* Si pacis tempore licitum Principi se se oleo inungere, ad faciem exhilarandam: *Vt exhilaret faciem in oleo* iam non licet. Inunguntur clypeus, exhilaretur æs, rutilet armorum apparatus: sit Principis facies ipse armorum splendor.

Principes decet, epulis dare, operam, dum belli sonitus resonat. Isai. 21. *Non inungenda Ducis facies, sed clypeus.*

43\. Præmiserat Vates, *Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum. Pone mensam,* &c. cap. 21. In quodnam, precor, miraculum posita dilecta ciuitas? Quasi necesse est, ciuitatem dilectam miraculo adhibito defendere, ac pro-pugnare, dum vel post bellorum indicta pericula, conuiuia Nuptialia præparantur, ciues Principesque adhærescunt mensæ, delicijs indulgent, nec moniti assurgunt ad clypeum arripiendum. Saluianus huiusmodi desidiæ tribuit Regni euersionem, lib. 6. de Guber. Dei, *Ad hoc postremò peruentum est, vt Principes vrbis ipsius nec tum quidem de conuiuiis surgant cum iam hostis vrbem intraret. Adeo etiam Deus ipsis euidenter manifestare voluit, cur perirent, cum per quam rem ad perditionem vltimam venerant, eam ipsam agerent, cum perirent.* Aut pereundum dilectæ ciuitati, aut, miraculo excitato, instandum propugnationi? Delicias obiicite Proceres, Regem vestium insudantem certamini sequimini, vngite clypeos, non facies, vt fœminæ, nulla sit lætitiæ nota, quando adsunt tot mœroris documenta.

Reges indulgentes delicijs, cum Regnum bella pergrauantur, volat id, miraculo excitato, propugnari. Isai. 21. Saluian.

Observat. V.

Ad illa verba:

Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt.

Curat Dominus renuentes inuitatos ad conuiuium adducere taurorum, & altilium occisione exposita, id est obiectis Diuorum exemplis.

Etenim præcedentium exempla validum est ad inertiam tepidorum ablegandam incitamentum, In Historia sacra seu, librorum spiritualium commendationem.

Præmitto mysticam taurorum, & altilium expositionem. Quidnam tauri? quidnam altilia? Patrum præcedentium exempla. Gregorius, *Tauri mei occisi sunt, id est Patres veteris Testamenti. Quasi diceret, Patrum mortes aspicite, & remedia vitæ vestræ cogitate. Altilia etiam occisa sunt, id est, Patres noui Testamenti à terrenis ad sublimia contemplatione sublimati.* Hilarius autem, *Tauri Martyres, qui tanquam bestia immolati; altilia homines spirituales tanquam calesti pane saginati.* Rex itaque immisit primò seruos, qui homines ad conuiuium Nuptiale inuitarent. Renuunt miseri, & Rex rursum seruos immittit, qui validius renuentes inuitatos allicere possent proclamantes tauros, & altilia occisa, id est, præcessisse Patres, Martyres, Diuos egregiis operibus ornatos, qui exemplo fortissimè alliciunt ad ineundum conuiuium. Et quidem exemplum validissimum debet esse ad virtutem incitamentum. Sic Gregorius, *In priori inuitatione tauri, & altilia non memorantur: sed in secunda. Deus enim, cum audire nolumus, adiungit exempla, vt res non impossibiles, sed faciles appareat.* O quam facilis ad virtutem via, si Diuorum præcedentium exempla menti obiiciantur.

Missus fuit Titus, vt ad conuiuium virtutum ferculis præparatum homines Christicolas inuitaret. *Tu autem loquere, quæ decent sanam*

44\. *D. Ignatio P. N. ardimodis legibus sanctorum historiæ.* Gregor. Hilar. Gregor.

45\. *Si renuant sunt ad inueniendum virtutum conuiuium, tauri, & altilia obiiciuntur, id est exempla procedentis Diui.* Tit. 2.

doctrinam. Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sanctæ, non criminatrices non multo vino seruientes. Iuuenes similiter hortare, vt sobrij sint. cap. 2. Quid si renuant inuitati inire conuiuium, senibus ad villam diuertentibus, iuuenibus autem mundi diuerticula procurantibus? Addit Apostolus, *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & grauitate.* Ibid. Qui post prolationem doctrinæ adhuc renuerint aduentare, videant te exemplo præcedentem, vt inexcusabiliter depereant, si non accurrerint ad conuiuium. Anselmus, *Qui te viderint, legant in operibus tuis velut in libro, quid facere debeant.* Etenim sanctorum exempla in libris obiecta assolent homines infirmos, renuentes adducere fortiter.

Anselm.

46. *Virtutes immissæ à sapientia, inuitant ad epulum sacrum exempla proferentes tauri vituli occisi.* Prou. 9.

Sapientia siue cœlestis Rex Nuptiale conuiuium apponit. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septẽ, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam.* At præparato epulo, *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia Ciuitatis* Prou. 9. Serui immittuntur dicere inuitatis, quòd parata sit spiritualium ferculorum mensa. Hæ profectò proclamant: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt.* Hoc est, aspicite præcedentium exempla, quicumque renititis virtutum epulo saginari: *Iugulauit* Rex *victimas suas.* Caietanus, *Iugulauit Filium suũ.* Aspicite Saluatorem pro vobis morti traditum, Paulus, *Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem* IESVM. Hebr. 12.

Caiet.

47. *Proferunt & diuorum excelsorum cœlestis Ciuitatis exempla, vt efficaciter inuitatos alliciant.* Prou. 9. Caiet.

Premo particulam, *Vt, vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis*, Hebraicè, *Vocauit super humeros excelsorum Ciuitatis.* Caietanus per ancillas virtutes intelligens, profatur, *significat, quod virtutes missæ à Diuina sapientia officium vocandi exercerent, non prædicata, sed portata super humeros. Virtutes itaque in factis Diuorum existentes excitant homines ad diuinum conuiuium; facta excelsorum visa,* (aut lecta) *plerumque vocant alios.* Quid argomento accommodatius.

48. *Dauid inuitauit ad epulum sacrum homines eis obijciens innocentia cordis sui exempla.* Psalm 77.

Immissus à Rege summo Dauid homines Israelitas ad æternum fidei & operum gerendorum inuitare epulum. *Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum, & Israel hæreditatem suam.* Pascere scilicet, sacro epulo dum accumbit. Quanam vi adduxit Dauid inuitatos ad epulum? Addit opportunè, *Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Psalm. 77. Id est, se ipsum bonorum operum obiecit exemplum, taurumque & altilia occisa ad conuiuium se existere ostentauit. Caietanus, premens illud: *In intellectibus manuum suarum,* ait: *Facta exemplaria significat addendo Manuum suarum.* Et Chrysostomus hom. 30. in 1. ad Cor. *Nihil inuitantibus* (seruis) *Magistris opus esset, si virtutis probos actus præferremus. Inclamantes* vtique: *Tauri mei, & altilia occisa sunt.* Martyres vitam pro fide tradiderunt, Confessores virtutum exercitamentis ornari suos, Virgines puritatis micarunt stola. O exempli vim adducentem fortiter homines desides ad conuiuium!

Caiet.

49. *Gedeon milites inuitauit ad epulum mysticum exempla proferens fortitudinis.* Iudic. 7.

Milites curat Gedeon Dux fortissimus adducere ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, vbi satiom epulum virtutis præparatum obiicitur. Ne autem abhorrerent obedire difficili imperio, taurum occisum, altilia exponit præparata, fatus: *Quod me facere videritis, hoc facite.* Iudic. 7. Alliciuntur milites, mori solo æquantur hostiles, vt mystico sapientiæ epulo post deuictos hostes potiantur. O exempli insuperabilem fortitudinem! Ait D. Ephrem epist. ad Ioann. Monach. *Rectè agis, exemplum bonorum operum præbens secundum Gedeonem, qui dixit: A me videbis, & sic facies.* Porrò LXX. sic Iudicum locum legerunt: *Quod me facere videritis, hoc facite.* D. Ignatius Parens meus dum seculari militiæ operam daret, legit spiritualis militiæ exempla, fortitudinis sacræ documenta contemplatur, & affectus mirum in modum ad perfectionis epulum properauit, ad spiritualis militiæ incommoda cucurrit. Tanti momenti est oculis mentis obiici Diuorum exempla.

Ephr.

D. Ignatio legenti sanctorum historias Panegyris accommodatur.

OBSERV. VI.

Ad illa verba:

Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, &c.

Qui negligentes vocationem seruorum non punit: eos, qui seruos ipsos vocantes contumeliis afficiunt, & vulneribus, ira succensus exitialiter punit.

Tanti enim Deus ducit prædicatorum, seu ministrorum Euangelij, dum muneri incumbunt, indemnitatem, vt celeriter puniat seruorum contemptores, qui segnis ad proprias vindicandas iniurias videtur ostendi.

50. Hier.

Ait pulchrè Hieronymus *Cum inuitabat, & clementer agebat, homo dicebatur: nunc ad vltionem veniens, Rex dicitur: Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos.* An solummodo perdiderit homicidas? Ita plane. Cur non simul perdidit inuitationis contemptores? *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam.* O inurbanitatem exitiali agnatam supplicio! Mòx post vulneratos famulos exercitus contra homicidas immittitur, & contemnentes Regia inuitationem non illicò supplicio coguntur subiacere? Quid causæ? Plus in seruis, suis, quam in se ipso se affectum vulnere ostentat ad suorum hostes comprimendos. O in Diuos Domini pietatem!

51. *Tardus Deus & senex ad vindicandas proprias iniurias, ad puniendum Diuorum suorum persecutores, quasi iuuenescit.*

Deus ad iudicium veniens sic à Propheta describitur: *Senior, & Antiquus dierum capilli capitis eius quasi lana munda* Dan. 7. Cur specie senis Filios Dei obiicitur? Lyranus, *Propter maturitatem iudicantis; quia Dei sententia*

Daniel 7. Lyran.

non

non est festina, sed maturè prolata. Non quidem est festina, quia bestiæ illæ specialissime contra Filium hominis dimicabant. *Tempora vitæ constituta sunt* bestiis *vsque ad tempus, & tempus.* Denique post temporis ac temporis interstitia, *ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum venit, & dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum.* Quam segniter se gerit Rex ad proprij Filij iniurias vindicandas! Porrò ipse quasi inoenili afficitur ardore, cum Diuorum suorum sint hostes puniendi. Addit Propheta, *Aspiciebam & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos & prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis excelsis, & tempus aduenit.* Ibid. Cur Antiquos dierum gressibus etiam nunc tardioribus non vtitur? Quia qui ad proprias iniurias vindicandas quasi senex exsurgit, ad Diuorum suorum hostes puniendos quasi iuuenis ostentatur, & alatus incedit.

52. *Differt Deus vinitorum, qui hæredem occiderant supplicium, homicidas autem seruorum illicò punit.*

Homo ille paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, &c. Deus Rex cœli, & terræ, qui immisso suo Filio hærede curauit agricolas reditus persoluere. At illi se se homicidio contaminarunt. An illicò perdidit homicidas? Minimè sed in futurum pœnam est comminatus: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur gentibus facientibus fructus eius.* Matt. 21. Preme particulas de futuro tempore, *Auferetur, dabitur.* Quare non aufertur, non illicò datur? Certè quia segnis admodum Deus vt proprias vindicet iniurias. Chrysostomus, *Non statim, interfecto Christo, sed post quadraginta annos, eos perdidit, vt longanimitatem eius omnes viderent.* Ast seruis occisis. *statim emisit exercitum, perdidit homicidas illos, & Ciuitatem illorum succendit.*

Math. 22.

Chrysost.

53. *Ad puniendum Adamum Deus gressu vtitur tardiori; ad supplicium autem occisoris Abelis iusti, non pergit molliter, sed repentè apparet.*

Deliquit Adam aduersus Numen. An currit Dominus primum hominem delinquentem, ac piaculorum magistrum puniturus? *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Gen. 3. Cur inambulans ad auram obiicitur. Pulchrè Abulensis, *Ambulat Deus ad auram, id est contra auram. Qui contra auram, seu ventum mouetur, tardius mouetur. Sic enim Dominus ad puniendum peccatum primorum parentum tardus veniebat.* Profectò vt Cainum puniret alatus obiicitur. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus?* Gen. 4. Vix perficitur homicidium, & Deus puniturus homicidam non venit, sed apparet, Certè cum Diuus Abel vulneratur, supplicium illicò indicitur homicidæ: *Maledictus eris super terram,* &c.

Gen. 3. Abul. Gen. 4.

54. *Villicum expectat in Deū delinquentem: piratas innocentium Diuorum hostes illicò sine dilatione punit.*

Deliquerat sæpè in Dominum villicus, nec tamen vulneratur. *Vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare.* Luc. 16. Etiam post audita villici crimina adhuc expectat, & tempus illi concedit, quo possit cum aliis debitoribus pacisci. Qui autem ita tardus obiicitur ad puniendum villicum, ore Iobi clamauerat ex LXX. lectione apud D. Hieronymum ad cap. 6. Oseæ. *Non est dilatio piratis.* Est dilatio supplicij Dei interfectoribus, & piratis dilatio non est? Illicò piratæ puniendi? Quinam piratæ? Certè qui nauali certamine eos persequuntur, qui haud vlli nocentes per æquora diriguntur ad portum. Qui teste Hieronymo typum gerunt hostium Ecclesiæ, à quibus Diui innocentissimi acri afficiuntur persecutione. *Non est*, inquit, *dilatio piratis. Quamuis enim præsenti sæculo se iactare videantur, & conturbare aquas, & operari vana, & exercere* contra iustos *piraticam artem: tamen non est mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendet.* Nam qui proprias iniurias segniter punit, iustorum illicò vulneratores addicit exitio.

Luc. 16. Hier.

SECTIO SECVNDA.

Digni inuitati.

TEXTVS.

VERS. 8. TVnc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. 9. Ite ergò ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad Nuptias. 10. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos: & impletæ sunt Nuptiæ discumbentium. 11. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes; & vidit ibi hominem non vestitum veste Nuptiali. 12. Et ait illi. Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem Nuptialem? At ille obmutuit 13. Tunc dixit Rex ministris, ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. 14. Multi enim sunt vocati pauci verò electi.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Gentium vocatione.

1. *Indigni Iudæi.*

NVPTIÆ *paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt, digni.*] Præparatum erat conuiuium Euangelicum, aduocati fuere primum Iudæi, indignos verò se præstitere, dum renuerunt interesse epulo Nuptiali. Iudæos ergo supplicio affecit inurbanos, homicidas: Gentiles ad epulum aduocauit. Dixit ergo seruis suis, seu Euangelij promulgatoribus,

Nuptiale conuiuium paratum est, Iudæi, se se indignos exhibuere; ite igitur, Gentes omnes sine vllo discrimine aduocate. Nulla adsit tam dissita longè Natio Gentilica, quæ præconum Euangelicorum voces non exaudiat.

2. *Gentiles inuitantur.* Ansel'm. Remig. Hilar.

Ite ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad Nuptias.] Ad orbis exitus accurrite, vsque ad orbis extrema pergite, Gentiles omnes ad Nuptias aduocate. Anselmus, & Remigius, *Viæ sunt errores Gentium.* Chrysostomus, *Viæ sunt professiones huius mundi, & philosophia, & militia, & huiusmodi. Iubet ergò cuiusque conditionis homines inuitari ad fidem.* Hilarius *Via, tempus seculi.* Gregorius, *Viæ, actiones: exitus, defectus: Plerumque enim facilè conuertuntur, quibus prosperè non succedit.* Interlinearis, *Quoscumque inueneritis. Id est, cuiusque conditionis.*

Hilar. Gregor. Interl.

3. *Boni, & mali adducuntur.*

Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos.] Serui à Rege immissi, hoc est Euangelij promulgatores in exitus viarum, siue in urbis exitus, atque fines profecti sunt, omnesque ad Nuptiale epulum inuitarunt, tam bonos, quam malos. Anselmus, *Sicut Ecclesia inter cælum & infernum est, indiscretè bonos, & malos, colligit.* Hieronymus *bonos* explicat ad virtutem faciliores: *malos* autem procliuiores ad vitia. *Boni sunt virtutibus dediti: mali autem qui videntur proclines ad vitia.* Gentilium describuntur ingenia. Quidam enim facilius ad virtutem alliciuntur, quidam difficilius vitia detestantur.

Hieron.

4. *Impletur domus conuiuiis*

Et impletæ sunt Nuptiæ discumbentium.] Impleta est conuiuis discumbentibus domus, hoc est, impleta est Christianis Ecclesia, per Apostolos, Christique Discipulos aduocatis. Anselmus, *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam.* Imò & Christiani qui non erant ad vitam præordinati, crediderunt, & ad conuiuium ingrediuntur; attamen ex vestis Nuptialis defectu fuere exturbati: *Bonos, & malos.*

Anselm.

5. *Obiectioni occurritur.*

Particulam *Ad exitus viarum* nonnulli vertunt, *διεξόδους*, id est, *compita.* Sic Biblia Regia. Sunt autem compita loca, quæ per diuersas adeuntur vias; cuiusmodi sunt triuia, & quadriuia, in quæ plures viæ exeunt. Ad hos ergo exitus viarum serui mittuntur, vt multos iter facientes per multas vias aduocent. Porrò asseruntur hi serui egressi *in vias*, non in exitus viarum: ergo vel serui Regi non paruerunt, vel Rex in vias ire præcepit, non *in exitus viarum.* Respondeo nomen Græcum illud significare transitum, decursum, exitum: misisseque Regem seruus in exitus viarum, id est, in vias, per quas à Ciuitate incolæ exeunt: vel in vias, in quibus est exitus incolarum, transitus, & decursus hominum transeuntium, & exeuntium.

§. II.

De inuitati in tenebras immissione.

6. *Quinam est ille non indutus veste Nuptiali?*

I*Ntrauit autem Rex, vt videret discumbentes.*] An omnes, qui ad Ecclesiam vocantur, salutem consequuntur æternam? *Multi sunt vocati*, &c. Rex igitur ingressus est conuiuij domum, vidit autem inter conuiuas mensæ hominem accumbentem, qui veste nuptiali carebat. *Amice*, inquit, *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Ille autem quemadmodum veste, sic etiam iusta carens excusatione *obmutuit.* Quinam homo hic veste Nuptiali minimè indutus? Certè Christianus, qui existens in Ecclesia, fidem habet emortuam, & charitate caret, quæ vestis Nuptialis appellatur, fauente D. Gregorio hom. 38. in Euang. & D. Augustino lib. ad Donat. post Collat. cap. 20. *Illi*, inquit, *non habent vestem Nuptialem, hoc est, fidelissimam sponsi charitatem, sua quærentes, non quæ Iesu Christi.* Mos conuiuis, vestibus indui cœnatoriis: Huiusmodi vestis hic vestis Nuptialis appellatur, quia in Nuptiali conuiuio omnes linteis amicti accumbebant. Num mos hic apud Iudæos extiterit, si requiras: dubius hæret Barradius, & alij, quibus adhæreo, Neque enim Romanos mores Iudæis tribuere oportet. At quia vulgaris erat Romanorum vsus inter Iudæos commorantium, Christus de Gentilium vocatione disserens, Gentilium memorat apparatum.

Gregor. August.

Mos conuiuantium.

7. *Quænam tenebræ.*

Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.] Quænam *exteriores tenebræ*? Tenebræ carceris. Mittite eum in tenebrosum carcerem, qui extra domum est conuiuij, & extra hominum consortium. Ibi propter vincula erit fletus; & stridor dentium propter frigus. Indicat autem carcer hic tenebrosus & exterior extra domum conuiuij cœlestis, & extra anni, solisque vias tartarum constitutum. Quidnam autem Regis ad videndos conuiuas ingressus? Dei indicat circunspectionem, qui Christicolarum omnium in conuiuio Ecclesiæ recumbentium opera omnia, virtutes, ac piacula nouit: præmio afficit, aut supplicio.

De ingressu Regis.

8. *In vno illo improbo electo reprobi signantur.*

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.] An non vnus tantummodo ex inuitatis in tenebras eiicitur è conuiuio? Ergo aptius appositum esset, Multi sunt vocati, pauci verò eiecti: quam pauci electi; si quidem vno eiecto, omnes alij eliguntur. Profectò vnus è conuiuio eiectus multitudinem significat improborum. Hieronymus, *Vnus iste omnes, qui sociati sunt malitia, intelliguntur.* Augustinus lib. ad Donatist. post Collat. *Dominus in eodem ipso vno, quem, ex conuiuio proiici iussit, multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in conuiuio Dominico viuunt, significare non distulit. Nam postea quam dixit: Ligate illi manus, & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium: continuò subiunxit: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quomodo hoc verum est cum potius vnus è multis fuerit proiectus in tenebras exteriores, nisi quia in illo vno grande corpus figurabatur omnium malorum, antè Domini iudicium conuiuio Dominico permixtorum?* Beda, *Vnus omnes designat, qui in malitia sunt sociati.* Strabus, Gregorius, & multi alij consentiunt.

Hieron. August. Beda Strab.

9. *De quibus vocatis sermo.*

Quæras, de quibusnam vocatis sententia hæc sit intelligenda: *Multi sunt vocati?* An de solis Christianis qui vocati à Deo ad Nuptiale conuiuium Ecclesiæ, vitam in Ecclesia duxerunt: an de iis etiam vocatis, qui venire noluerunt ad Nuptias scilicet de Iudæis? De Christianis intellexit Origenes hom. 20. in Matth.

Origen.

Si

Si quis consideret multitudinem hominum, quæ in Ecclesiis congregantur: & discusserit, quanti sint, qui conuersantur disciplinatè: quanti autem negligentissimè conuersantes configurantur huic sæculo: videbit quod verus est sermo Domini dicentis, Multi sunt vocati, pauci verò electi. Haymo, *Multi sunt vocati per fidem, sed pauci sunt electi, qui ipsam fidem bonis operibus adornent.* Druthmarus, *Multi sunt vocati, pauci verò electi de Christianis dictum est, qui per fidem & Baptismum vocati sunt.* Lyranus, *Multi sunt vocati ad fidem catholicam, pauci verò sunt electi ad gloriam.* Hærent Carthusianus, Montanus, & alij multi. Sic subscribens expendo sententiam. Vocati sunt multi, impletæ sunt Nuptiæ discumbentibus: ex his multis eiectus est vnus significans multos eiiciendos. Ideoque Christus concludit: Multi sunt vocati ad Nuptias, veneruntque vocati, vti hic qui est expulsus: pauci verò electi ex his, qui venerunt, id est, ex Christianis.

Haymo. Druth. Lyran. Carthus. & alij. *Authoris sententia.*

Moneo tamen, haud Christum dixisse; Multi enim sunt, qui venerunt ad Nuptias, seu qui accubuerunt mensæ; sed, *Multi sunt vocati.* Vocati autem sunt non solum illi, qui ad Nuptias venerunt, sed etiam illi, qui renuerunt venire, quos Rex supplicio affecit. Potest igitur locus exponi non solum de Christianis, qui ad Nuptias vocati, ingressi sunt: sed etiam de Iudæis, & ethnicis, quos Deus vocauit, & hodie vocat, sed venire recusant. Sic Iansenius, Isidorus Clarius, Saa, Barradius, & alij. Ad Nuptias venire, idem est quod credere? An credere sufficit? Minimè planè; nam qui venit ad Nuptias, id est, qui credidit: quia tamen veste carebat Nuptiali, id est, non rectè operabatur iuxta vocationis prætextum, in tartari tenebras detruditur.

10. *Vocati sunt ad Nuptias etiam qui venire renuerunt.* Iansen. & alij. *An sufficiat ad Nuptias venire?*

IN IESVM LOCVTVM In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM,

Ex Dignis inuitatis.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad Nuptias, &c.

Rex cœlestis nullum excipit à conuiuio, omnes iubet indifferenter adduci.

Innuens, dedecere Principem ostendi personarum acceptatorem.

11. IVBET Rex cunctos vocari ad Nuptiale conuiuium. At serui *congregauerunt omnes, quos inuenerunt malos, & bonos.* Anselmus. Adducite, inquit Dominus, aut saltem *vocate omnes cuiuscumque conditionis sint.* Rex cœlestis se se personarũ acceptatorem minimè esse, manifestat. Subditi conqueruntur, Respublica pergrauatur, quoties Præsules personarum ostentantur acceptatores.

Anselm.

12. *Nullus existimet specialiter ad se immissum Euangelicum inuitatorem, ad omnes est missus à Rege cœlesti.*

Monet Iacobus. *Fratres mei, nolite in personarũ acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.* cap. 2. Idest, nè suspicemini, ad vos specialiter inuitandos ad fidei conuiuium, immissos fuisse Regis cœlestis famulos Euangelij promulgatores; ad omnes indifferenter immissi fuere. Rex enim cœlestis haud personarum acceptator est. D. Thomas, *Nolite credere, quod Dominus noster glorietur in personarum acceptione; ipse enim contrarium fecit, qui non est personarum acceptor.*

Iacob 2. D. Thom.

Immissus seruus Regis Ionas, fuit ad viarum exitus, à finibus Iudææ ad Gentilitatem, vt quoscumque inuenisset, ad fidei epulum inuitaret. At ipse curauit Iudææ finibus contineri. Rex Ionæ: *Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me. Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Nauem scandit, tempestas oboritur, sortes mittuntur, ipse Ionas proclamat, *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis; scio enim ego, quoniam propter me tẽpestas hæc grandis venit super vos.* c. 1. Cur Ionas obruitur? Quia Regem immittentem eum ad inuitandos Gentiles curauit peculiarem facere Iudæorum. Pulchrè Chrysostomus hom. 7. in epist. ad Rom. *Regi iniuriam facit, qui eum singularium hominum Regem facit, & non omnium: fuissetque obruendus fluctibus Ionas, qui Deum non Regem omnium gentium, sed Iudæorum tantum esse voluit.*

13. *Ionas obruitur, quia missus ad inuitandos Gentiles ad epulum solum curauit inuitare Iudæos.* Ion. 1. Chrys.

Illustro ex Plutarcho lib. de pietate erga frat. *Fuit quidam Græcus Agesilaus, à populo mulctatus, quod muneribus publicos Magistratus recenter creatos, sibi peculiares redderet.*

14. *Præsul omnibus.* Plutarch.

An non Paulus seruus Regis immissus ad viarum exitus, ad Gentiles inuitandus? Ita planè. Fatur ipse, *Potentia quidem est Dei ad salutem omni credenti.* Quia scilicet Rex iubet, nos omnes vocare ad conuiuium. Adiicit tamen, *Iudæo primum, & Græco.* Roman. 1. *Primum Iudæo?* Iudæus Græco præponitur? Ergo serui non indifferenter aduo-

15. *Seruus immissus ad inuitandos indifferenter extitit. An sic Paulus?* Rom. 1.

cant quoscunque inueniunt; sed erga Iudæos speciali feruntur affectu. Deum ergo Regem cœlestem acceptatorem personarum exponunt. Respondet bellè Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Rom. *Quid hæc sibi vult differentia? At qui persæpè dixit, quod neque circumcisio, neque præputium quid quam faciunt: quomodo hic distinguit Iudæum Græco præponens? Quid tandem esse potest? Neque enim quod primus sit, maiorem accipit gratiam; idem enim donum, & huic, & illi datum est. Verum ordinis dumtaxat honos est verbum id primum. Neque enim superiores partes obtinet, quod maiorem iustitiam acceperit: Sed in hoc solum honoratur, quod primus eam acceperit; quandoquidem & in eorum, qui illuminantur, numero omnes quidem ad Baptisma accurrunt: non omnes autem eadem hora, sed hic primus, ille secundus; neque hic plus eo, qui post eum accedit: verum eadem omnes assequuntur. Igitur hoc loco* primum, *verbi honos est, non gratia abundantia.*

16. *Paulus suã indifferenter legationem indicit.* Rom. 1. Chrysost.

Profectò qui ad Inuitandas omnes Gentes fuerat à Rege immissus, sic suam indifferentem aperit legationem: *Quo fructum aliquem habeam inter vos quoque, quemadmodum & inter reliquas Gentes.* Rom. 1. Quod eleganter expendit Chrysostomus citat. *Neque enim hoc nomine, quod diuites, quod estis, ô Romani, præstantiores estis, minus studij erga reliquos præstamus: cum non ipsos diuites, sed eos tantum, qui fidem suam Christo addixerunt, quæramus. Vbi obsecro nunc sunt, quos Græcia sapientes habuit, &c. Euangelij prædicatio* (ad Nuptiale inuitatio conuiuium) *communis omnibus a Paulo proposita est; quæ quidem nec dignitatis differentiam, nec generis excellentiam, nec aliud quidquam id genus nouit; sola enim fide opus est, non Syllogismis. Id quod Regis Dei maximè prouidentiam arguit, sua omnibus communia proponentis. Quod enim in Sole, ac Luna, in terra, ac mari, cæterisque omnibus Deus fecit: non diuitibus quidem, ac sapientibus plus partiens, maioremque copiam faciens: sed æqualem omnibus vsumfructum proponens: id & in ipsa, quam dico, Euangelij prædicatione* (inuitatione quidem ad Nuptias) *fecit. Quapropter & Paulus* (seruus immissus à Rege ad inuitandum) *assiduè ait: Omnibus Gentibus.*

17. *Omnibus datur potestas inueniendi conuiuium.* Ioan. 1. Beda.

Premo particulam, *Quoscumque inueneritis.* Id est, quicumque ad fidem aduocati responderint, adducentur ad epulum mysteriorum. *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* Ioan. 1. Eis? Quibusnam, precor? *Quotquot autem receperunt eum.* Vtique in seruis inuitatoribus. Beda adnotat hisce significari, nullam personarum rationem Regem cœlestem habuisse; *Sed omnes qui se recepissent, siue Iudæi, siue Græci, siue Barbari, siue liberi, siue serui essent; filios Dei effecisse. Quia non est personarum acceptor Deus* Rex. Vndè seruus Paulus ad exitus viarum immissos vt omnes inuitaret ad epulum Nuptiale proclamat: *Omnis, qui credit in eum non confundetur; non enim est distinctio Iudæi, & Græci Nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum, non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina.* Rom. 3.

Rom 3.

18. *Famuli inuitantes,*

De Euangelij ministris, à Rege immissis ad inuitandos indifferenter homines ad conuiuium illud expendo: *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium.* Cant. 4. Quidnam hortorum fonti cum seruis immissis ad inuitandos quoscumque inuenerint? Audi Ambrosium lib. de Isaac & anim. cap. 4. *Exuberat, vt haurire eam cominùs, & rigare eius affluentia possis hortum fructibus abundantem: Sic enim omnibus patet absque acceptione alicuius. Aliud namque est aduertendum, quod sicut in horto ad omnes æquè areolas riuulus derinatur: sic ad fidem, & omnia gratiæ bona omnes fideles ex æquo admittuntur, nullo penitus excepto.* Ministri igitur tui ô Rex ad sacrum epulum inuitantes, *erunt sicut fons, cuius non deficiunt aquæ:* Sed omnibus haurientibus patent, ac præsto adest, Isa. 58.

Fons ministri Euangelici sicut fons hortorum omnia germina irrigans. Cant. 4. Ambros.

Observat. II.

Ad illa verba:

Egreßi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos: & impleta sunt Nuptiæ discumbentium.

Impletæ sunt Nuptiæ & bonis & malis inuitatis.

1. *An congregatio vlla in terris, quæ socios improbos non contineat?*

19. *Societatis Iesu præscriptum dimittendi socios discolos commendatur.* Hieron.

Regia aula bonis & malis inuitatis impletur, eis scilicet (loquor cum Hieronymo) *qui procliuiores ad vitia & eis, qui ad pietatem promiores.* Miraris Regiam aulam excipere reprobos? Certè non excipit retinendos, sed exturbandos. Haud Communitatis opprobrium sanctæ habere improbos socios, si comperiente Præsule iniquitatem, datur òpera dimissioni. Hinc Societatis IESV præscriptum de dimittendis his, qui Regulari perfectioni non hærescunt, laudibus efferendum expono.

20. *In hæreditate Domini zizania: quia Ecclesia in medio cœli, & inferni.* Matth. 13.

Patri familias serui retulere: Nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vndè ergò habet zizania? Inimicus homo hoc fecit. *Vis imus, & colligimus ea? Non, ne colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* Erit vtique quando zizania extirpentur à fundo Matth. 13. An decus Dominicæ hæreditatis zizania tritico commisceri? Minimè, si demum adest Domino studium ad extirpanda noxia germina: *Tunc dicam messoribus,* &c. Necessum est bonos improbis commisceri in Ecclesia, seu in sancta Communitate? Audi Haymonem hom. de Virgini. *Boni soli nusquam sunt nisi in cœlo: mali autem nusquam soli sunt nisi in inferno. Hæc autem Ecclesia, quæ in medio consistit vtriusque partis ciues recipit.* Tritico enim exitialia germina admiscentur; sed ab hæreditate eradicanda, extrà fundum dimittenda.

Haymo.

21. *Iudas nõ indutus Nuptiali veste adest conuiuio, sed exturbatur in tenebras.*

Apud Nuptiarum augustissimam aulam Collegium Apostolicum Iudas vnus aspicitur non indutus Nuptiali vestimento, & permittitur accumbere, & indignè absumere ex epulo

buccel

buccellam. Certè non deturpauit Nuptiarum sacerrima mysteria, qui à Rege sollicito exturbatur ex aula, & in tenebras mittitur: *Continuò exiuit*, vt scilicet *abiret in locum suum*. Integrum expendo testimonium. *Cum ergò accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Cum ergo exisset, dixit* IESVS: *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Ioann. 13. Clarificatus vtique deturbato in tenebras Nuptialis mensæ violatore, & zizaniis à tritico separatis. Nam dum adest cura Præsuli deturbandi zizania ex hæreditate clarus obiicitur, sacerque cœtus nullo dedecore affectus ostentatur. Augustinus *Exeunte immundo omnes mundi cum* IESV *manserunt, velut triticum zizaniis separatis.* Preme τὸ *Nunc clarificatus est* IESVS. An *nunc* clarificatur, quia antea obscurus erat? Minimè, sed *nunc* clarificatum esse asseritur, cum Iudæ flagitium apertum exturbatione vindicatur. *Nunc* agnosci incipit Iudæ iniquitas, sed non afficit dedecore Collegium IESV, quia *nunc* cum agnoscitur iniquus à IESV Societate deturbatur. Neque enim afficit ignominia communitatem prauus socius, qui cognitus iniquus & communitati ineptus mox (si spes correctionis non adsit) ex Nuptiali aula dimittitut.

Ioan. 13.

August.

Clarificatur Iesus, cum iniquus socius dimittitur.

22\. Retinet IESV socium amaritudine peccatorum felle potantem communitatem. Semel & acetum degustat, verum vinum acescens valeat medicamentis reformari. Certè si iam omninò in acetum conuersum Dominus experitur, ex ore emittit, mero solum exhausto, Domino suffigendo offertur vinum cum felle admixtum. *At cũ gustasset, noluit bibere*, Matt. 27. Excepit planè Dominus ore poculum Num os sacerrimum immundum apparet, quod excepit felleum poculum? quod peccatorem Discipulum, quod socium improbum admitteret? Cèrte si ad pectus traiiceret degustatum, si repertum indignum, qui visceribus IESV concorporaretur, retineret Dominus, ignominia afficeretur iustorum Communitas. At nulla nota, vbi acetum degustatum illicò ex ore dimittitur. Chrysostomus hom. 2. de Resurr. Acetum quoque amaro felle propinasti commixtum IESV. *Ille tamen accepit, non quod biberet, sed quod potius reprobaret. Denique gustauit merum tuum, & amputauit fructum tuum.* Liceat obsecro socio IESV Ducis mei spiritum vulgari idiomate explicare: *Recibe el licor* IESVS, *y en conociendo despues de muchas probaciones que es vinagre, no le en corpora en su Compañia, ante arroja fuera.*

Haud inficitur os Domini, dum accipit acetum, quod non traiicitur, sed cognitum emittitur.

Matth. 27.

Chrysost.

23\. Ad IESV Societatem Simon Magus accedit. *Tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Act. 8. Petrus tunc IESV gerens personam curat poculum degustare, an oporteat, ad IESV societatis pectus traiici, an ex ore dimitti. Post probationem ergo fatur societatis IESV Præpositus: *In felle amaritudinis, & obligatione peccati te video esse.* Ibid. Ita nè? Protinus dimittitur à societate. Aptè Tertullianus lib. de Idolol. *Patientia Dei traxit magos ad Euangelium vsque. Nam & Simon magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem venundaret, maledictus ab Apostolis de fide eiectus est.* O quam splendens Collegium IESV extollit caput post praui socii eiectionem, post dimissorias literas conuiuæ traditas indigno!

Simon Magus admittitur ad Societatē Christi: sed cognitus esse acetū non incorporatur, sed emittitur.

Act. 8.

Tertull.

Iudæi societati IESV addicere curant latrones, vt eius famam, deturparent. Vndè Isaias fatur, *Et cum iniquis reputatus est* cap. 53. suffigitur Christus, & clamat, *Sitio*. At illi aceto Dominum potauere. Ioan. 20. Vbi Augustinus ad illud Psal. *Cucurri in siti*, asserit vtrumque latronem datum fuisse in poculum IESV; qui quidem liquore degustato, latronem vnum traiecit in pectus, alterum autem ex ore dimisit. Chrysostomus hom. de cruce. *Latrones sociarunt Iudæi Christo, vt macularent Domini passionem.* Maculaueruntne? Si malus latro ad pectus Christi fuisset traiectus, dùm acetum erat: nescio quid notæ IESV. At emisso ex ore iniquo socio, Christi amplius gloria rutilat.

24\. *Nullum opprobrium Iesu ex malo latrone societate quia gustatum illicò ex ore emissum.*

Isa. 53.

August.

Chrysost.

OBSERV. III.

Ad illa verba:

Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste Nuptiali.

Solus Rex vidit hominem veste Nuptiali non indutum, ministri, socijque conuiuæ non viderunt.

Ad solum etenim Regem, seu Præsulem attinet, subditorum defectus aspicere, vt corrigant.

25\. REx vidisse hominis nuditatem asseritur, non ministrantes mensæ, nõ conuiuantes socij. Nam si vidissent, proculdubio impudentem illum à Nuptiali epulo deturbassent. Cur non simul Dominus taxauit sociorum ministrorumque incuriam haud notantium nudi hominis indignitatem? Profectò quia commendabile est, subditos aliorum defectus non attendere. Suis actionibus rusti subditi perficiendis, aut corrigendis studeant: sociorum minimè actiones obseruent, vt reprehendant; quia solius Præsulis est, subditorum actiones aspicere, & notare, vt possint dare operam correctioni. Viderant illum socij conuiuæ, sed internam conscientiæ non agnoscebant nuditatem. Soli enim Præposito licet introspicere subditorum actiones.

26\. De Othoniele Hebræorum Iudice Textus ait, *Fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel.* Iudic. 3. Chaldæus sic: *Mansit super eum spiritus, seu oculi prophetiæ, & iudicauit Israel.* Præsuli dantur oculi videntes hominum interna? An non dum subditus erat Othoniel eisdem luminibus ornabatur? Minimè. Subditum enim dedecet sociorum annotare piacula. Tunc oculis propheticis donatur, cum Iudex eligitur, vt possit ex exterois actionibus internam animi nuditatem aut ornatum arguere.

Dum quis eligitur Præsul, à Deo donatur spiritu videndi vel internum affectũ subditorum.

Iudic. 3.

27\.
Nos senes subditi habeant oculos ad videndũ, & interpretandum sociorum actiones: soli Præsules videant, & diuinent affectum.
Num. 11.
Oleaster.

Septuaginta seniores Moyses elegit ad populi gubernationem. Addit Textus, *Cumrequieuisset in eis spiritus, prophetauerunt.* Num. 11. Planè spiritus sapientiæ & intellectus, quos quidem Augustinus Regis cœlestis geminum oculorum luminare vocitauit. An non senes subditi lumina oculorum antè electionem habebant? Ita planè sed non prophetica, non Dei lumina æmulantia ad internam conscientiæ ex actionibus externis vestigationem. Omnes subditi sociis apparent induti, solus Præsul internam agnoscit subditi nuditatem. Oleaster pulchrè, *Datur*, solis *Rectoribus ille prophetiæ spiritus, vt interna prænoscant. Munus Principum est, diuinare, vt prouideat malis.* Nec senibus subditis datur munus diuinandi, ex actionibus, ex verbis, ex vestitu sociorum, quibuscum commorantur, non audeant diuinare internam animi nuditatem; nam diuinatio, ac introspectio huiusmodi solis Rectoribus addicitur, vt malis valeant prouidere.

28\.
Solus Ioseph Prorex diuinat, & viri Rectores, circa actiones, subditorum,
Gen. 44
Caiet.

In sacculo Beniamini olim scyphos inuenitur. At reuersis ad Iosephum sic Prorex affatur: *Cur sic agere voluistis? An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Gen. 44. In Hebræo, *An non nostis, quod diuinando diuinat vir sicut ego?* Quæritur, an particula *Vir* sonat indifferenter omnes viros tam Præpositos, quam subditos? Respondet Caietanus, intelligendam esse particulam *Vir* solummodo de Præfectis, aut Principibus suorum subditorum circa actiones. Soli enim Præsules decet circa subditorum actiones diuinare: dedecet quidem viros subditos. *Non sunt verba præferentis se omnibus, sed dicentis communem esse diuinationem sui similibus. Modestè eloquitur, quod Principibus solis, qualis ipse, non deest diuinatio, Diuinando*, ait, *diuinat vir sicut ego.* Id est, omnibus Præsulibus commune est circa subditorum actiones diuinare. Scyphum omnes too in sacculo aspiciunt; potuit aut sine piaculo abscondi, aut malitiosè deportari. Ægyptij cuncti aspicientes diuinare non possunt, seu introspicere conscientiæ innocentiam, aut innoxietatem. At ego Prorex & possum, & teneor subditorum actiones examinare, & quasi ex circumstantiis diuinare, an inique exponantur.

29\.
Deus Rex cœlestis Caini ex externa tristitia colligat interna piacula, non colligant subditi.
Gen. 4.
Adam.
Procop.

Cain ex inuidia tristitia afficitur. Cui Deus, *Quare tristis es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies, sin autem malè, statim peccatum tuum in foribus aderit?* Gen. 4. Tristitia illa, & capitis inclinatio indifferens planè ad probum, seu ad improbum affectum. Solus Rex cœlestis præcordij examinat intentionem, & agnoscit animi iniquitatem. Asseruit Adamus, Deum ostendisse Caino internam animi passionem, vt Regi summo corda aspicienti humilius responderet, promptius obediret. At Procopius affirmat Præsules ideo à Deo accipere peritiam ad intentiones subditorum aperiendas, vt eos omnes obtemperatiores habere possent. *Par enim fuit.* (inquit epist. in Isai.) *eos, qui aliis præerant, interna conspicere quodammodo, vt subditos haberent obtemperantiores. Tunc enim subditi obediunt promptius cum in superiore maius humano quoddam, diuinumque suspiciunt.* Datum solis Præsulibus, subditorum discutere intentiones, & ex actionibus externis arguere præcordiorum affectum. Cur subditi audent temerè sociorum ad cedri medulam pertingere, dum à Deo cum munere non acceperint illam luminum acuitatem, qua Præfecti à Domino donantur. Aiebat opportunè Ausonius, *Principibus data est à Deo vis subditorum corda videndi: & ex visibilibus gestis animi vulnera indagare, aut præsumere sanitatem.*

Auson.

Observ. IV.

Ad illa verba:

Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes.

Conuiuij locum Rex init, vt sollicitudinem erga subditorum actiones, & prouidentiam, quæ Præsules decet, ostendat.

Agnata est enim Regibus sollicitudo, vigilantia, ac prouidentia circa subditorum commoda, & iniquorum supplicia.

30\.

DVm parat conuiuium, & immittit seruos ad conuiuas adducendos Rex homo vocatur; cum autem vigilans locum init conuiuij, & singulas subditorum notat actiones, Rex solummodò appellatur: *Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes.* Quam regia est erga subditorum actiones sollicitudo, & vigilantia!

31\.
Adamus Rex dum somno premitur, mysticè subito totius ruina Regni ansam
Gen. 2.

Rex Adamus à Deo Princeps animantium exsurgit, somno tamen pressus deses coniacet. *Immisit Deus soporem in Adam* Gen. 2. Tunc è latere Principis Eua procedit, ipsius parentis ad ruinam. Quis crederet somnum dulcem Principi pariturum exitium (ait acutè Cõstantinus Manasses) id affirmatem dum video Principem dormientem, qui quidem subditorum animantium commodis deberet inuigilare. *Adamus somno acerbissimo sopitus est, somno, qui fuit initium euersionis, & omnia perdentis inuidia. Costam eius dormientis attigit ipse conditor, accepit hanc, formauit inde mulierem. Itaque de puluere conditus Adamus homo ille Princeps Euæ matris prima pater respectu costæ factus est.* O hominis exitium! ô humani generis communis clades fœmina! Vnde nam exorta obiiceris? Profectò ab vnico Regis somno mystica apparet Regni ruina.

32\.
Dormientes Reges Regno priuantur, vigiles vincunt, & ablato Regno potiuntur.
Dan. 4.
Richard. Vict.

Nabuchodonosor somno pressus Regni vidit exitium. *Videbam in visione capitis mei super stratum meum, & ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit, clamauit fortiter, & sic ait: succidite arborem.* Dan. 4. Dormiens Regno priuatur, *vigil* eum deturbat à Regno? Imperia fugiunt ad vigiles protegenda, & à dormientibus Principibus recedunt. E somno Rex surgit, conat Regno imminentia pericula propulsare. Sero euigilat post Regni ruinam, qui, nè corrueret Imperium, debuisset minimè indulgere sopori. Richardus Victor. lib. 1. de Erud. interi. hom. cap. 5. *Tarda quidem nimis sera prouidentia est, cum iam imminens periculum vitari non potest.* Cur non potest periculum vitari?

An non Regem obdormire, idem est ac imperium euerti? *Deus magnus* (adiicit) *ostendit Regi, quæ futura sunt postea. Felix ille, qui imminentem ruinam præuidere potest, dum adhuc Rex est.* Dormiens Rex infallibile audit euertendi imperij vaticinium, quia iam quodammodo arbor erat excissa. O fælicem Regem qui dum Rex est, seu ante extremam imperij ruinam, à somno expeditur, & imminentem ruinam præuidens, curat subditorũ cõmodis prouidere tributorum ineuitabilium (ex sumptuum exigentia) multitudinem ad vnam facillimam, iuxta singulorum substantiam, contributionem.

33. *Rex velut pastor, debet à somno fugere.* Gen. 31. Synes.

Aiebat Iacobus socero, *Fugiebat somnus ex oculis meis.* Gen. 31. Probo pastori agnatum est vigilare ouium commodis? Existima Regem esse pastorem. Audi D. Synesium de Regno. *Qui laborem, & molestiam perferre vult nè quid ipsis molestum sit qui pro illis periclitatur, vt in pace, & securitate degant, quique vigilare, & in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet: vt noctu & interdiu subditis malis omnibus vacent. Hic in genere quidem ouium pastor, in hominum vero genere Rex est.* Quam ergo Iacob pastor sollicitudinem erga oues ostentabat, Rex erga subdito debet exhibere.

34. *Rex vel dormiens ex natura exigentia, debet de Republica commodis somniare.* 3. Reg. 3. Procop.

Somno indulgens Salomon sic pro commodis Regni Dominum deprecatur: *Dabis seruo tuo cor docile vt populum tuum iudicare possit.* 3. Reg. 3. Probus Rex etiam cum somno premitur vt naturæ fragilitati morem gerat, debet de Reipublicæ commodis somniare. Procopius, *Par fuit eos, qui aliis præerant in humanarum rerum statu,* (seu in ipsa humanæ naturæ fragilitate, nempe somno) *futura conspicere.* Id est, de futuris commodis subditorum velut vigiles aspicientes, disserere.

35. *Dormientes Rectores velut nõ sunt: & Respublica quasi non est.* Iudic. 21. Rupert.

Certè dum dormiunt Præsules, id est, desidia circa subditorum gubernationem afficiuntur, ipsi quasi mortui, quasi non sunt: & ipsa Respublica quasi mortua, quasi non est. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Iudic. 21. Asserit apprimè Rupertus tunc nec Regem, nec Regnum Israelis fuisse. Quonam modo precor, si Regem tunc temporis esse & Israeliticum constat imperium? Equidem quia Rex ille dormiens Regni commodis, nec curans subditorum profectus, quasi mortuus erat, quasi non erat: & Regnum redactum in nihilum videbatur. *Qui in diebus illis* (ait Pater) *iudicabat Israel, etsi secundum nomen, personamque aliquid erat: secundum rem, meritumque nihil erat.* Quia deses circa Reipublicæ commoda Dormiente Rege, Regnum dormiat necesse est. Quasi mortuus qui dormit? Mortua est quodammodò Respublica, haud vigilante Rege.

36. *Dormientes Rectores videntur esse, sed nõ sunt: & Regnum tunc quasi verè nõ est.* Dan. 13. Hieron.

Daniel profatur, *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum.* cap. 13. Preme, *Videbantur regere.* An non verè regebant? Minimè, quia dormientes, siue desides ipsi nihil erant: & Regnum non verè, sed existere solummodo videbatur. De dormientibus Rectoribus Hieronymus, *Rectè de Presbyteris peccatoribus, & desidibus non ait: Qui regebant populum: sed Qui videbantur regere. Qui enim vero præsunt populo, regunt populum: qui autem nomen habent Iudicum, & negligenter præsunt populo, regere videntur populum magis, quam verè regere.* Quoniam nec ipsi verè adsunt, nec Regnum verè existit. Corruit etenim, & quasi in nihilum redigitur Respublica, Rectore dormiente.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem Nuptialem.

Iniquum hominem, imo iniquorum cœtum Rex cœlestis vocat amicum.

Vrbanitas enim erga subditos etiam iniquos, Principibus agnata: quos debent cuncti Præsules imitari.

37. Hieron.

PEccatorem tartaro addicendum, quarè Dominus vocat amicum? Respondet Hieronymus, *Amicum vocat, quia erat inuitatus ad Nuptias.* Inuitati ad Nuptias idem est, ac ad Domini cœlestis Regis pertinere ditionem. Subditus est? Rex loquitur subdito? Ergo vrbanis verbis, etiam cum reprehensioni dabit operam vtetur. An deceret Regem proclamare: *O inique, quomodò huc intrasti, non habens vestem Nuptialem?* Agnata est Regi vrbanitas etiam erga subditos delinquentes: vulnerentur iniqui, sed verba mitia & vrbana nunquam non exaudiantur.

38. *Rege vrbano, captiuitas fit tolerabilis.* Iudic. 3. Abul.

Addiderunt olim *filij Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortauit aduersus eos Eglon Regem Moab. Seruieruntque filij Israel Eglon Regi Moab decem & octo annis.* Iud. 3. Post tam diuturnam seruitutem *postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod.* Quæris, cur tandiu siluerint Israelitæ? Abulensis asserit eiius clamauisse seruitute pressos, sed tardius exauditos. Nec enim solebat Deus in veteri Testamento tam faciles orantibus præbere aures, quam nunc solet in nouo. *Ad differentiam* (ait ad. 3. Reg. 18. q. 38.) *inter sanctos viros veteris Testamenti, & noui; quia in nouo Testamento velocius audiuntur.* Accomodatius argumento alij affirmant serius clamauisse, quia Rex Eglon erga ipsos vrbaniter se gerebat: vnde eis seruitus non tam molesta videbatur. An Rex deliciis addictus, impius, hostis, subditos Hebræos sibi inuisos vrbaniter alloquebatur? Ita planè: nec enim crassitudo motum potuit Regem ab agnata vrbanitate sceptro, deturbare.

39. *Tam agnata est Regi vrbanitas, vt crassitudo Eglon quodammodo vrbanitas fuerit.* Iudic. 3.

Addit Textus, *Erat autem Eglon crassus nimis.* Iudic. 3. LXX. legunt, Erat *Eglon vrbanus nimis.* Quidnam, quæso, crassitudini eum vrbanitate, aut vrbanitati eum crassitudine? Difficilis planè lectio interpretibus, quam curant diuersimodè explicare. Alij asserunt vrbanum vocari crassum, aut deliciosum Regem, quia erat vrbanis voluptatibus enutritus. Alij quia

pulcher,

pulcher, elegans, atque feſtiuus erat. Quemadmodum de Moyſe dicitur, *Eo quod vidiſſent elegantem infantem.* Hebr.11. Vbi D. Paulus vſus eſt eodem vocabulo, quo hic ſeptuaginta: *Vrbanum infantem.* Alij quia adeò vrbanus fuit Rex, vt nuncio aſſurrexerit. Subſcribo circa vrbanitatem Regis, ſed adhuc non me expeditum video à difficili lectione: *Erat Eglon craſſus nimis, Erat Eglon vrbanus nimis.* Profectò ita eſt Regibus agnata vrbanitas, vt vel ipſa craſſitudo, quæ aſſolet eſſe magis à ratione remota, quia craſſitudo Regis eſt, vrbana oſtentatur. Aſſolet deliciarum vſus quo hominem plus craſſum reddunt, eo intellectu ſtolidiorem exponere? Ita planè. Hinc igitur animaduerte, quam agnata ſit Regiæ dignitati ergo ſubditos vel captiuos vrbanitas: vt craſſitudo obſcurans intellectum in alijs, non potuerit mentem craſſi nimis Eglon circa vrbanitatem agnatam obſcurare. Vulnerat ſeruos, ſed vrbanè loquitur: ſeruiliter obſequantur, ſed vti filij compellentur à Rege: *Amice, quomodo huc intraſti,* &c.

Hebr.11.

40. *Tolerabiles cuncti labores, Regis inurbanitas intolerabilis eſt.* Iob.19.

Iob peccatorum gerens perſonam, poſtquam de delicto ſe conuinctos eſſe profitentur, ſic conqueritur: *Et ſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis.* cap.19. LXX. *Profectò iam ego verè erraui, apud me habitat error, loqui verbum non oportebat: ſine autem, quia in me magnificamini, inſultatis autem mihi opprobrie.* Errauit quis, ô Principes Eliphaz, Baldad, & Sophar, ſupplicio addicitor: an moderati Iudicis eſt inurbanis vti verbis, afflictumque impetere opprobriis? Author Catenæ Græcæ pulchrè, *Istiam vobis concedo hypotheſim, me prauè vixiſſe, prauam vero vitam etiam prauis, & falſis rationibus me nunc velle tueri: neque me velle ab errore diſcedere; an non decebat, vos mihi mala patienti homini veniam tribuere. Nec verò contentiæ ſolum, quibus inceſſitis, non moderamini. No le vaſta al triſte ſu trauajo?*

Author Caten.

41. *Vel ſubditus damnandus vrbanis verbis compellandus eſt, imo in tartarũ immittẽdus, aut in gehenna exiſtens?*

Ais, non addi grauem laborem, cum opprobriis afficitur, qui mox mittendus in tenebras prædicatur *Mittite eum in tenebras.* Mancipium ſententiæ, amicus ſermone? Profectò non ſolus immittendus in tartarum vrbaniter tractatur à Rege, verùm & qui Regis ſpiritu decorantur, damnatos ipſos vrbanis verbis compellare aſſueuere. Teſtor Diuitem illum Epulonem, qui clamitabat, *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Porrò Abraham haud inſurgit iratus: Quouſque tandem ô ſceleſte, abuteris patientia noſtra? *Fili,* inquit, *recordare, quia recepiſti bona in vita tua, Lazarus autem ſimiliter mala.* Luc.16. O Abrahami Chriſti Regis patris optimi vrbanitatem! Quem addicendum flammis diris æternùm aſſeris filium appellas? Non eſt afflictio addenda miſerabili. Puniatur reus, ſed Iudicis gerens vices vrbanis verbis deneget refrigerium. Chryſologus ſerm.5. de Lazaro. *Fili, recepiſti bona. Vide humanitatem iuſti. Non dixit, Inhumane, crudelis, ſceleſtiſſime, cum tam multa commiſeris in hominem, nunc mentionem nobis facis miſericordiæ, & veniæ? Non pudet? Non erubeſcis? Sed quid dicit? Fili, inquit, recepiſti bona. Ne putaret, quod memor præteritorum malorum vetuerit abire Lazarum, filium illum appellat. Quod in mea poteſtate eſt, inquit, imperio tibi.*

Luc.16.

Chryſol.

42. *Dauid Abſalonem hoſtem horribilem damnatum cruce filium appellauit.* Chryſoſt.

Quid Abſalone flagitioſius, aduerſus quem ipſa inſenſibilia exſurgunt. Chryſoſtomus hom. de Abſal. *Reſpice ſceleſtiſſime, reſpice parricida, in te cuncta conuerti, contra te ab ipſa natura repugnari. Iniuriam patris vindicant ligna, arbor vlciſcitur, rami defendunt. Solus pereat, qui naturæ iura debellat. Solus concidat, qui pietatem patris impugnat.* Immittit ergo Rex Dauid cœleſtis Regis gerens perſonam Ioabum ac milites, qui deploratum adoleſcentem ſupplicio afficerent, & profatur. *Seruate mihi puerum Abſalon.* Poſtmodum autem Chuſai renuncianțe cædem Abſalonis, *Iudicauit pro te Dominus hodie de manu omnium, qui ſurrexerunt contra te,* proclamat Rex: *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi.* 2. Reg.18. Filium vocas ſceleſtiſſimum paterni iuris, imo naturæ violatorem? Hæc Regis parentis IESV vrbanitas, verbis vrbanis loqui ei, quem iaculis confodi dignum ſua crimina oſtentant. Dat Rex operam vindicando crimini, ſed damnandum, imò damnatum iam capite reum amicis, & vrbanis verbis dignatur compellare.

2. Reg 18.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

REGIS DEBITOR.

PARAPHRASIS, AC COMMENTARIVS literalis ad caput decimumoctauum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vitæ, seu IESV locuti in Parabolis, FRVCTVS SECVNDVS.

VT intelligatur, ob nostram inclementiam non solum à Deo nobis delicta non remitti, sed ea quodammodo redire, quæ semel remissa sunt; de Rege Parabolam adhibet, qui debitum semel remissum sui serui repetiit: qui parem benignitatem conseruo non impertierat; sed potius immisericors erga eum post acceptam misericordiam extiterat. O miserrime debitor, si Rex iustitiæ te damnabilem esse proclamet, misericordiæ Reginam appella. *Dicimus Maria*, (ait Richardus lib. 4.) *Salue Regina misericordiæ, cõmemorantes, quod possit tanquam Regina, & velit tanquam misericors nos iuuare. Repulsi ergò à Filio Rege iustitiæ, clamemus iugiter ad Reginam misericordiæ; quia sicut dicit Bernardus, Meritò non exauditur, qui clamare dissimulat. Nec enim solum Regina misericordiæ, sed & Mater misericordiæ appellatur, quoad affectum miserendi; nam Filij Regis misericordiam exhibet.* Ac si Rex iustitiæ Matri Reginæ misericordiæ propriam adscripserit misericordiam, & pietatem, vt desperatis debitoribus largiretur.

Richard. Laurent.

Bernard.

MATTHÆVS CAP. XVIII.

VERS. 23. IDEO assimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.

26. Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

27. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

28. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes.

29. Procidens autem seruus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

PARAPRASIS.

23. ASSERVERAT *Dominus toties ex animo condonandam esse culpam, quotiescumque resipuerit, qui peccauit. Id confirmat exemplo. Ideo, inquit, Regnum cœlorum simile est homini prædiuiti, Augustoque, cui cum esset ingens familia, cum seruis suis visum est inire rationem.*

24. *Et cum cœpisset rationem subducere, repertus est quidam, qui illi decem millia debebat talentorum. Tantum onus peccati, tam robusti delinquentis humeri ad plumbi tot talenta sustinendum.*

25. *Profectò cum summa maior esset, quam vt debitor esset soluendo, Dominus iussit, & ipsum, & vxorem, & liberos & quidquid habebat rerum, venundari: vt ex conflato pretio satisfieret creditori. Haud natura vires ad satisfaciendum pro criminum debito, nisi creditoris ipsius pietas adsit.*

26. *Seruus autem ille supplex accidens ad genua Domini: Quæso, inquit, vt mihi spatium aliquod concedas, vt temporis progressu omnia tibi resoluam.*

27. *Equidem Dominus munificentissimus misertus serui supplicis, ac prouoluti, plus indulsit quam ille petierat. Non solum enim illum non produxit in forum: verum etiam condonauit illi cuncta talenta, totam summam remisit.*

28. *Porrò seruus ille iam liber cum esset, à conspectu Domini sui digressus forte obuium habuit quendam è conseruorum numero, qui debebat illi pauxillam pecuniæ, nempè denarios centum. Hic oblitus Dominicæ erga se clementiæ, protinus iniecta manu, trahere cœpit miserum dicens: solue quod debes.*

29. *Ille conseruus ad socij genua procidens totidem verbis obsecrabat eum, quot ille Dominum: Patienter age mecum, tibi omnia resoluam.*

30. *Attamen creditor inexorabilis supplicem repulit, & pertraxit in carcerem, donec quod debebat, redidisset.*

31 Certè

31. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.

32. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?

34. Et iratus Dominus eius; tradidit eum tortoribus, quoad vsque reddere vniuersum debitum

35. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

31. *Certè conserui cæteri, qui miram Domini in crudelis socij clementiam viderant, vbi tantam conserui in conseruum asperitatem adnotassent: dolore graui affecti, rem totam Domino denarrant.*

32. *Ibi Dominus succensus ira, ad se seruum, cui condonarat omnia, reuocauit. Serue, inquit, male, nónne ego Dominus tantam tibi summam condonaui non ob aliud nisi quia supplex rogasti me? Nónne ergo par erat, vt tu conseruus conseruo paululum pecuniæ supplici condonares, & rogantis misereretu, quemadmodum ego tui misertus sum? Certè mea tam recens lenitas te in conseruum debuit lenitatem edocere.*

34. *Iamque Dominus implacabiliter iratus tradidit eum tortoribus asseruandum in carcere, donec totam summam debitam resolueret.*

35. *Ad hanc imaginem vobiscum aget Pater vester cælestis, illi nemo vestrum plura non debet, in quem nemo non frequenter delinquit. Peccant & homines in homines leuius planè Nisi quisque fratri suo remiserit leuiores offensas, ex animo Pater non condonabit vobis in se commissa grauiora.*

SECTIO PRIMA.

Dimittit Dominus seruo debitum.

TEXTVS.

VERS. 23. IDeo assimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. 24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. 26. Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 27. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De occasione Parabolæ exposita.

1. Contextus.

FECERAT Dominus mentionem de fratre in nos delinquente, & corripi iusserat. Non tamen docuerat, quoties esset fratri iniuria dimittenda. Ideóque Petrus hanc proponit quæstionem: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Numquid dimittam eum vsque septies? IESVS autem, *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Haud est numero complectenda remissio, semper delinquenti fratri parcendum. Petrus numero septenario determinatè vsus fuerat, Christus numeru vtitur definito; sed infinita est significatio: *Sed vsque septuagies septies.*

2. *Huius sententia Dominica expositio.*

Significat Dominus hisce verbis, semper fratri pœnitenti peccatum condonandum. Potest quidem hic numerus accipi, vt coniunctio & subintelligatur hoc pacto: *septuagies & septies.* Eritque sensus, parcendum, non solum septies, sed septuaginta & septem vicibus. Sic Augustinus sermon. 19. de verb. Domin. Potest etiam accipi ita vt nulla subaudiatur coniunctio, *septuagies septies*, significátque numerum septenarium septuagies multiplicatum, id est, summam quadringentorum nonaginta. Ita exposuit Hieronymus. Septuagies septies, id est, quadringentis nonaginta vicibus. Itaque vt Petrum edoceret ineffabilem Euangelij circa pœnitentes fratres, post innumerabilia iterata crimina, benignitatem, id parabola apposita confirmat.

August.

Hieron.

§. II.

De debiti dimissione.

3. *Messias Rex similis homini Regi.*

A*Ssimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, &c.*] Sic inquit, se res habet in Regno cœlorum, id est, in Ecclesia, in Regno Messiæ, quod cœlestibus gubernatur institutis: à cœlesti Rege; ac si Rex esset aliquis, qui à seruis suis exposceret rationem, &c. Perspicua est parabola breui indigens commentario.

4. *Quid talentum?*

Oblatus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta.] Tractabat ille Regis pecunias: difficile ab auro, & argento manus excutere; vnde decem millium talentorum debitum contraxit. Quidnam talentum? Budæus lib. 4. de Asse, numerarium talentum concedit Hebræis: *Talentum numerarium Hebræorum tetradrachmum erat, id est, quatuor drachmarum.* Couarr. lib. de collat. numism. cap. 4. *Talentum, quod non fuerit pondus, sed nummus aureus quatuor drachmarum est, quemadmodum siclus.* Hi suam non probant opinionem. Alij existimant, talentum sexcentis aureis valere, seu coronatis, aut scutis. At hoc est talentum Atticum, non Hebræum, Christus autem de Hebræo talento locutus probabiliter est. Maldonatus sic: *Talentorum varia fuisse genera, nemo nescit. Christum verò de eo loqui credibile est, quod apud Iudæos erat vsitatum, quodque sexcentos aureos nummos valuisse creditur. Itaque decem millia talentorum summam sexagies centum millium aureorum nostrorum efficiunt.*

Bud.

Couarr.

Maldon.

5. *Auctoris expositio.*

Existimo nihil referre verum talenti pretium ad iustum æstimari. Illud refert, vt intelligamus ingentem hoc loco pecuniæ significari summam. Ingens autem erit summa si vel minimo pretio talentum æstimetur.

6. *De soluendi impotentia.*

Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit Dominus venundari, &c.] Debito se obstrinxerat Regis hic seruus: vnde soluturus esset minimè cogitabat. Soluendo non erat: ideóque non illum tantummodo, sed vxorem eius, & filios, opésque Rex iussit venundari, vt quoquomodo satis debitò fieret.

7. *De serui oratione.*

Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.] Vnicum afflictorum perfugium, oratio. A Rege, cuius nouerat clementiam, prostratus temporis postulat propagationem: Expecta me patienter, & omnia quæ debeo restituam Græcè μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί. Id est, *longanimis esto erga me, & patiens.*

8. *Regis pietas, & munificentia.*

Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.] An non Regis clementia cum summa munificentia colligatur? Prostratum vt vidit debitorem, temporísque propagationem postulantem: protinus non solum liberum permisit abire, imò ingens dimisit debitum. Petierat, vt debiti solutionem expectaret: Rex non expectat, sed toto liberat debito precatorem. O ineffabilem Regis munificentiam!

§. III.

De mystica, ac morali parabolæ expositione.

9. *Quisnam homo Rex* Anselm. Origen.

A*Ssimilatum est Regnum cœlorum homini Regi.*] Anselmus, *Homo Rex Christus, qui merita cuiusque examinat.* Origenes autem, *Regnum cœlorum, id est Filius Dei factus est similis homini Regi vniens hominem sibi.*

10. *Ratio reddenda.*

Qui posuit rationem cum seruis suis.] In fine vitæ Dominus à singulis sigillatim rationem exposcit, communi termino omnibus simul & singulis ad horrendum tribunal euocatis. Origenes, *Vita nostra ratio reddenda, omnes enim bis* (in fine vitæ, ac in seculi termino,) *oportet sisti ad tribunal Christi; facitque in nouissimo iudicio Deus ineffabili virtute, vt omnia gesta ab omnibus singulis quibusque citò in mentem veniant.* Quam prudens qui quotidie ad memoriam curat reuocare, quæ apud Christi tribunal necessariò exponentur! Ab Ethnico edisce Seneca lib. 3. de Ira, cap. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Quid pulchrius consuetudine excutiendi totum diem? Quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit vxor moris mei conscia; totum diem mecum scrutor, facta, ac dicta mea remetior.* Quod gerebat Gentilis, Christianus contemnet.

Examē quotidianum.

11. *Peccatorum grauissima debita.* August.

Decem millia talenta.] Augustinus, *Significantur omnia peccata, decem enim præcepta legis.* Sic sermon. 15. de verb. Domin. O debitum plusquam decem millium talentorum, debitum infinitum! Quicumque enim mortifero se crimine obstringit, infinitas, hoc est, pœnas debet æternas. Et tu tam graui oppressus debito, deliciaris, & dormis? Augustus Imperator emi sibi præcepit culcitram Romani equitis, qui graui debito erat obstrictus: mirantibus hoc præceptum, respondit: *Habenda est, ad somnum mihi conciliandum illa cubicularis culcitra, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit.* Porrò Augustus ob ingentes curas sæpè maximam noctis partem ducebat insomnem. In socordiæ culcitra improbus debito peccatorum obrutus stertit. O mortiferum somnum! Chrysost. hom. de Adam, & Sodomit. tom. 1. *Tale est peccatorum debitum, vt si solliciti simus ad soluendum, leue sit: sin negligentes, erit grauissimum. Totam enim simul mergit debentium substantiam. Non curabant Sodomitæ debita, neglexerunt; quotidie neglectu crescente creuit debitum, repetitionis chirographum auctum est, fœnora peccati aucta sunt. Factum est tempus repetitionis, non erant soluendo. Imperauit*

Quis dormiat, tanto pondere pressus!

Chrysost.

Dominus

Dominus debiti, vt traderentur igni, & mulieres eorum, & filij eorum, & omnia, quæ habuerunt in satisfactionem caderent.

12.

Solus Iesvs sua patientia, sua passione potest nos ab hoc debito liberare.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.] Si non habebat, vnde redderet, cur tanta cum fiducia respondet, omnia redditurum? Non habet vnde reddat à se, habet vnde reddat à Christo. *Perditio tua Israel*, ait Dominus, *tantummodo in me auxilium tuum. Vbi est Rex tuus? maximè nunc saluet te.* Ose. 13. Ac si diceret, Neque Reges, neque Principes poterunt te à peccatorum debito liberare. Tantummodo in Iesv manu forti peccatorum liberatio, ipse solus debita dimittit. D. Bernardus serm. de triplici miseric. *Difficilis prorsus res, & soli diuinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere. Quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati: nec est iam liberari nisi in manu forti. Patientiam habe in me.* Patitur Christus, & pœnitens peccator à debito absoluitur. Nec enim Christi merita nostram pœnitentiam excludunt, aut merita: propter Iesv enim merita sunt merita planè: sine illis vero pretij aut meriti nihil habent.

Ose. 13. — Bernard.

13.

Deus diues miserationibus.

Misertus autem Dominus, &c.] Bartadius, *Diues debitum vt remittatur diuitem postulat misericordiam.* Deus *diues est in misericordia.* Eph. 2. Bernardus sermon. de triplici miseric. *Magnus peccator magna misericordia opus habet: vt vbi abundauit delictum, superabundet & gratia. Hæc est misericordia magna magis necessaria peccatoribus, de qua dicitur: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

Ephes. 2. — Bernard.

14.

Deus comminatur, vt terreat, non vt puniat.

Et debitum dimisit ei.] Quam facilis debitum remittit, qui tam iratus iussit venundari peccatorem! Iussit planè venundari, vt peteret veniam. Vexamur à Domino, vt ad pœnitudinem alliciamur. Chrysost. *Rex cælestis*, ait, *non ex crudelitate iussit seruum venundari, vxorem, & filios: sed quia incredibili cura illius deuictus, hac comminatione, ad supplicandum, ne venderetur, adducebatur.* Theodoretus in Ionam cap. 3. *Quoniam conseruare Deus gaudet, minatur tristia, ne tristia in nos inuehat.* Hieron. Ion. *Deus neminem punire desiderans, quæ facturus est comminatur.* An iter facturo indicantur pericula, vt incidat, an vt caueat? Idem Chrysostomus homil. 55. tom. 5. ait: *Mortem peccatoris dicit Deus, ne mittat in mortem. Nisi fuisset intentata gehenna, omnes in gehennam incidissemus: nisi prænunciatus fuisset ignis, nemo fugisset ignem.* Et hom. 1. de pœnit. *Cuius rei gratia, Domine, quæ facturus es mala prædicis? Vt non faciam, quæ prædico.*

Chrysost. — Theodor. — Hieron. — Chrysost.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX REMISSIONE DEBITI.

Observat. I.

Ad illa verba:

Assimilatum est Regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

Rex, seu Præsul, qui homo seu humanus, ac benignus ostentatur: rationem ponit cum seruis, id est, eos ad rationis iura seruanda adducit.

Præsulum enim benignitas nobilibus subditis exactio est.

15.

Vt rationem cum famulis debitoribus ponat Dominus, non benè homini Regi videtur comparari. Inepta humanitas, ac benignitas Regis ad recuperandos nummos, quos quotidiana serui infidelitas ac rapacitas collegit. Liceat vulgari idiomate explicare: *Es menester vn amo leon, si ha de cobrarlo que hurto el criado, y hizo ya carne y sangre.* Profectò ad ponendam seruo rationem, aptius Rex humanus ac benignus inducitur. Ad rationis etenim regulam adducit facilius subditos Præsulis humanitas, quam seueritas.

16.

Qui miti vtitur imperio, tunc fortissimus ad continendum subditos.

Nunquam Rex magis fortis & efficax ad continendum effrænatos subditorum motus, quam cum miti vtitur imperio, suauitas enim rigida veluti increpatio est. Verberatam vidisti scapham illam, qua Christus ac Discipuli ferebantur, ventorum, ac fluctuum verberibus. Effrænata illa bestia acriori verbere indiget, vt corripiatur. Porrò Christus *surgens increpuit ventum, & tempestatem aquæ: & cessauit, & facta est tranquillitas.* Luc. 8. Difficilem reddit locum D. Basilius Seleucus orat. 22. *Verbo minaci mare continet Deus, & modica voce ingens elementum frænabatur.* Si modica erat vox, si blanda, si mitis, qua frænabatur elementum; quonammodo verbo minaci vsus Christus asseritur? Certè quia nobili seruo, ingenuo subdito mitis, ac modica vox locum gerit minacis increpationis, vt rationis fræno contineatur. Addit bellè Pater, *Recognoscebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui* suauis *præcepti: Congregentur aquæ in locum vnum.* Quid suauius? Recognoscens igitur ex modica voce pelagus pristini

Luc. 8. — Basil. Seleuc.

Suauitas Regis velut increpatio est.

ſuauiſſimi imperij ſuauitatem, ſic ſe infrænat, ſic continet, ac ſi fortiſſimo chamo compreſſum eſſet.

17. *Rex amicus erga ſubditos magis Rex, quia ſubditi ampliùs ſubditi oſtenduntur.* Plin.

De Traiano Plinius in Paneg. *Tu amicitiam pulſam* ab aula, *& errantē reduxiſti. Habes amicos, quia amicus ipſe es. Diligis, cum diligaris: & in eo, quod vtrinque honeſtiſſimum eſt, tota gloria tua eſt, quia ſuperior factus deſcēdis ad omnia familiaritatis officia. Imo tunc maximè Imperator, cùm ex Imperatore amicum agis.* Preme τὸ, *ſuperior factus deſcendis ad omnia familiaritatis officia: Imò tunc maximè Imperator cum amicum agis.* Quid ſuperiori cum amico? quid Imperatori cum familiari? Certè cum Rex ſubditos vti amicos alloquitur, ſeſéque eis affabilem præſtat; tunc ſuperior eſt, & maximè Imperator; quia ſubditi gratitudinis ergo ſe ſe obſequentiores exponunt rationi, nec audent Principis præſcripta violare.

18. *Ipſa Regis humanitas Imperatrix eſt.* Pacat.

Ipſa planè Regum amicitia & humanitas quaſi Regina, & Imperatrix eſt ſubditorum continens veluti fræno multitudinem. Pulchram do Pacati de Hiſpano Theodoſio Imperatore ſententiam. *Tu amicitiam nomen ante priuatum non ſolum intra aulam vocaſti: ſed indutam purpura, auro, gemmiſque redimitam ſolio recepiſti.* Solio amicitia recipitur, vt regnet, vt imperet? *Dulcis & rectus Dominus* (canebat Dauid) *propterea legem dabit delinquentibus.* Si in Rege requiritur dulcedo, id eſt pietas, benignitas, & rectitudo, ac ſeueritas: quonammodo amicitia, ac humanitas corona ſtipatur? Certè tunc maximè Imperatrix amicitia, cum magis affabilem ſe ſubditis exhibet.

19. *Dauidi ac Salomoni ſubditi obſequētiores, quia eos dignati ſunt amicos habere.* 1. Paral. 27. 3. Reg. 4.

Dauid & Salomon cunctis Principibus continendi ſubditos dedere documenta. An in virga ferrea regere perhibentur? Minimè, ſed in manſuetudine, & amicitia. De Dauide ſic textus ſacer, *Chuſi Arachites amicus Regis.* 1. Paralip. 27. De Salomone autem, *Zabud filius Nathan Sacerdotis amicus Regis.* 3. Reg. 4. Ex tot Regibus Iſraël, & Iuda ſolos Dauidem, ac Salomonem audio amicos ſubditos habuiſſe. Quid mirum cunctis Regibus ſuperiores fuiſſe circa ſubditos continendos, ſi cum ſubditis amicitiam inire non ſunt dedignati?

20. *Manus ſuauiſſima efficaciſſima oſtenduntur ad exigendum à ſubditis, quidquid voluerint Præſides.* Ioan. 15. Ambroſ.

Ait Dominus, *Pater meus agricola eſt.* Ioan. 15. De ſummo omnium cœleſti Rege dicitur, quod agricolæ gerat officia? Quidnam agricolæ cum fortiſſimo ſubditorum moderatore? Ambroſius lib. 3. de virgini. *Sæpe relictis aratris, ipſe validus agricola digito ſolum ſcalpit, vt florum deponat radices; & aſperis manibus, quibus luctantes inter vineta flectit iuuencos, molliter ouium preſſat vbera.* Quonammodo florum germinationi dat operam eiſdem manibus, quibus aratra ducit: & preſſat vbera eiſdem manibus, quibus iuuencos comprimit? Quia tam violenter agens oſtenditur cum ſuauiter digito florum curat parturitionem, & preſſat vbera: ac cum proſcindit terram, & frænat iuuencos. Benignitas enim Præſulis erga ſubditos valida eſt actio. Suauitas manuum plantantium flores, ac ſugentium vbera aptiſſima ad proſcindendam terram, & vitulos comprimendos; quia manſuetudo Præfecti violentiſſima eſt. Et ſeueritas manuum proſcindentium terram, & vitulos comprimentium, adnata eſt florum parturitioni, ac preſſioni vberum; quia illa ipſa ſuauitas erga ſubditos locum gerit ſeueritatis, ad ponendam cum eis rationem.

21. *Titus ſuauiter arguit, Timotheus obſecrās increpat.* Tit. 2. Timoth. 7. Anſelm.

Id oſtendam in Tito, ac Timothæo. Illi Paulus, *Argue cum omni imperio.* cap. 2. Huic autem, *Argue, obſecra, increpa.* cap. 7. Vbi Anſelmus, *Quid eſt, quod vni imperium, alij patientiam præcipit, niſi quod vnum lenioris, alterum feruentioris ſpiritus eſſe conſpexit? Leni per authoritatem imperij iungenda erat ſeueritas verbi; is autem, qui ſpiritu feruebat, per patientiam temperandus fuerat, ne plus iuſto efferueſcens, non ad ſalutem vulnerata reduceret: ſed ſana vulneraret.* Pulchrè. Sed liceat mihi ſic locum expendere. Tito ſuauiſſimo erga ſubditos dicitur, *Argue cum omni imperio;* quia ſuauitas arguit, & comprimit ſubditos ingenuos ad parendum rationi. *No ay argumento tan efficaz para hacerles poner en razon como la ſuauidad,* vt vulgariter amplius expendam illud: *Poſuit rationem cum ſeruis ſuis.* At Timothæo ſeuero, ac rigido, *Argue,* inquit, *obſecra, increpa.* Argue (ac ſi diceret) & increpa obſecrando. Nam ſuauitas, ac comitas Præſulis ſubditis eſt validum argumentum illigans, & rigida ad frænandos exceſſus increpatio.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.

Vnus ille, qui tot debebat talenta, Præfectus domus proculdubio erat.

Horum debita nunquam exigua; quia Principum, aut Præſulum piacula mirum in modum ſuperant ſubditorum crimina.

22. Origen. *Seruus hic Præfectus ſeu OEconomus erat.*

ORigenes homil. 7. in Matth. *Nihil modicum, ſed omnia maxima, & peſſima peccauit iſte, qui oblatus eſt Regi.* Profiteor debere eum decem millia talenta; at debitum tantum ex ſingularibus nummis componitur: talentum conſtat ex inferiorum vi monetarum. Si talentis piacula ſignantur, an non aliquod leue, aliquod mediocre ſeruus ille commiſit? *Nihil modicum, ſed omnia maxima, & peſſima.* Profectò Doctor miſeri illius ſerui omnia peccata maxima ac peſſima, nullum modicum ideo aſſerit, quia Præfectus domus, ſeu OEconomos primo hoc ſeruo intelligitur. Peccata Rectorum, quantumuis minima tibi videantur, quodammodo increſcunt ex munere, vt maxima, ac peſſima appellanda ſint. Ego mitteos piaculorum venialium comparationem, crimina grauia Præſulum ponderanda aſſumo, aſſerens quodlibet peccatum lethale quodammodo in Præſule arguere decem millium debitum talentorum, ſi cum piaculis ſubditorum comparetur.

Vnicum

23.
Tam graue vnum Regis peccatū, vt quasi debitor decem millium talentorū specialissima Iesu redēptione indigere videatur.
Matth. 1.
Salmer.

Vnicum adulterij Dauidis affero ad trutinam pondus. *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Matth. 1. Si liber Dominicæ generationis scribitur, quid pertinebat ad Christi progeniem memorare, quod Salomon ortus fuisset ex vxore Vriæ? An non tunc erat Dauidis vxor? Cur igitur Vriæ quódam vxor memoratur? Respondeo ex doctissimo Alfonso Salmerone, *Non dixit, Ex Bersabee, sed periphrasi descripsit illam, vt flagitium Dauidis notaretur, ac mundi redemptionis exigentia detegatur.* Vndénam in vnico Dauidis delicto mundi redemptionis indigentia detegitur? Aptius dixisset, *Vt Dauidis adulteri redemptionis indigentia detegatur.* Quid ergo vni Dauidis piacolo cum omnibus mundi criminibus, pro quibus copiosa Christi redemptio impenditur? Certè vel vnicum vnius Regis delictum adeò exaggerabile est, vt quodammodo sit delictorum pondus, omnium vis talentorum. Quid exaggeratius?

24.
Adulterium Regis Herodis quodammodo erat omnia populi peccata.
Marc. 1.
Matth. 19.
Basil. Seleuc.

Clamabat apud deserta Ioannes omnia hominum correpturus delicta: *Ego vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius: omnis vallis implebitur: & videbit omnis caro salutare Dei.* Marc. 1. Si omni carni, seu omnibus hominibus Christi proficuus omninò instat aduentus, cuncta hominum crimina ablegan da pœnitudine Præco clamat. Postmodum Ioannes in conspectu Regis Herodis intonat, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Matth. 19. Vbi Basilius Seleuc. orat. 18. *Videns hac Baptista Prophetarum apex, legis perfectio, veteris simul, ac noui Testamenti sequester, eremi ciuis, temperantia opifex Reginam libidinis administram contra dignitatis & natura rationem debacchantem, confusos iustitia terminos, naturam in theatrum iniquitatis versam: hac, inquam videns, quas olim voces in eremo iecerat, repetebat.* E quibus pulchris admodum verbis illud solum premo: *Quas olim voces in eremo iecerat repetebat.* In eremo clamauerat, *Parate viam Domini: Et videbit omnis caro salutare Dei:* curans omnium hominum auferri delicta: *Omnis mons, & collis humiliabitur.* Nunc autem vnius Regis vnum peccatum, nempe adulterium reprehendit. Quid igitur verbo huic: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, cum illa: *Parate viam Domini, omnis mons & collis humiliabitur,* &c. Crediderim, quia vel vnicum Principis delictum quasi tota quodam modo hominum debita continet. Tantum increscunt Regum, ac Præsulum piacula?

25.
Vnicū peccatum Dauidis Regis tanti ponderis, vt laudetur fides Regis, quod non desperarit Dei misericordiam.
Ambros.

D. Ambrosius in Apol. Dauidis cap. 4. fatur appositè de Rege. *Peccauit David, quod solent Reges; sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit: quod non solent Reges. Ergo & David, qui sciuit hominem se esse natum lapsui veniam postulauit, Domini autem non desperauit misericordiam.* Particulam *Autem* preme, indicat enim magnum quid in Dauide, Domini misericordiam non desperasse: *Domini autem non desperauit misericordiam.* Si Rex lapsui natus vt homo erat, deberet præsumere Dei misericordiam facilius acquirendam. Vndénam ergo laudatur Dauid, quod de Domini infinita misericordia minimè desperasset? Profectò quia pondus vel vnius piaculi Regij tam graue, vt quodammodo necessaria fuerit post vberrimam lachrymarum irrigationem ingens Dauidis

fides ad credendum, quod donandus esset ex Dei pietate, qua hodie proclamat: *Omne debitum dimisi tibi.*

26.
Vel peccatū veniale in Præsule dignum morte quodammodo esse ostentatur.
Exod. 4.
Author qq. sacr. Script.

Amplius id ex criminibus venialibus Principum exaggero. Deus Pharaonis Moyses, Dux populi petebat Ægyptum. *At cum esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod. 4. Vbi Interpretes asserunt peccatum Moysis mortale non fuisse. Cur ergo piaculum leue tam graui pœna vindicatur, iustissimo Deo iudice? An quia quod peccatum in subditis perleue est, in Præsule grauissimum ostentatur? Sic bellè Auctor qq. Veteris Testamenti apud August. quæst. 16. *Sic igitur infestum in se vidit Moyses idcirco Angelum, & paratum ad vindictam; quia viri sublimis culpa quamuis graue peccatum* (quodammodo) *est. Quantò enim persona sublimior est, tantò magis leue delictum eius. Quod verò à summo viro, utpotè à Ductore populi fit, acerbissimum est peccatum.*

27.
Peccata totius populi quasi vnum talentum: Præsulis peccatū decem millia talentorum.
Zach. 5.
Anselm.

Perpulchrum Zachariæ testimonium expendo. *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphora. Et dixit, Hac est impietas*, cap. 5. Vno in talento impietas assignatur. An vnius peccatoris? Respondet Anselmus, *Per hanc ampheram, & talentum ostendo tibi omnia peccata populi.* Proh Deus immortalis! Si peccatum vnius OEconomi, aut Præfecti decem millium talentorum nomine designatur: quonammodo omnia peccata populi vnius talenti pondere exprimuntur? An non quia Præsulum crimina subditorum superant grauitatem? Edoceantur Præpositi nunquam quodammodo leui se piaculo, illigandos, qui aliis viuendi se exponunt ideam.

Observat. III.

Ad illa verba:

Cum autem non haberet vnde redderet: iußit eum Dominus eius venundari, &c. & reddi.

Homo post tot talentorum rapinam, non habet vnde reddat Domino debitum.

Quia peccatum hominem omnibus diuitiis, amicis, auxiliatoribus illicò expoliat.

28.

Diuenditur debitor, vxor, filij, *& omnia quæ habebat.* Si habebat, quo modo non habebat, *vnde redderet*? Quia peccatum verè omnibus bonis expoliat iniquum: videtur habere, sed omnibus subsidiis vacuum esse certissimum assero.

29.
Omnia cum perpetrato crimine depereunt.
Ioel 1.

Lachrymatur Ioël, *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro: Depopulata est Regio, luxit humus, quoniam deuastatum*

est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. cap. 1. Ex Ailredi mente peccatoris ebrij designatur inopia. Cuncta enim bona hominis diuenduntur eo die, qua lethali crimine maculatur. *Propè est dies, & quasi vastitas* (addit Propheta) *a potente veniet.* Quid *dies illa*, in qua grauiter deliquisti (loquor cum Ailredo) *non deuastat. Nudus egressus sum de vtero matris mea. Vbi ergo diuitia? vbi latitia? vbi pulchritudo corporis? vbi fortitudo?* Omnia cum perpetrato crimine perierunt.

Ailred.

30. Meditatur Chrysologus sermon. 125. in villico illo iniquitatis peccatoris imaginem, quem propria conscientia accusat: *Redde rationem villicationis tua, iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco.* Luc. 16. Cur intra se? Cur non consulit vxorem, amicum, filios? Cur non appellat diuitias furto acquisitas? Profectò villicus, seu peccator miser admissa iniquitate, & vxore, & filiis, & amicis, & omnibus bonis spoliatus est. *Quarit* (ait Præsul Rubeo.) *intra se consilium, qui foris vnde sibi iam succurreret, non habebat.*

Se villicus omnibus rebus vacuum post iniquitates reperit. Luc. 16. Chrysol.

31. Adam cunctis à Deo bonis ornatus exurgit, Euam duxit vxorem, & pro dote cunctæ creaturæ donatur imperio. Deliquit Princeps, & incunctanter omnibus donis expoliatur: *Cognouerunt se esse nudos.* Genes. 3. Tertullianus lib. de pœnitent. cap. 1. *Deus post tot, ac tanta delicta humana temeritatis à Principe generis Adam auspicata: post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum de Paradiso.* Postquam debitor Adamus apparet, omnibus bonis expoliatus est, nec sæculi doti parcitur, vxore, ad diuturnius incommodum, retenta. An dos vxoris potest alienari pro mariti debito? O peccati malum grauissimum! ô debitum maximum, quod vel è dote vxoris exigitur: imo è corpore & animo debitoris!

Adamus post culpam, & vxoris dote spoliatur. Gen 3.

32. Noë velut hæres mundi à Deo constitutus tribus filiis orbem diuisit. Proposuit autem ipsis non solum, per doctrinam, pietatem: sed etiam per iusiurandum ab vnoquoque eorum beneuolentiam erga fratrem exegit. Quod quidem Chananæi erepta per vim fratribus Regione, violauerunt. D. Epiphanius in Anchor. *Ideo & terrenis, & vita spoliati sunt.*

Delinquentes terra, & vita spoliantur. Epiph.

33. Ipsa terrena bona peccatores euomunt nauseabunda. *Polluta est terra,* (Deus clamat) *cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Leuit. 18. Indicat hominem peccatorem ad nihilum valere vltra, nisi vt mittatur foras conculcandum. Oleaster, *Quemadmodum stomachus corruptos & indigestos cibos ferre nequit, sed statim euomit: ita & terra agrè fert habitatores immundos, ideo eos à se reiicit.* Haud in vna sede morantur cibos corruptus & stomachus? Peccator ac bona quælibet non possunt simul commorari.

Haud simul possunt existere crimen & bona. Leu. 17. Oleast.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem, & filios, & omnia, quæ habebat.

Omnia dicitur habere debitor, & simul asseritur nihil habere, vnde reddere posset.

Quia bona furto, seu iniquitate acquisita nulli commodo cedunt, nullius sunt vtilitatis.

34. Miror OEconomum non habere, vnde redderet, qui bona perhibetur habuisse: *Iussit venundari omnia, quæ habebat.* Si habebat, quomodo asseritur non habere, vnde reddere posset ablata, aut malè retenta creditori? Certè ea quæ aut rapina, aut iniquitate habentur, minimè habentur, quia possidenti nullum emolumentum afferunt. *Omnia habebat, & non habebat, vnde redderet.* O bona rapinis acquisita, iniquitate comparata, quam vana ostentamini!

35. Fatur Iob de illo, qui pupillorum bona diripuit, *Nec est satiatus venter eius, & cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit.* cap. 20. Si habet bona quæ concupiuit, quonammodo ea non poterit possidere? Quia raptor omnia quæ habet, minimè habet, nec ei ad vsum aliquem poterunt adaptari. Legit & exponit sic D. Damascenus lib. 2. Paral. cap. 17. *Multorum imbecillium domos confregit, victum autem pupillorum rapuit, & non fletit. Non est ipsi salus in bonis suis. In desiderio suo non saluabitur, non florebunt ipsius bona.* Proximam particulam, *Non florebunt ipsius bona*, loco illius: *Et cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit:* apposuit. Non floret, quod raptu acquiritur, ad fructus producendos. Vis vulgariter vno verbo expendam? *Lo hurtado ni luce, ni aprouecha.* Ideo raptor possidens omnia bona quæ concupierat, non poterit possidere.

Cum habet raptor, quæ concupiuit, non potest habere. Iob 20. Damasc. *Furto acquisitum nō floret ad fructum.*

36. Hæc colligendi manna lex: *Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eo vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit. Colligebant autem manè singuli quantum sufficere poterat, ad vescendum: cumque incaluisset sol, liquefiebat. In die autem sexta collegerunt cibos duplices.* Exod. 16. Manna furtiuè acquisitum computrescit. Cur non soluitur, quemadmodum in agro sole incalescente? Vt possideatur à raptoribus verè, & minime eis corruptum possit cedere in vsus. O rapta bona habita, & non habita à possessore vestro, qui existimans ad vsus diripere aliena, ea capit in vermem! Balduinus apud Tirin. *Hoc exemplo de manna damnatur malum auaritia, qua pecunia malè parta possessori suo in vermem vertitur. Possessori* quidem *suo*, quia verè

Manna contra legem possessum, minimè possidebatur. Exod. 16. Bald.

verè possidetur; *in vermen* autem, quia nulli vsui prodest. Possidetur, & non possidetur, quia raptor bona habet, & non habet.

37. *Abrata diuitiæ in arca nullius vtilitatis sunt corpori, ideò sunt animo noxiores.* Prou. 21. Strab.

Sapiens expressit. *Non inueniet fraudulentus lucrum.* Prou. 12. LXX. *Non consequitur venationes dolosus.* Si rapit aliena bona, & ad domum deportat, quomodo non consequitur? Quia ad vsum non proficiunt, quæ iniquè possidentur. Reponuntur in arca diuitiæ rapinæ, nè proficiant possessori, imò nè possideantur. Strabus opportunè, *Fraude acquisita pecunia animæ damnum, non lucrum corpori addit. Imo plus damni est in anima, quod nullius lucri in arca.* id est, aggrauatur raptoris malitia, quod videns non profuturam sibi pecuniam fraude comparatam nisi ad arcæ pondus addendum, non comprimit auaritiæ affectum.

38. *Diuitiæ furto acquisitæ non ad esum possunt vtiles esse.* Iob 20.

Rursum Sophar ait, *Non remansit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius.* Iob 20. Hebraicè sic: *In vanum autem & stultè raptur laborauit: diuitiæ autem è quibus gustabit sicut herba, quæ mandi, ac deuorari nō potest.* Quid prodest oui ad agrum fertili gramine ornatum adduci, si nulla herbarum apta est comestioni? Diuitiæ si affluant raptori, pauper obiicitur, & fame pressus, quia ex rapina acquisitis bonis vti non potest. Catena Græca appositam sententiam exhibuit argumento. *Qui putat se rapinis locupletatum iri, partis bonis ideò non potietur; quia Deus vindex fortunarum illi possessionem eripiet.* Quonam modo ei eripitur possessio, cum possidet ablata? Quia cum in raptoris possessione manent, quasi ab eius possessione ablata videntur, dum nullum ei cedunt in vsum. En herbam ineptam pastioni: *Ea, quorum causa stultè laborauit,* (addit Author Catenæ,) *quasi herba striphnus illi erunt. Est autem striphnus herba, quæ mandere conantis linguam reddit asperiorem: quæ mandi nequit, atque ob id ipsum nec deglutiri. Dicit igitur, impium nequaquam sua bona decocturum, neque illas planè potiturum. Verùm quemadmodum qui herbam illam sumit, quamuis dentibus magnoperè terere conetur, nequit tamen deuorare: Sic qui rebus frui cupit alienis, nihil lucelli suis laboribus faciet. Minimè enim habet in conspectu, si tibi omnia abrepta sunt.* Si ego bona arrepta conspicio, possideo, ac manibus teneo: quonam modo asseritur me in conspectu minimè habere? Certè quia ea bona mihi abrepta sunt ad vsum vtilem. Vnde & habeo, & non habeo. Ideò OEconomus Regis *habebat* omnia, quæ diripuerat, sed *non habebat vnde redderet.* O diuitias, quibus extrema colligatur inopia!

Cat. Græc.

39. *Prodigus ab saturabatur glandibus, quia nemo illi dabat, sed ipse suffurabatur.* Luc. 15.

Miser ille prodigus adolescens fame pressus, *cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Luc. 15. Vbi Maldonatus, *Mirum videri potest, non potuisse adolescentem illum siliquis satiari.* Vndenam tantà vel redundantium penuria siliquarum? Certè quia nemo illi dabat, sed ipse furto curabat acquirere. Quod autem non tibi datur, sed tu curas diripere, etiam tuis in manibus, seu in ventre non tibi proficit ad famem ablegandam. Confirmo ex ipso Maldonato: *Solent asseruari glandes, & porcis certis dari horis. Itaque non poterat miser adolescens aliunde habere, quam ex ipso loco, vbi ii porci vescebantur, si quas poterat porcis ipsis suffurari.* En famis extremæ causam: nemo illi dabat siliquas, sed ipse diripiebat;

Maldon.

quod autem furto acquiritur habetur quidem, & non habetur.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, &c.

Recurrit debitor ad puluerem propriæ fragilitatis, vtà cunctis debitis absoluatur.

Humana enim fragilitas debitorum imminuit grauitatem.

40. Remig.

PRemit D. Remigius particulam, *Procidens,* & contemplatur miserum debitorem ad proprium puluerem seu humanam fragilitatem accurrisse, qua obiecta Conditori, ei quodammodo satisfaceret. *Peccatoris fragilis humiliatio, & satisfactio demonstratur.* Non habes vnde reddas tot acceptas diuitias? Obiicias humani pulueris fragilitatem Conditori. Satisfacies equidem, & absolueris à debito ex diuina munificentia: *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Et quando non Dei misericordia ad conspectum humanæ fragilitatis flectitur?

41. *Incarnationis non exigua causa hominum fragilitas.* D. Thom. Gregor.

An contemplatus es aliquando Incarnationis mysterium in tanta humani generis commoda peractum? Vndénam Deus ad tam ineffabile dilectionis documentum allicitur? Plures à Theologis enumerantur causæ, inter quas, (vti D. Thomas 1. part. quæst. 64 art. 2. asseruit,) humana fragilitas adnumeranda est. D. Gregorius lib. 4 Mor. cap. 9. *Misertus, ait, Creator, vt redimeret, illam ad se debuit reducere naturam, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse.*

42. *Parcit adulteræ ob pulueris fragilitatem.* Ioan. 8. Anselm.

Mulier in adulterio deprehensa Christo sistitur, clamantibus accusatoribus: Domine, *hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.* IESVS *autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.* Ioan. 8. Quidnam Christi inclinatio signat? *Inclinat se,* (ait Anselmus,) *de sinu Patris in mundum, ad reclinanda peccata humani generis,* fragilis planè. Ideò *digito scribit in terram hominum peccata.* Hoc est, signat vndenam peccata habeant exortum, scilicet à terrena fragilitate. Sensus itaque loci est. Qui ob humanam fragilitatem hominem induens, hominum peccata dimisi: Cur non fragilem mulierculam venia donabo. *Neque ego te condemnabo, vade. Dimisit eam, & totum debitum dimisit ei.*

43. *Qui docet ignoscendū pulueri, non ignoscet sibi à puluere formatus.* Eccl. 7. Leo.

Monebat Salomon, *Noli esse iustus multum.* Eccles. 7. Grauis exposuit Interpres, In causis hominis, aut fœminæ fragilis pulueris massa exædificatæ, noli nimium hærescere rigori, in pietatem inclinari cura. Quid expectes è puluere? D. Leo serm. 11. de Quadrages. *Quis non infirmatur in carne? quis non sordescit in , uiuere?* Qui edocet homines humanæ parcere fragili-

tati, non ignoscet suo è puluere excitato figmento?

44. *Excusabilia fecerus me, & in puluerem reduces me.* Fatur Iob, *Memento quaso, quod sicut lutum fecerus me, & in puluerem reduces me. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* cap. 10. Debebat Princeps decem millia talenta, qui ex mente Gregorij typum gerebat peccatoris. At procidens ad terram accurrit, & humanam Deo, (vt satisfaceret quodammodo,) fragilitatem præsentauit. Qui *vitam* mihi dedisti in puluere fragili, simul tuam mihi tribuisti *misericordiam.* Certè cogitatio huius fragilitatis vel homines allicit ad compassionem. Gregorius lib. 5. mor. cap. 30. *Cum alienos excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus; consideratą quippe fragilitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari.* Si homo memor fragilitatis propriæ fragilis hominis piacula excusat, quomodo non excusabilia quodammodo aspiciet delicta, qui puluerulentum cognouit figmentum nostrum?

delicta ex fragilitate naturæ. Iob 10. Gregor.

45. Ad hæc Paulus, *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt habitet in me virtus Christi.* 2. Cor. 12. Quænam Apostoli infirmitates? Pœna illa homini præscripta: Puluis es, fragilis ex peccato es redditus. Ergo gloriabor in pœna, id est, gaudebo me fragilem, quia potentissimus IESVS ad meam fragilitatem subleuandam venit in mundum. Sic Caietanus, *Volo, te* (ait Dominus,) *pœnam hanc fragilitatis sustinere, quia potentia mea perficitur in infirmitate tua.* Quonam modo Dei potentia nostra in infirmitate perficitur? Quia accurrentibus ad puluetem humanitatis, cuncta debita remittuntur.

Fælix in fragilitas, à qua tanta IESV pietas habuit exercitum. 2. Cor. 12. Caietan.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Petit debitor Dominum expectare, & se omnia redditurum promittit. At Dominus non solum expectat, sed & totum debitum remittit.

Quanta Dei pietas plus admodum tribuentis, quam petunt debitores.

46. Chrysost. CHrysostomus adnotauit, *Quantus amor Dei! Plus dat, quam petitur. Dedisset etiam non rogatus, nisi vellet non solum suum esse donum, sed & supplicationis illius voluit etiam prius ponere rationem; vt ille intelligeret, quantis debitis liberaretur.* Et Hieronymus epist. ad Rufi. tom. 1. *Deus, ait, plus tribuit, quam rogetur.*

47. *Plus dat Deus quam intelligimus, aut intendimus postulare.* Eph. 3. Apostolos asseruit, *Qui potens est, omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Eph 3. Preme, *Aut intelligimus.* Intellexit ne humana natura donanda esse Verbi incarnatione? Intellexit Deum hominem pro hominibus moriturum? Petebat illa, vt debita ei dimitterentur, veniáque donaretur, inclamans: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. Sed quandonam intellexit fore, vt non solum veniæ osculo afficienda esset: verum & præsentia Dei facti hominis potitura, & præsenti dictura? *Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis,* fructuum passionis redundantia. Ergo præstat superabundanter, *quam petimus, & intelligimus.* Strabus, *Facit Deus superabundanter, quam petimus, & intelligimus secundum virtutem, quæ operatur, in qua sunt quædam, quæ nemo peteret, aut intelligeret, v. g. vt Deus homo pro hominibus moreretur, & huiusmodi.*

Petenti veniam dedit Deus incarnationem Verbi. Cant. 1. Strab.

48. Regulus, *Domine,* inquit, *descende priusquam moriatur filius meus.* Ioan. 4. Postulat, lethalem febrim præsentia Domini ablegari: Christus autem *Vade,* ait, *filius tuus viuit.* Dat verbo Christi sanari, quem petebat Regulus corporali præsentia donari salute. Cassianus col. 3. cap. 16. *Christus munificentissimus non præsentia corporali, quemadmodum ille petebat, lethales febrium morbos: sed verbo suæ potestatis exclusit.* Instabat pater, Dominum properare, ne prius quam accederet, filius moreretur: Dominus autem noluit ægrotum cruciari illo temporis interstitio; sed illicò donauit sanitate verbo potentissimo: *Filius tuus viuit.* Vt immensa saluatoris pietas plus tribueret, quam postularetur.

Petit Regulus in præsentia IESV filij vitam accepit illico verbo in maius commodum. Ioan 4. Cassian.

49. Prodigus ille adolescens in se reuersus precatur, vt ad cœtum recipiatur mercenariorum: *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* At piissimus Dominus eom tam affectuosis paternitatis excipit documentis, vt inuidiam fratris excitet senioris: *Citò proferte stolam primam, & occidite vitulum saginatum.* Luc. 15. Bernardus serm. cont. viti. ingratitud. *Prodigus certè filius ad filiorum numerum aspirare timebat, beatum se reputans, si fortè vel in mercenariorum numerum reciperetur. Minimè tamen sufficere potuit paterna pietati, nisi tam copiosam misericordiam ei exhiberet, cui posset & ipse, qui nunquam a patre discesserat filius, inuidere.*

Petit Prodigus ad mercenariorum cœtum admitti, accipit præstantiam paternæ affectus. Luc. 15. Bernard.

50. Monet Deus ex ore Dauidico, *Dilata os tuum, & adimplebo illud.* Psalm. 80. Ac si de precum nostrorum exilitate conquereratur. Agellium audi: *Quamuis magna, & ampla fuerint, quæ à me petieris, nunquam meam munificentiam tua petitione, & optione vindices. Non eris tam cupidus in optando, quam ego in beneficiis, & in dando munificus.*

Petis modica maiora accipies, quæ ad sanitatem. Psalm. 80. Agell.

51. Huiusmodi munificentiæ abundantiam etiam in paralytico legimus Dominum effudisse. Languoris taorum, quo corpus fuerat resolutum poscit, ac IESVS animæ prius ingerit sanitatem, *Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Postmodum autem, *Surge,* addit, *tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Marc. 2. Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. cap. 4. *Deus nobis petentibus temporalia, tribuit temporalia quidem, & addit spiritualia: temporalia, ad vtendum: & spiritualia, & æterna ad fruendum.* Plutarchus lib. de discrim. adulat. & amici, *Arbitror Deos plerumque bene mereri de mortalibus, vt non censeantur bene mereri. Et ob id ipsum bene facere arbitror Deum superabundantius quam petatur hominum votis, quod suapte natura gaudeat benefacere.*

Petit Paralyticus corporis valetudinem, accipit salutem animi, & corporis. Marc. 2. August. Plutarch.

SECTIO

SECTIO II.

Seruus conseruo debitum non dimittit.

TEXTVS.

VERS.28. EGressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. 29. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. 31. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. 32. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi, serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. 33. Nónne ergò oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? 34. Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum. 35. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De serui in conseruum impietate.

1. *Serui ingratitudo, & crudelitas.*

EGressus autem, &c.] Graui solotus debito, protinus seruus ingratus aliud cootraxit. Postquam enim decem millium talentorum remissionem accepit, è domo Regis tanto exooeratos debito egressus, io debitorem conseruum exiguæ centum denariorum pecuniæ incidit. Oblitus impetratæ paulo aote remissionis, hominem apprehendit, gutturéque stringeos, ac penè suffocans, verba illa Regis proferebat: *Redde quod debes*, debitam mihi statim pecuniam anoumera. At debitor procidens vsus est eadem precatione, quæ creditorem ingenti tot millium talentorum debito liberauerat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Porrò crudelis creditoris ferrea præcordia emollire noo potuit, & pro minimo debito à cooseruo in viocula coniicitur, qui dimissus abierat à maximo liberatos.

2. *Nec veritus est verba ipsa, quibus salutem acquisierat.* Chrysost.

Chrysostomos ad hæc, *Nec verba quidem ipsa veritus est conseruus, quibus salutem acquisierat. His enim dictis: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: decem millium talentorum debitum euitauit. Ita ne portum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit: nec modus ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriam eum reduxit.*

§. II.

De supplicio ingrati.

3. *Seruorum compassio.*

VIdentes autem conserui eius, &c.] Valdè displicet probis improborum neqoitia. Tyranoica hæc serui crudelitas maximè conseruis displicuit. Rem totam ad Dominom oppressorem accusantes, condolentes oppresso, retulere.

4. *Regis iracundia.*

Vocauit illum Dominus.] Crudelem seruum Dominus ad se aduocat, reprehensione afficit acri, tortoribúsque diuexandum committit, quoad totum decem millium talentorum debitum restitueret.

5. *Scopus parabolæ.*

Sic Pater vester, &c.] Parabolæ scopus, docere, et Deum oon parcere, qui delloquenti proximo non ignoscit. Rex igitur iustè ingratum tortoribus tradidit miserum, donec debitum reddat vniuersum. Quia vero reddere nunquam poterit, à suppliciis nunquam liberabitur. Chrysostomus, *Ad perpetuitatem supplicij tradidit seruum, nunquam enim persoluturus erat.*

Chrysost.

6. *Auctoris expositio.*

Existimo supplicium temporarium signari. Huius enim vitæ supplicium æternum oon est, & qoia in hac vita debita solui possunt, idcircò io parabola adiicitor: *Tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.* Quod si malis de supplicio intelligere, quo post vitam piacula vindicantur, io tartaro debita non soluuotur, purgatorio autem igne, qui veram gerunt pœnitentiam, torquentur, quo ad vsque vniuersum debitum resoluant.

§. III.

Crudelitatis serui in conseruum, supplicijque mystica ex Patribus expositio.

7. *De egressione serui de malo in malum.*

EGressus autem seruus.] Interlinealis, *In libertatem fidei, vel de captiuitate liberatus.* At Hieronymus, De malo ad malum egressus est. *De sanctis dicitur, Ibunt de virtute in virtutem; de peccatoribus vero, De malo in malum egressi sunt.* Hic *inuenit vnum de conseruis.* Strabus, *Gentilem populum, quem fatigabat docens, gratiam Christi non esse necessariam, sed carnales obseruationes.*

Interl. Hieron. *Seruus quisnam.* Strab.

8. *Peccatorum debita.*

Qui debebat ei centum denarios.] Augustinus serm. 25. de verb. Dom. *Sumitur hic numerus à decem, qui est legis; significantur ergo peccata vt in superiori numero talentorum. Omnis enim homo & debitor est Dei, & debitorem habet fratrem.* Chrysostomus, *Tanta, imo maior est differentia*

August. Chrysost.

ferentia peccatorum in Deum, & homines, quam istorum debitorum. Et Remigius, *Per illum debitorem intelliguntur, qui graniora committunt crimina, per illum, qui minora.*

9. *A Domino egressus seruus, impius in proximũ.* Basil.

Redde quod debes.] O impietatem! Si Regem præsentem omniáque cernentem cogitasset, tam turpe facinus non exposuisset. Ideò conseruum suffocat, quia se egressum à Domini præsentia arbitratur. D. Basilius in Regul. breu. interrog. 29. *Quis est alienæ potestati subiectus, qui in oculis Principis sui aliquid ausus sit vnquam eorum, quæ ipsi Principi non placent.* Egressus itaque à Deo crudelis in proximum ostentatur. *Nullus enim*, (ait Theophylactus,) *qui in Deo manet, compassionis expers est. Sed ille seruus egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.* Barradius crudelitatis causam huiusce auaritiam assignat. *Inexorabilem hunc hominem reddidit auaritia, centúmque denariorum cupiditas. Inexorabilis est auarus; vt argentum extorqueat, se suffocabit.*

Theoph. Barrad. *Crudelis auaritia.*

10. *Dei serui nõ possunt sine dolore aspectare delicta.* Psalm. 118. Remig. Anselm. *Angelus custos.*

Contristati sunt valde.] Haud possunt serui Dei sine dolore hominum aspectare delicta. Sic Dauid, *Vidi prauaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Psalm. 118. Remigius, *Serui hi cuncti fideles, qui contristantur, cum quis non miseretur fratris.* At Anselmus seruos hosce compassione affectos Angelos tutelares exposuit. *Videntes autem conserui, id est, Angeli, qui referunt Deo gesta hominum.* Addit, *Vel prædicatores Euangelici.*

11. *Æterna pœna.* Remig. Theophyl.

Quoad vsque redderet vniuersum debitum, traditur tortoribus. Remigius, *Tortores dæmones, semper ad hoc parati, vt perditas animas suscipiant, & torqueant.* Semper ne torquebitur? Theophylactus, *Quousque reddat, quod debebatur, hoc significat, quod tamdiu puniatur, donec reddat: nunquam autem reddet, quod debebat, videlicet pœnam, quam meruerat; semper ergo punietur.*

12. *Num punitus fuerit hic seruus ob debitum iã remissum.*

An hic seruus punitus fuerit propter debitum iam remissum? Affirmans pars hisce constat ex verbis: *Tradidit enim tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum*; ergò propter decem millia talenta iam remissa torquebatur. Ergo Deus hominem punit propter crimina quæ iam semel condonauit. Nego consequentiam, quia in parabolis aliqua sunt parerga, quæ ad significandum non ponuntur. Reddit quidem debitum illud humanum, ita vt pro eo debitor torqueatur à Rege. At non significat debitum, quod Deo debetur, si semel remittatur, iterum reuiuiscere. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Roman. 11. Peccata, quæ semel omnino condonat, nunquam iterum punit. Punit illa, quæ per pœnitentiam non fuere remissa: de iis verò quæ omninò remissa sunt, pœnas non expetit. Peccata quidem omninò remissa illa appello, quæ tum quoad culpam, tum quoad pœnam à Deo per pœnitentiam, debitámque satisfactionem sunt condonata. D. Prosper lib. 1. Respons. resp. ad 2. obiect. Gallor. *Qui recedit à Christo, & alienatus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non, si in quod remissum est, non recidit, nec in originali peccato, damnabitur. Qui tamen propter postrema crimina, ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt debebatur.* Sic D. Thom. 3. part. quæst. 88. Redire equidem per nouum peccatum possunt dici peccata dimissa; quia redit æterna pœna, quæ fuerat condonata. At non redit propter condonata crimina, sed propter nouum non remissum. Itaque peccata condonata non reuiuiscunt; opera verò bona, quæ gratia Dei præditus gessit is, qui delinquit: Si pœnitentiam peccati agat, reuiuiscunt.

Rom. 11. Prosper. D. Thom.

13. *Vt Deus tibi ignoscat, parce conseruo.* Eccli. 28.

Sic Pater meus cælestis faciet vobis si non remiseritis, &c.] Parce fratri, vt tibi parcat Deus: huc tota parabola spectat, Salomon ait, *Qui vindicari vult, a Domino inueniet vindictam: & peccata illius seruans seruabit. Relinque*, (remitte,) *proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Addit, *Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?* Eccli. 28. Quid à Deo tibi precaris, quod proximo precanti non impendis? Augustinus, *Si non dimiseris, replicabo tibi quidquid dimiseram.* Preme, *Replicabo.* Potest enim Deus arguens valide replicare. Non dimittam, quia non dimittis.

August.

14. *Non solum ore, sed & corde fratri parcendum delinquenti.* Hieron.

De cordibus vestris.] Non ore tantum, sed & corde odium est repellendum. Hieronymus, *Quia potest vnusquisque dicere: Nihil habeo contra fratrem, ipse nouit, habet Deum iudicem: Non mihi cura est, quid velit agere: Ego ignoui ei; confirmat Dominus sententiam suam, & omnem simulationem ficta pacis euertit, dicens: si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Multi Ioabi imitatores ore proferentis. *Salue mi frater*, corde autem vulnera Amasæ præparantis. 2. Reg. 20.

2 Reg. 20.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM,

EX SERVI IN CONSERVVM CRVDELITATE.

OBSERV.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Et egressus seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat illi centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes,

Rex dimittit seruo decem millia talenta, seruus conseruo centum denarios non remittit.

Gesta enim mitia plerumque natalitij nobilitatem, crudelia vilitatem sapiunt.

15. Chrysost.

CHRYSOSTOMVS apud Thom. in Cat. *Vide Domini charitatem, & serui agnatam crudelitatem Vide*, inquit, *Siempre salta à los ojos*, gesta sequi natalitium. Nobilibus est ortus parentibus? Egregia plerumque gesta exponit. Obscuro è sanguine coalescens? Opera digna tenebris præsentabit. Agnata nobili pietas, crudelitas autem vulgari viro obscuro orto natali manifestatur.

16. *Iacob se curat eximere à propinquitate crudelium, ne vilis habeatur.* Gen. 49. Caietan. Lippom.

Iacobus nobilissimos Christi genitor à Simeonis & Leui necessitudine curabat ablegari. *Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum.* Sichem scilicet propter sororis stuprum. Gen. 49. Caietanus, *In Hebræo pulchrius habetur, In secretum illorum anima mea, non veni: in cœtu illorum non i solus honor meus.* Cur monet honorem ne solus in occidentium Sichem cœtu progrediatur? Respondet Lippomanus, *In cœtu eorum non i solus honor meus, ne periclitetur fama mea*, seu nobilitatis meæ opinio, *ex eorum consortio.* Quis non putet abiectos, ignobilésque crudeles homicidas? Ergo nobilissimus Christi progenitor appositè curat se crudelium abnegare parentem; quia crudelitas ignobile admodum assolet arguere natalitium.

17. *De Iosepho qui non degenerauerat à natalitij nobilitate, non poterat præsumi crudelitas in fratres.* Gen 50. Lippom.

Mortuo Iacobo, fratres Iosephi mutuò colloquuntur; Ne fortè memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus; mandauerunt ei, dicentes; *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, vt obliniscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Gen. 50. Cur Iacobus dum superstes erat, id à charissimo filio non expetiit? Profectò quia sciens nobilissimum filium nunquam gestis iniquis à generosa prosapia degenerasse quemadmodum Simeon & & Leui Sichem occidentes: superuacaneum fortè putauit ei mansuetudinis documenta proferre. Nobilis est? Vel hostibus se se mitem ostendet. Ad hanc mentem allicio Lippomanum. *Videntur patris se finxisse verba, licet non dubitauerint voluisse id patrem. Sed propter Iosephi agnatam mansuetudinem nihil tale necessarium credidisse. Melior enim de tali filio existimatio erat, quam vt se vindicaturum formidasset.* Verè filius Iacob est, Abrahami nepos, qui nunquam à generosa prosapia degener apparuit? Nobilitas eum omninò à vindictæ, crudelitatisque amouebit affectu.

18. *Flet Ioseph propter laesam famam præsumpta à fratribus vindictæ.* Gen 50. Rupert. Lippom.

Adiicit sacer Textus, *Quibus auditis, fleuit Ioseph.* Gen. 50. Cur lachrymas Prorex profunderet? Rupertus. *Ingenitæ clementiæ hæc laus est.* Nobilis vir lacrymis fratres obortis exaudiuit. Ingenitæ clementiæ luctus hic erat. Dolebat enim nobilitas huiusmodi nota inuri. Nobilitas læsa est vel inferendæ vindictæ suspicione. Vilis natalitij non ingenitæ nobilitatis est crudelitatis affectu vel in hostes irruere. Mihi ingenita mansuetudo, quia nobilitas sacræ stirpis ingenita. Lippomanus, *Quibus auditis fleuit Ioseph; nihil enim minus in mentem venerat sancto viro, quam se vindicare de illis, quibus interim salutem impertitus, benefecerat ex animo.*

19. *Christus Herodem quasi non æstimauit Regem, quia crudelem vidit.* Luc. 22. Iansen.

Christus ad Herodem Regem adducitur, qui variis quæstionibus haud potuit à Domino vllum verbum extorquere: *Nihil illi respondebat.* Luc. 23. Qui apud hortum hostibus profatur: *Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus.* Luc. 22. Cur Regem alloqui non dignatur? An Regiam dignitatem reueritus non est? Pilato respondit non semel, ne, ex mente Patrum, videretur Magistratus non reuereri dignitatem, Herodes Rex erat vincens Pilati Præsidis dignitatem; quare igitur Regi non respondit? Iansenius, *Quia eius crudelitas non merebatur audire diuina.* Videt IESVS Herodem crudelissimum Ioannem Baptistam occidisse, & Regem minimè reueretur; quia rex non est, qui vilium homunculorum crudelitatem imitatur. Nobiles decet pietas, crudelitas vilium, abiectorúmque vitium esse quis abneget?

20. *Pietas decet nobiles, Nihil ignobile arguit forma serui, quam induit Dominus, ad pietatem ostendendã.* Luc. 19. Titus Bost.

Pietas planè decet viros nobilitate fulgidos. Fatur Dominus, *Homo quidam nobilis abiit in Regionem longinquam ac ipere sibi Regnum. Vocatis autem decem seruis dedit eis decem mnas.* Luc. 19. Vndenam nobilitas viri huius Imperio digna exponenda erat, nisi erga commoda seruorum, pietate? Nam qui potuit iustè genus humanum à se repellere, sibi coniunxit in piaculorum medicamen. Titus Bostr. *Parabolæ propositæ scopus est vniuersam diuini Verbi œconomiam nostri causa susceptam breuiter nobis ob oculos ponere. Etenim Deus Verbum factus est homo, eáque de causa sortitus est nomen serui. At vero secundum inexplicabilem generationem, quam habet ex Patre, erat, manétque semper illustris, & ingenuus.* Haud seruus dum fit ab ingenita cadit nobilitate, quia pietas in homines à seruili forma ablegat nomen seruitutis.

21. *Actio vilissima euerrendi Regem decet nobilissimum, dũ pie requirit perditam hominum naturam.* Periand. Luc. 15.

Quam seruilis actio, domum euertere sub mulierculæ typo. Vt Periander nobilis fœminæ annotet extremam fortunæ miseriam, ait fuisse addictam *vilium mulierculaium turba, quæ Regiam verrebant aulam.* Fœmina illa Euangelicæ similitudinis *habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat*, &c. Luc. 15. Ex mente Patrum mulier domum euertens Rex cœlestis est vili indumento amictus, vt hominem perditum inueniret. An non nobilitas tanti Principis læditur dum addicitur mulierculis euertentibus domum? Imò eius nobilitas magis innotescit; quia pietas

pietas quærendi deperditam hominis naturam nobilitatem necessario connotat Deitatis. Pulchrè Apponius. *Non enim iniuria deputatur artifici, pretiosum annulum lapsum in corporis foueam, paulisper deposita stola, ad quærendum descendere, & inuentum rursum sua dextera reddere. Nam quidquid humile, quidquid vilissimum, quidquid despectum, indignumque stulta Gentilitas opinatur: hoc gloriosum, hoc perquam magnificum apud diuinam clementiam esse probatur.* Nullatenus potest quid vile cum clementia coalescere. Pietas est? Agnatam ostentat nobilitatem; sicut crudele quoque ingenitam solet arguere vilitatem.

Appon.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et tenens, suffocabat eum dicens, Redde quod debes.

Cum seruus se videbat aduersa fortuna abiectum submittebatur: cum prosperitati reducitur, obliuiscitur aduersitatis, & simili abiecto non miseretur.

Proprium hominum est, cum fortuna mutari. Rarus, ac commendabilis admodum, qui in magna fortuna, memor abiectionis præterita operetur.

22. Chrysost.

CHrysostomus, *Non multo post, sed quasi in auribus habens adhuc beneficium, egressus seruus ille inuenit vnum de conseruis,* &c. Tam citò mutatur? Qui supplex rogabat ante instans temporis, supplicem repellit? O fortunæ immutationem? Illicò proximæ abiectionis memoria prælapsa, tota hominis œconomia mutatur. Quam rarus, ac commendabilis est ille, qui è fortuna priuati, aut abiecti ad fœlicitatem progrediens, iuxta præteriti status dictamina operetur.

23. *Laudatur Theodosius, quod Imperator, priuati conseruarit dictamina.* Pacat.

Doctus admodum, & ingeniosus Gallus Latinus Pacatus in Panegyr. Theodosium effert laudibus, quod Princeps augustissimus juxta militis priuati fortunam præteritam fuisset operatus. *Optimus quisque Princeps ditabat, non etiam diligebat: prodesse nouerat, amare nesciebat. Tu amicitiam nomen antè priuatum non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro, gemmisque redimitam solio recepisti: neque non verbis asseruisti Principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior. Familiaribus tuis,* (attende,) *Imperator tribuens, quod priuatus optaras.* O virum egregium, qui ad fortunam sublimem euectos priuati dictamina conseruauit!

24. *Commendatur Centurio, quod herili in fastu, non fuerit oblitus priuati militem fortunam.* Matth. 8.

De militum Præposito illo à Domino commendato fatur Matthæus, *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* cap. 8. Laudat Dominus Centurionis opus proclamans: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Vndenam tam commendabilis Centurionis pietas? ipse respondet: *Habeo sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit,* &c. Vt exponam, præmitto militaribus dignitatibus homines non nasci; sed aut diuturnitate pugnandi, aut præclaris facinoribus acquirere vt aliis præponantur, & Centurionis munere fungi possint. Laudatur ergò pietas Centurionis, quod cum priuatus fuerit aliquando miles euectus iam ad militarem dignitatem priuati militis dictamina conseruarit, procurans seruum sanitate, (Dominica pietate,) donari. Mentem hanc debeo D. Basilio Seleuc. orat. 59. *Qui pro seruo legationem obit, in se medicamentum gratia præconsumit. Non serui contempsit afflictationem herili fastu iam turgens. Non inueni tantam fidem in Israel.*

Basil. Sel.

25. *Dauid Imperator conseruabat dictamina priuati militis.* 2. Reg. 23.

An non in Israël inuenisti ô Conditor virum qui euectos ad Regiam dignitatem dictamina priuati militis conseruarit? Inueni quidem in Dauide. Tres viri fortissimi milites facto per hostes itinere, aquam Regi optatissimam attulerunt. At Dauid *noluit bibere, sed libauit eam Domino.* 2. Reg. 23. Cur aquæ non fruitur refrigerio? Quia memor erat militis abiectioris fortunæ, priuatique dictamina conseruabat.. An dulcis siti Regiæ aquæ vnda, quæ sanguine militum fortissimorum rubricatur. An Rex approbem, quod priuatus miles damnabile proclamarem? Angelonomus apud Strabum. *Exemplum Rex constantia prebuit, vincens naturam, ne biberet.* Quonam modo vicit naturam? Quia agnatum homini ad fortunam sublimem euecto, obliuisci priuati, aut vulgaris dictamina. Asseruit Ambrosius lib. 1. de Iacob, & vita beat. cap. 1. maioris fortitudinis fuisse Dauidem appetitum vicisse, quam Philisthinorum exercitum superasse; quia difficilè admodum est Regem pristinæ abiectæ fortunæ recordari, & iuxta illius statum sentire, & actiones exercere. Si iam fidelis Dauid inuenitur, cur Dominus asserit se tantam fidem in Israël non inuenisse? Certè quia mirabilior actio Gentilis apparet in affectu, quam in Israëlitæ operatione.

Angelon.

Ambros.

26. *Aduatus imperio apparet Ioseph, qui carceris quasi præpositus factus, vincti dictamina informat.* Gen. 39. Gen. 40.

In carcerem Ioseph detruditur miser, & à Præposito carceris à miseria releuatur. *Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius, & dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur.* Gen. 39. Deliquere Pharaonis eunuchi, carceri addicti sub Iosephi cura alligantur. *Ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?* Gen. 40. Deinque Ioseph à Pharaone è carcere eductus eum collocauit in solio. Quare? Respondeat Iacob, *Sedit in forti arcus eius.* Gen. 49. Caietanus, *In constantia.* Vir constans admodum Ioseph, quod miser vinctus sentit, hoc vinctorum custos operatur: recordatus vincto agnatæ tristitiæ, custos vinctorum tristibus miseretur. Qui ergò euectus ad fortunam eleuatiorem abiecti status circa pietatem dictamina constanter tuetur: dignus solio ostentatur. *Num non ex constantia,* (loquor cum Cardinali,) *pietatis sua meruit exaltari a Pharaone?*

Gen. 49. Caietan.

27. *Aptus Petrus Prælatus, qui Pastor, non se putat aliis ab omnibus.* Ioan. 21.

Vt Christus Petrum præpositurus Ecclesiæ, prius explorat, an præclarè munus obiret? quod quidem manifestaturus erat, si se aliis condiscipulis non præferret. *Diligis me plus his?* Respondet Petrus, *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Ioan. 21. Non dixit, Tu scis quia amo te plus condiscipulis, sed solum asseruit se Dominum diligere. Non se præponit reliquis postquam

audit

audit non semel: *Pasce oues meas.* O dignum primatu, qui & eleuatus ad dignitatem pastoris, ouis dictamina conseruat non se præferendo subditis! Toletus, *Vt humilitatem eius alius manifestaret, quod iam cæteris non se præferre, nec comparare ausus esset.* Pascat oues, qui pastor cum nominetur, non se audet ouibus præferre.

Tolet.

Observat. III.

Ad illa verba:

Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, &c.

Seruus ille egressus à Domini tribunali, seu ablegans è memoria iudicij diuini rectitudinem, ad iniquissima gesta prolabitur.

Continet planè homines iudicij memoria. Immemor iudicij, iniquissimis actionibus implicatur.

28. Anselm.

EX mente Anselmi, *egressus est* seruus ille à Deo, seu *à captiuitate iudicij liberatus.* Vulgariter expendam: *Viose libre del captiuerio del juicio de Dios.* Quid plura? Irruit in conseruum, *& suffocabat eum.* Anselmus, *Non sinebat eum reddere rationem.* Augustinus, *Acriter insistebat, vt vindictam exigeret.* O vile facinus! Homo ne desæuiet in hominem, *non multo post,* (Chrysostomus,) *sed quasi in auribus habens adhuc beneficium?* Quid mirum in grauissima, ac turpissima crimina proruisse, qui à iudicij Dei memoria fuerat egressus?

29. *Egredi seruum à iudice Deo, idest ac polluì animum* [illegible]

Mirabar aliquando tanto fuisse seruum ingratum liberatum à debito. At dum video eum à Dei iudicij memoria egressum grauissimo, fœdissimóque piaculo impietatis implicari: video pœnam horribilem subiisse, qui à iudicij memoria prolapsus est, si abstractus à memoria iudicij [illegible]nio piaculo implicatur. Dauid canit, *Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius,* Psal. 9. *Non est,* ait, *Deus in cōspectu eius* serui, quia *egressus.* Mox abstractus à conspectu iudicis grauissimo impietatis peccato polluitur: *Et suffocabat eum.* Cur non punitus fuerat tam impius seruus tot debitor antea talentorum? Certè *auferuntur iudicia tua à facie eius.* Illud ipsum egredi à iudice Domino, qui rationem cū illo posuerat, obliuionique tradere iudicia Dei grauissimi delicti, quodammodóque extremi supplicij locū exercere videtur. Augustinus ser. 320. de Temp. *Irremeabile periculum est, sic aliquem vitiis, & cupiditatibus frena laxare, vt se rationem Deo non memineris redditurum.* Addit meo argumento conuenientius, *Puto, quia magna iam sit peccati pœna, metum, ac memoriam futuri perdidisse iudicij.* Ergo cum egredi à iudicio permittitur, iam pœna pro patrando piaculo præsignatur. O miserum qui oblitus iudicij delinquis! O miserrimum, qui in pœnam delicti grauissimi obliuionis iudicij persistentia tibi est permittenda!

August.

30. *Qui egreditur à iudicij memoria, quasi desperatur.* Eccles. 5. Chald.

Vis desperati peccatoris statum obiiciam? Iudicij Dei oblitus est. Ecclesiastes, *Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* c. 5. Vbi Chaldæus Castii: *Est autem pernitiosum malum, quod vidi sub sole, cui medicina non est: homo qui diuitias congregat, neque eas ad pietatem confert, parum sane prouidens dierum finem.* Quinam diuitias congregat, & non ad pietatem nisi improbus ille seruus, qui ob denarios conseruum suffocat? Huic malo *medicina non est?* Quomodo parabitur medicamen exitiali vulneri illius, qui dierum finem, iudiciūmque tunc instans ablegat à memoria?

31. *Vt exaggeretur ambitio, comparatur ei, qui obliuioni tradit Dei iudiciū.* Chrysost.

Vt exaggeret D. Chrysostomus apud Thom. in Cat. ad cap 20. Matth. crimen illius, qui ambit Præsolatum, profatur pulchrè, *Primatum Ecclesiæ concupiscere, nec iustum, nec vtile. Nullus sapiens vult vltrò se subiicere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia; nisi fortè qui non timet Dei iudicium.* Quisnam periculis addicitur vltroneus, grauibúsque se piaculis implicat, nisi qui à memoria iudicium Dei expellit?

32. *Necessaria memoria iudicij iis, qui talenta pecuniæ accipiunt administranda.* Luc. 19. Auson.

Rex ille peregrè profecturus, *Vocatis decem seruis dedit eis decem mnas, & ait ad illos, Negotiamini, dum venio.* Luc. 19. Cur in tradendis talentis statim iudicij memoriam ingessit? Quia necessaria iudicij memoria seruis, qui talenta à Deo pecuniæ accipiunt, nè in conseruos crudeles insurgant. Quia vt ait Ausonius, *Auaritia mater est impietatis.*

33. *Petro, qui diligit Dei iudicium, nō dicitur, Pasce oues dū venio.* Ioan. 21. Psalm. 98.

Petro dantur oues pascendæ, *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Quare Christus profecturus Rex non adiicit: *Dum venio?* Certè quia Princeps à Christo aptissimus imperio delectus, proculdubio Dei iudicium diliget, iuxta illud: *Et honor Regis iudicium diligit.* Psalm. 98. Princeps illustris cuius honor egregius, diligit iudicium, quia memor nouissimæ rationis reddendæ supremo iudici cuncta opera exponit. Digno ergo Pastori à Domino electo non indicitur iudicij memoria, quam proculdubio probus pastor diliget, qui diligit electorem: *Domine, tu scis, quia amo te.* Ioan. 21. Porrò Petrus minimè posset piè se erga subditas oues habere, ab omnique lanæ abstinere auaritia, nisi iudicij crebra memoria muniretur.

34. *Dauid Saulem non occidit, quia in somno philosophatus est de morte, & iudicio.*

Quam pius vel in hostes Dauid, qui cecinit, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Psalm. 131. Quod si rogites, vndénam Regi tanta mansuetudo, vt *omnis* possit appellari, scilicet erga amicos, & inimicos? respondebo, quod ex continua iudicij memoria. Nactus Dauid occasionem assumendi de crudelissimo hoste Saule vindictam ingreditur nocte intempesta Regium tentorium, dormientem inuenit Saulem, & lanceam ad caput. Arrepta ne lancea hominem confodit? Minimè, imo socium cupientem Dauidis ferro terminare labores, infrænauit. *Et dixit Dauid ad Abisai, Ne interficias eum. Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* 1. Reg. 26. Vndénam Dauid à tam iusta vindicta fuerit auocatus? Chrysostomus hom. de Dau. & Sau. *Dauid intuitus inimici dormientis faciem, hinc maximè sūpsit animū philosophicū, Conspiciebat illū dormientē, & de morte omnibus cōmuni philosophabatur.* Omnibus mortis somnus instat, & post mortem

1. Reg. 26.

Chrysost.

Adam.

mortem iudicium. Nam, vti pulchrè Adamus de Perse. *Somnus mortis referat iudicij veritatem.* Quonam modo audebo in Christum Domini manus exerere, si commonis omnibus somnus mortis, quem sequitur districta iudicis cœlestis ratio apponenda? *Sumpsit animum philosophicum.*

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Domino patientiam exhibente, debitor seruus acquiritur: homine creditore patientiam Dei imitante proximus debitor plenariè satisfacit.

Citius debita recuperat, qui maturius scit expectare: perdit planè qui impatiens exactor ostenditur.

35.

VTitur conseruus illa socij deprecatione: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi;* qua quidem ipse à Domino veniam fuerat consecutus. Asseruit Origenes seruum decem millium talentorum debito adstrictum Domino satisfecisse, scilicet pœnitudine. En patientiæ Domini fructus. Ast seruus hic noluit conseruum patienter expectare, sed suffocabat eum, siue debitum exigebat. An impatientia creditoris potuit debitum exquirere? Minimè verò. Cur ô miser Domini patientiam æmulatus non fuisti, vt debitum recuperare posses? Citius equidem recuperat debita, qui maturius scit expectare.

36. *Patientia Patris expectantis recuperauit omnia talenta data filio prodigo.* Luc. 15.

Seruo prodigo Dominus magnam talentorum vim tradiderat, quam ille *viuendo luxuriosè* dissipauit. Redit ad domum supplex, quasi proclamans: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Reddidit planè omnem substantiam deperditam, qui omni solutus debito ad statum pristinum est reuocatus. *Cito proferte stolam primam, & induite illum,* &c. Luc. 15. Si impatienter tunc pater exigeret debitum, minimè filius pœnitudine satisfaceret. Acquisiuit talenta tradita filio, qui patientiam ostendit in prodigo. Tertullianus lib. de Pat. *Illum prodigum filium patientia patris, & recipit, & vestit, & pascit, & apud impatientem fratrem excusat.* Preme illud: *Prodigum filium patientia patris recipit.* En debitum recuperatum; nam ille dissipauerat *substantiam suam,* id est, se ipsum perdiderat. Traditum ergo talentum Domini patientia recuperauit.

Tertull.

37. *Debitrix ouicula reddidit debitū omne ex patientia Pastoris.* Luc. 15. Tertull.

Ouicula debitrix sui ipsius exponitur, se se ipsam à Pastore cœlesti accepit, fugax debita abnegat creditori. Quid Pastor æternus? Num exigit debitricem? Patienter expectat, & recuperat: *Cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. Ad quæ Tertullianus citat. *Erroneam ouem patientia Pastoris requirit, & inuenit. Nam impatientia ouem facilè contemneret, seu amitteret omnino. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, & humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam.*

38. *Ob patientia Dei expectationem Adamus pænitens omnia reddidit.* Gen. 3. Abul.

Quam debitor Adamus! Decem millia profectò talenta acceperat, omnibus donatus dotibus, Princeps creaturarum constitutus. Deliquit œconomus, & Dominus positurus cum eo rationem, inclamitat, *Adam vbi es?* Adnotat autem Moyses, *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Gen. 3. Cur ad auram? Abulensis alibi sub alia thesi datus, *Ad auram, id est, contra auram, quia qui contra auram, id est, ventum mouetur, tardus mouetur.* Cur autem Dominus tardus mouetur, cum exigere Adamum pro debito accurrit. Certè quia exactio validior est expectante patientia creditoris.

Deus index patiens expectator, vt exigat debitum. Dan. 7.

Dominus à Propheta describitur tribunali iudiciario hærescens, positurus cum seruis suis rationem. *Senior, & antiquus dierum, capilli capitis eius sicut lana munda.* Dan. 7. Quare Deus iudicaturus, rationémque cum seruis positurus senili ostentatur specie? An vt patiens expectator appareat? Omnia planè debita redduntur patienti expectatori. Lyranus, Senex apparet *propter maturitatem iudicantis, quia Dei sententia non est festina, sed* post patientem expectationem *maturè prolata.* Patientia exactio est.

Lyran.

39. *Diuitiis patientia Dei, quia talenta data recuperat?* Rom. 2. Bernard.

Paulus monet, *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis, ignorans, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2. Vbi Bernardus serm. 9. in Cant. adnotat, ex eo quod Deus sit diues in patientia, non statim puniens, sed expectans post multa tempora, homines ad pœnitentiam adduci. Premo autem particulam: *Diuitias patientia.* Quænam precor patientiæ diuitiæ, nisi fructus expectationis Dei? Nam patientiam habenti in peccante omnia redduntur. Diuitiæ ergò patientiæ sunt decem millia talenta, quæ Dominus ex patientia à debitore recuperauit.

40. *Ne ineffabili Dei, ô debitor, patientia abutaris.*

Attamen ne ex ineffabili Dei patientia debitor insolens soluere tandem renuat, moneo Deum post longam expectationem non reddentem debitum acriori afficere supplicio. *Dixisti, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi?* Si non reddis, Dei patientia vindicatrix exsurget. *Deus index iustus, nunquid irascitur per singulos dies?* Psalm. 7. Aquila legit, *Deus index iustus, fortis, & patiens, & infrendens in omni die.* Si tam patiens, quonam modo infrendens ac comminator obiicitur? Quia Dei patientia soluenti salutatis, impœnitenti renuenti soluere comminatrix ostenditur. D. Hieronymus, *Pulchrè ait, Comminant & infrendens omni die. Qui enim propter patientiam suam ita delicta non punit; quasi iratus, & comminatus diem vltionis expectat.*

Psalm. 7.

Hieron.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque reddat vniuersum debitum.

Misero

Misero debitori satius fuisset, primùm temporaliter à Domino exigente puniri, quàm toto debito dimisso, dimissus ipse tortoribus æternum punituris postmodum addici.

Fœlix qui Deum temporaliter experitur iratum, si supplicio affectus temporario, non subibit æternum.

41. Remig.

Remigius ait, *Miser hic damnatus persoluet, sed nunquam persoluet.* Satius illi, si ex laborum sustinentia exactio hic ei facta esset, redderet fortassè redditum vniuersum. Iusserat Dominus seruum debitorem, vxorem, filios, omniàque quæ possidebat, venundari, vt solueret. Chrysostomus, *Non iussit ex crudelitate, sed ex amore.* Nam ineffabiliter amans punit hic debitores: *iratus* autem horribiliter tradit debitorem tortoribus tartareis sine termino puniendum: *Persoluet, sed nunquam persoluet.*

Chrysost.

42. *Sunt Deus hic tradit exactoribus vt soluant, ne postea tortoribus tradat æternùm puniendos.*

Rationem curat Deus ponere cum electis suis, qui deliquerant, talenta dissipando: exactores ministros immittit, fatus: *A sanctuario meo incipite.* Ezech. 9. L X X. *A sanctis meis incipite.* An ministri illi verbo solummodo erant vulneraturi debitores? *Vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis, & dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Transite,* (illis ait Angelis exactoribus,) *per ciuitatem sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulos, & mulieres interficite vsque ad internecionem: & à sanctuario meo incipite.* Mitos equidem sanctos ab exactoribus non liberari. Christus vestitus lineis à Patre immissus positurus cum seruis suis rationem accedit, mitius planè tradit suos hic exactoribus, hoc est, laboribus, ac tribulationibus, vt debita soluantur; quam tortoribus postea æternum puniendos. Ambrosius ad Psalm. 118. *Quos miseretur enim citò castigat; vt non diutius afficiantur futuri expectatione iudicij, non prolixius misera reatus sorte macerentur.*

Ezech. 9.

Ambros.

43. *Petit Dauid non Dei patientia expectari, sed illicò puniri.* Psalm. 118.

Ideò debitor Dauid clamat, *Iudica iudicium meum, & libera me: propter nomen tuum viuifica me. Longè est à peccatoribus salus, quoniam iustificationes tuas non exquisierunt.* Psalm. 118. Debitor peccator exquisiuit, *Patientiam habe in me*; cum deberet deprecari, *Iudica iudicium meum, & libera me* à debito, affectum scilicet supplicio. Ideò ab huiusmodi debitore longè est salus, quia iudicium non exquisiuit. At ego haud deprecor patientiæ expectationem, sed iudicij, ac supplicij inflictionem exquiro, vt mihi sit proximè salus. Ambrosius pulchrè, *Quorum ferum est iudicium, eorum salus longè est.*

Ambros.

44. Alibi Vates, *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Psalm. 98. Propitius quomodo, si vlciscens? imò ideo propitius, quia non dissimulat, sed pro debitis mox vindictam assumit, nè tortoribus tradat debitores. Bernardus serm. 42. in Cant. *Hoc vocat propitiationem, quod eorum Deus non pepercit excessibus.*

Deus propitius, cum vlciscitur. Psalm. 98.

Bernard.

45. *Cum iratus fortes meos in ira mea exultantes in gloria, saginatur ille in mactationem.* Isa. 13.

Porrò iratus Dominus hic non irascitur aduersus debitorem, sed talenta non exigit, vt saginatus debitor gladio addicatur. *Vocaui,* (ait Rex iratus,) *fortes meos in ira mea, exultantes in gloria.* Isa. 13. Preme nostræ parabolæ clausulam illam: *Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: serue nequam,* &c. *Et iratus tradidit eum tortoribus.* Vocatur itaque debitor in ira postquam temporali exoltauit in gloria. Cur gloria et temporaria, incolumitàsque permittitur, nisi vt saginatus mactaretur? Minutius Felix in Octauio sic de impiis ditescentibus: *Nisi fortè vos decipit, quod Deum nescientes diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victimæ ad supplicium saginantur.*

Minut. Felix

46. *Misericordia expectationis, à fesset supplicium, non satisfactio debitoris.*

Fatur Rex iratus in debitorem, *Misereamur impio, & non discet facere iustitiam.* Isai. 26. 10. id est, pro debitis satisfacere. Prob Deus immortalis, quam horribilis huiuscemodi misericordia est! Bernardus vbi supr. *Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio illa. Satius profectò mihi apprehendere disciplinam, nè quando irascatur Dominus, & peream de via iusta. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum; sed illa ira, qua corrigis deuium: non qua extendas deuia. Illud tua nobis animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio.* Premo illud: *Ira, qua corrigis deuium, non qua extendas deuia.* Liceat inuertere. *Ira, qua corrigis debitorem, non qua extendas debita.* Cupio venundationi tradi, nè tortoribus postmodum committar æternum puniendus.

Bernard.

47. *Vel diabolo exitiale est dilatum fuisse iudicium, quid homini, qui peregit, debitis satisfacere.* 2. Petr. 2.

Difficilè do Petri testimonium, *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* 2. Petr. 2. Si in tartarum traditi dicuntur, quodammodo reseruati in iudicium prædicantur? Non statim totum cum illis iudicium peregit: sed data ex tunc pœna grauissima damni, & ignis, adhuc iubet eos expectare damnationem æternæ reclusionis, quam post hominum iudicium ipsi postremo accipient. An non damnatio illa in posterum reseruata obiicitur vt maxima diaboli pœna? Ita planè. Ambrosius serm. 20. ad Psalm. 118. *Differtur diabolo iudicium, vt sit semper in pœnis reus, improbitatis sua innexus catena, conscientiaque sua; vt in perpetuum sustineat ipse iudicium.* An non satius fuisset diabolo illicò omninò subire iudicium, quam ad illud æternè subeundum reseruari? Quis abneget. Si ergo diabolus tartareo igni addictus, damnique pœna affectus, tam damnificatus obiicitur ex rationis dilatione: quid homines, qui si in præsenti debita reddere cogerentur, æternam vitæ tent exactionem?

Ambros.

LIBER TERTIVS.

EPVLO DIVES.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumſextum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Ieſum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vita, ſeu IESV locuti in Parabolis, FRVCTVS TERTIVS.

PHARISÆORVM auaritiam, & luxum taxaturus Dominus Lazari affert exemplum, in ſolum Deum ſpem omnem collocantis; qui ex fame, & ſqualore ereptus, in ſinum Abrahæ, cuius verè filius erat, recipitur: & cuiuſdam diuitis epulonis, qui, quòd omnes vitæ delicias ſectatus Lazarum non alimonia, & ne micis quidem panis dignatus eſſet, in tartara deiectus lamentatur. Nam quia hîc felix pauperi miſericordiam nullam exhibuit, in alio ſæculo infelix nullam viciſſim à felici Lazaro eſt conſecutus. Clamitabat miſer, *Pater Abraham, immitte Lazarum: vt intingat digitum ſuum in aquam,* &c. O ſi poſſet precari, Mitte filiam Mariam, vt gutta refrigeret incendium! proculdubio, (myſticè quidem,) conſecutus fuiſſer. Perpulchrè ait Richardus Laurent. lib. 12. de laud. Virg. *Gutta eſt Chriſtus Filius Mariæ, quia Chriſtus de cœlo,* (fonte æterno,) *profluxit ad Virginem. Gutta hæc pretioſa eſt, cuius pretio ſumus redempti. Huius pretij Maria fuit ſtatera, & quia præponderauit gutta peccato, ſublatum eſt peccatum, & paßio deſcendit in terram. Præponderauit debito detentionis multorum in inferno; vnde gutta deſcendente ad inferos, illi eleuati ſunt de inferno.* Inclinaret ſtatera Maria guttam ad tartara. An diues è vaſtiſſimo tormentorum gurgite emergeret? Damianus aſſeruit, de quo Volum. 3. plura.

Richard. Laurent.

LVCAS

LVCAS CAP. XVI.

VERS.19. HOMO quidam erat diues,& induebatur purpura, & bysso : & epulabatur quotidie splendidè.

20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.

21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

22. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.Mortuus est autem & diues,& sepultus est in inferno.

23. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma.

25. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

PARAPHRASIS.

19. DOCTRINAM *suam præfatam de beneficentia erga pauperes apposito Dominus confirmat exemplo. Erat homo prædiues qui vestiebatur purpura & bysso ; & nequid deesset ad oblectamentum, comessabatur quotidiè magnificè, simul & ambitioni seruiens, & voluptati.*

20. *Erat simul huic multum dissimilis mendicus quidam nomen habens ex re, Lazarus, quod omnibus mundi præsidiis destitutus, Dei solius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec vestis, nec cibus, nec corporis valetudo.*

21. *Vlceribus enim plenus, qualis legitur fuisse Iob, ad ianuam diuitis iacebat, expectans vt aliquid ei de micis è mensa diuitis cadentibus mitteretur. At canes illic panibus saturati, delicianti diuiti inhumanitatem improperabant. Veniebant enim & vlcera inopis vulnerati lingebant.*

22. *Subitò rerum vices inuersæ sunt. Mors enim omnibus imminens vt diuiti voluptatum est finis, ita afflicto pauperi terminus est dolorum. Euenit quidem vt moreretur mendicus, & ab Angelis Dei in sinum est Abrahæ deportatus. Eodem tempore mortuus est & diues. Lazaro sepulturæ honor haud habitus est ; diues autem magnifica hic pompa elatus, ibi raptus à dæmoniis tartaro sepelitur.*

23. *Cum autem vterque iam esset apud inferos, diues tormentis actus, eleuatis oculis Abrahum eminus conspexit, agnouit & Lazarum antè spretum in sinu illius summa quiete solatióque fruentem. O mollissimum patris complexum!*

24. *Frustra itaque blandus factus, ac mendicus, diues inclamat: Pater Abraham miserere mei, ac mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, quo vel vna guttula linguam meam refrigeret: adeò discrucior in hac flamma. Non dignabaris inopem tecto tuo, illum sinu suo Patriarcha dignatur. Tu nec cibo, nec potu refocillasti egentem, nunc æterna quiete reficitur, qua nec famis nec sitis molestiam nouit.*

25. *Ad quem Abraham, Fili, refrigerium, quod nunc sero petis, quum in viuis esses, proximo refocillando tibi parare debueras; sed tum rebus præsentibus delinitus, nec micis mēsa tua dignabaris pereuntem Lazarum subleuare. Agnosce rerum vices iustè commutatas, reuocans in memoriam,*

Am. de Escob. & Mend. Tom. VI.

moriam, quòd tu cum viueres, tua bona receperis: Lazarus contra suis malis functus sit in vita. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pridem nullum abs te refrigerium impetrauit?

26. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare.

26. *Et hoc deploratior est vestra calamitas, quod ingens hiatus nos dirimit: vt si qui velint hinc illinc ire, vobisque opitulari, non liceat; neque si quis isthinc huc conetur ascendere possit: postquam incommutabili Dei iudicio sua est quibusque sedes designata.*

27. Et ait, Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres.

27. *Hæc vbi locutus esset Abraham, diues exclusus spe subleuandi sui, cupit saltem fratribus quos habebat superstites consulere. Saltem, inquit, illud te rogo, pater, vt Lazarum mittas in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres superstites.*

28. Vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

28. *Vt illos admoneat, ne si meis vestigiis hæreſcant, in huius calamitatis veniant consortium. Quin potius opibus suis egentium necessitatem subleuent, vtentes opibus ad pietatem.*

29. Et ait illi Abraham: Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.

29. *Ad hæc Abraham, Maior est apud illos Moysi, ac Prophetarum authoritas, quam esset Lazari mendici. Fratres tui si volent esse frugi, habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.*

30. At ille dixit, Non pater Abraham: Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

30. *Tunc diues improbus deprecatur, Nec Moysem, nec Prophetas audient, pater Abraham, sed si quis ex mortuis redierit ad eos, qui renunciet, quam dira patior hic, resipiscent, seséque ad meliorem frugem component.*

31. Ait autem illi: Si Moysem, & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

31. *Denique Abraham, si Moysem, & Prophetas non audiunt, nec audituri sunt, si quis ex mortuis surrexerit. An non esse phantasma, aut dæmonem causabuntur?*

SECTIO PRIMA.

Hoc in sæculo diues.

TEXTVS.

VERS. 19. HOmo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. 20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus. 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis; sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

COMMEN

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Historia ne, an Parabola?

1. *Contextus.*

MONVERAT Dominus, diuitias fideliter esse dispensandas, & amicos ex mammona faciendos, qui in æterna nos tabernacula excipiant: addidit, quod altum est hominibus, apud Deum esse abominationem. In præsenti horribili exposito exemplo hæc omnia confirmat. Diues epulo inopi Lazaro crudelis, altus quidem hominibus, abominatio conditori, amicos ex mammona iniquitatis haud curabat efficere: ideóque non in æterna tabernacula auolat, sed in ignem æternum detruditur.

2. *An historia vera mar, an ficta parabola? Qui asserant parabolam?* Chrysost. & alij.

Celebris hic quæstio, sit ne exemplum hoc à vera desumptum historia, an à ficta parabola concinnatum? Parabolam asserunt Chrysostomus homil. 1. de Diui. & Laza. Nazianzenus Carm. de Parab. Lucæ. Theophylactus, Euthymius, Titus Bostr. Eucherius quæst. in Luc. Theophyl. Antioch. Simon de Cass. lib. 6. c. 12. At Iustinus Mar. lib. quæst. 6. ait neque parabolam esse, neque historiam.

3. *Qui asserãt historiam.* Ambros. Strab. & alij. Tertull.

Ambrosius narrationem magis existimat, quam parabolam. *Narratio magis, quam parabola hæc videtur, quando etiam nomen exprimitur.* Contestantur Strabus, Gregorius homil. 40 in Euang. Irenæus lib. 2. cap. 62. Tertullianus lib. de anim. cap. 7. *Imaginem existimas exitum illum pauperis lætantis, & diuitis mærentis? Et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est*, Chrysologus sermon. 124. *Si est Abraha sinus, si est Lazarus in sinu patris tanti, imo quia dubium non est, vbi & loca, & persona, & nomina describuntur.*

Chrysol. Pelus. & alij. Iansen. Caietan. Baron. Lyran. Barrad.

Isidorus Pelus. Episcop. 376. August. serm. 227. de Temp. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 22. Origenes homil. 16. in Num. Porrò ex recentioribus Caietanus, & Iansenius dubitant, an sit historia. Baronius in Annal. arbitratur historiam. Lyranus, *Non dicitur hic, quod sit parabola; quia secundum Doctores est narratio rei gestæ.* Carthusianus, *communiter dicunt expositores, quod sit res gesta.* Barradius probat esse historiam, quia nomen exprimitur: *Nominatur Lazarus, nominatur Abraham, & Moses, ergo res verè gesta est. Nam in parabolis nomina propria vsurpari non solent, quia ficta sunt. Et Christus in nulla parabola nomen alicuius proprium vsurpauit.* Ais Christum diuitis nomen subticuisse. *Certè nomen subticet, quia re vera damnatus erat, nolebátque Iudæis manifestum esse, quisnam esset.*

Obiectioni occurrit.

4. *Auctoris sententia.* Maldon. Iustin.

Existimo cum Maldonato nec solam historiam, nec solam esse parabolam: sed mixtum quiddam ex vtraque: qualis apud Poëtas Tragicomœdia esse dicitur. Sic Iustinus. Nam quod diues ille, & Lazarus fuerit, quodque ille in tartaro sepultus, hic ab Angelis in sinum Abrahæ fuerit deportatus; historia est. Quod autem diues ille cum Abrahamo locutus fuerit, eumque rogarit, vt Lazarum ad se immitteret, qui aquæ stilla linguam suam refrigeraret: parabola est historiæ adiuncta. Id quod infra patebit.

§. II.

De diuite.

5. *Quisnam ille diues?* Carth.

HOmo quidam erat diues.] Dixi primam narrationis partem veram historiam expressisse. Quisnam ergo ille diues? Dionysius Carthus. asserit quibusdam placuisse illum fuisse Nabalem Abigailis maritum, qui morte subita percussus interiit. 1. Reg. 25. At nullo suspicio hæc fundamine nititur. An non si ante fores Nabalis Lazarus iacuisset, optima fœmina Abigail illius vxor inopis succurreret egestati? Euthymius recitat Hebræorum traditionem huiusmodi: *Aiunt quidam ex traditione Hebræorum, iuxta illa tempora diues ille fuerat Ninensis appellatus, & mendicus iste Lazarus. Postquam autem vterque mortuus est, formauit Christus parabolam de rebus ab illis gestis: retributiones narrauit, timorem iis, qui diuiti adhæserant, immittens: eis verò, qui ad pauperem attinebant, consolationem.*

Euthym. Theoph. Tit. Bostr. Adrich.

Hærent Theophylactus, & Titus Bostren. Ierosolymis habitasse diuitem, & prope aduentus Christi tempora fuisse, id probat, quod ad hoc vsque tempus illius domus Ierosolymis ostendatur, auctore Adrichomio in Descrip. Ierosol. num. 38. An Iudæus? Assero, & quia filius ab Abrahamo appellatur, & quia fratres habuit Iudæos, de quibus dicitur: Habent Moysem, & Prophetas. Meus Antonius Paduens. refert ex Damasceno consanguineum Zachariæ patris Ioannis extitisse. Ego equidem Iudæum fuisse credens, satius existimo quinam fuerit, penitus ignorari, nec Hebræorum traditioni illi, nec assertioni Adrichomij fidem integram esse adhibendam.

Auctoris assertio.

6. *An Princeps fuerit?* Barrad.

Induebatur purpura, & bysso.] Barradius ait, *Vnde forsitan probabit quispiam hunc diuitem fuisse Regem Herodem, vel quempiam alium virum Principem; siquidem purpura vsus Regum erat, virorumque Principum.* Porrò purpura vti consueuisse alios præter Reges, & Principes, probat illud Salomonis: *Byssus & purpura indumentum eius.* Prouerb. 31 Principem tamen aliquem virum fuisse crediderim, honore, opibusque abundantem, quem purpureum, ac byssinum deceret indumentum.

Prou. 31.

7. *De epulo quotidiano.* Chrysost.

Et epulabatur quotidie splendidè.] Græce legitur, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. hoc est, *oblectatus per dies singulos splendide.* Oblectabatur quidem epulis exquisitis, pretioso vino, musica, &c. Chrysostomus homil. 3. de Lazaro. *Anima diuitis in corpore tanquam in monumento defossa, ac sepulchrum circumferens, nempe carnem. Non secus enim ille, quam si catena quadam, temulentia, ac ventris ingluuie vinctus esset, sic otiosam animam, ac mortuam reddiderat.* Et Titus Bostr. *Anima diuitis in abdomine perinde ac in quodam monumento obruta, defossaque iacebat: carnémque veluti sepulchrum circumgestabat.*

Titus Bostr.

§. III.

De Lazaro.

8. *Cur pauperis*

ET erat quidam mendicus nomine Lazarus.] Cur nomen pauperis exprimitur, diuitis

Cur diuitis nomen siletur? D. Antoninus part.1.titul.5.cap 3. §.6. Quia cum de virtutibus agitur, nominandi sunt illi, quorum virtutem commemoramus: com de flagitiis sermo est, occultanda nomina sunt eorum, qui ea commiserunt, nisi aliud postolet prudentia. At Gregorius homil. 40. *Quid est, quod Dominus humiles nouit, atque approbat, & superbos ignorat? Ait de diuite, Homo quidam: ait de paupere, Mendicus nomine Lazarus: ac si aperte dicas, Pauperem humilem scio, superbum diuitem nescio.* Existimo subticuisse diuitis nomen, ne Iudæi io eius venirent cognitionem. An ex Lazaro quotidie ad ianuam diuitis accedente non possent agnoscere, ac si oominaretur? Minimè, quia ex mendicorum multitudine quotidie ad ianuam dioitis accedente, quis vnquam curauit singulorum nomina exquirete? Pauperis oomen apud homioes noo exauditur, solius Dei io catalogo expressum est.

Diuitis nomen exprimitur, diuitis minimè? — Anton. — Gregor. — *Auctoris sententia.*

9\. *Iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.*] Chrysostomus, *Non in biuio, nec in angiportu, occultóve loco decumbebat pauper; sed frequenter exigebat, intrabátque diues, sic vt vel nolens aspicere cogeretur.* Iacebat quidem *vlceribus plenus.* Chrysolog. serm.121. *Quia nihil erat vox vnius oris clamantis, ad aperiendum cor diuitis, corpus pauperis vulneribus Deus aperuit: vt in admonendo diuite tot essent pauperis ora, quot vulnera.*

Pauperis prostratio, & ægritudo. — Chrysost. — Chrysol.

10\. *Cupiens saturari de micis, &c.*] Non ille splendidas epulas, dolcia expetebat vina, micas tantum desiderabat, has sibi satis fore credebat, vt saturaretur. Additur in aliquibus exemplaribus: *Et nemo illi dabat.* O ferrea diuitis, ministrorúmque viscera! O Lazari diuinam tolerantiam! Theophylactus, *Num in tantis malis Lazarus blasphemabat? num comminabatur? num incessebat luxum diuitis; num inhumanitatem condemnauit? num prouidentiam Dei reprehendebat? Nihil horum, sed fortis erat, & magna philosophia.* *Quantas* (ait Gregorius homil. 40.) *tentationes hunc egenum creditis in sua cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, & non haberet etiam salutem, atque ante se diuitem cerneret salutem & diuitias habere cum voluptate? Se dolore, & frigore affici, illum gaudere conspiceret, & bysso, ac purpura vestiri? Se deprimi vulneribus, illum diffluere acceptis rebus? Se egere, illum nolle largiri? Sed vt probaretur amplius pauper, simul hunc & paupertas, & ægritudo tabefecit.* Et Chrysostomus, *Cum fluctus essent tam multi, non tamen demersum est Lazari nauigium. Sed perinde vt si in fornace positus, veluti perpetuo rore refocillaretur, ita philosophabatur.*

Lazari commendatio. — Theophyl. — Gregor. — Chrysost.

11\. *Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.*] Misericordiam Lazaro homines abnegabant, canes verò eam, quam poterant, tribuebant. Titus Bostr. *Faciebant hoc canes eo, quo poterant, sensu, vicem dolentes Lazari, curámque illius, qui ab omnibus desertus erat, amicè suscipientes. Nec non vulnera eiusdem, medicorum more, fouentes, & circumlingentes.* Chrysologus autem serm.121. *Canes non ad morsum dentes, sed linguam ad obsequium sic producunt, vt in modum spongiæ, non vexent vulnera, sed detergant. Quod canes hoc studio fecere, curantium vsus ipse, qui semper est in oculis, probat. Nam canes lambendo semper curant vulnera sua.* Euthymius denique, *Accedebant illi ad lingenda vulnera suo commodo, sed commodum etiam aliquod attulisse lingendo, quis negabit?* Vade ad canes ô dioes crudelis, si fortè pietatem in homines miseros edocearis.

Canes homines superant pietate! — Tit. Bostr. — Chrysol. — Euthym.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX DIVITE HOC IN SÆCVLO COMMORANTE.

OBSERVAT. I.
Ad illa verba:

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso.

Expressit Christus diuitis ornamenta ex purpura, & bysso: vt deprauatos homioıs mores exprimeret.

Assolet enim amictus aut religiosus aut prophanus morum rectitudinem, aut iniquitatem indicare.

12\. Greg. — RAMITTO D. Gregorium apud Saì. *Si subtilium, & pretiosarum vestium cultus culpa non esset, non id Christus tam vigilanter exprimeret. nemo enim vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam,* & delicias *quærit.* Vt ergo Dominos superbi ac deliciosi hominis mores exprimeret, cum & purpura regia non Regem indutum, & byssina tunica mollissima tectum expressit. Ambrosius de bysso, & purpura sic epist. 38. *Byssus genus lini candidi, & mollissimi: purpura color est regij habitus è conchis marinis ferro circumcisis emissa.* Porrò hominem quemdam qui Rex non est, indui purpura, vtique bysso mollissimo indicat animum & fastui, & luxui addictum.

Ambros. — *Quam turpiter purpura induitur qui Rex non est.*

13\. Clemens Polit. Christ. lib. cap. 15. *Amictus indicat, qualis sit morum nostrorum constitutio.* Hinc illud Naxianzeni, *Nos mollibus, & circumfluentibus vestibus, pannisque è tenuissimo lino, & serico contextis delicatamur: in quibus inepti sumus potius, quam splendorem nobis conciliamus.* Nam aspicien

Mores ardicantur ex indumentis. — Clemens. — Nazianz.

aspicientes virum pretiosis ac mollibus indutum speciatim in communi rerum penuria eum iudicat deliciosum. Quis videat fœminam ex infima plebe sericis indutam vestibus, qui non prudenter iudicet fœminei animi vacuitatem?

14.
Vt Euangelista Ioannem prædicaturũ egregium ostenderet ex vita sanctitate, asserit eum asperis indutum.
Auson.
Matth. 3.

Ioannes Baptista Præcursor Domini eius prædicauit aduentum, hominésque disposuit ad lucem excipiendam tenebrarum animi ablegatione. Ausonius aiebat, *Oportet castitatis præconem egregia castimonia nitere: cunctisque virtutibus esse ornatum, qui virtutes commendabiles annunciaturus est.* Cur ergo Euangelista non expressit Ioannis Angelicam puritatem, & virtutum cœlestem fulgorem? Expressit quidem fatus: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos.* Matth. 3. Vestimentum, non vitam exposuit. Certè & vitam expressit simul cum cultu vestimenti. Hoc enim dum operit corpus, aperit animi mores, virtutem aut iniquitatem manifestat. Pulchrè Auctor Imperf. hom. 3. *Postquam ostendit Ioannes, quia ipse est vox clamantis in deserto*, (vt exprimat conuenire voci, seu prædicationi hominis mores) *prudenter ipse Euangelista subiunxit: Ipse autem Ioannes habebat vestimentum, &c. In quo ostenditur, qua sit vita ipsius. Nam ipse quidem testificabatur de Christo, vita autem eius de ipso; nemo enim potest esse testis alterius idoneus, nisi fuerit suus.* De Ioannis ergo vita testificabatur vestimenti asperitas.

Imperf.

15.
Christi indumẽta modestissima indicabant ægrotãti fœminæ internam virtutem.
Mar. 5.

Talis equidem Præcursor quoad indumenta, qualis Dominus cuius fulgoris gloriam restabatur. Fœmina illa fluxu sanguinis affecta, fatur: *Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero: Et siccatus est fons sanguinis.* Christus autem *in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?* Mat. 5. Vestimenta ne ægrotantem fœminam sanauerunt, an virtus Christi quæ in animo residebat? Porrò ex sanctitatis IESV virtute ægrota sanatur. Cur autem à vestimento expetit, & fidit accipere, quod ex sanctitate erat accipiendum? Profectò quia vestimentorum modestia quasi in sanctitatis virtutem conuersa ostentatur. Chrysostomus ait, *Non fimbria, sed eius cogitatio eam saluam fecit.* Quænam fœminæ cogitatio? Sanctus proculdubio vir iste, qui tam modesto vtitur vestimento. Ergo curabo vestimentum attingere, vt ex infallibili indice attingam sanctitatem; hoc enim me vestimentum ad expressam sanctitatis virtutem adducet.

Chrysost.

16.
Sacerdotum indumenta externa internum arguunt iustitia fulgorẽ.
Ps. 131.
August.
Strab.

Hoc amictu curat Deus suos ornari Sacerdotes, canente Dauide: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Psalm. 131. Vbi August. *Accipit hic eosdem Sacerdotes sanctos.* Strab. autem, *Vt in veteri Testamento Sacerdotes diuersis ornamentis, Euangelici Sacerdotes diuersis virtutibus adornantur.* Cur autem virtus Euangelici viri vestimentorum metaphora exprimitur, nisi ob consequentiam vestimentorum ad virtutem? Modesto vtitur vestimento? virtutibus adornatur.

17.
Vestimentũ conuertitur in præmiũ, quia vestis & vita idẽ sunt quodãmodo.

Confirmo ex pulchra Eusebij Emiss. hom. to ad Monach. testimonio, dum æterni iustitiæ præmij gerit mentionem. *Sacerdotes tui induantur iustitiam. Vbi autem pro Sanctorum corporum tunica lux fulgebit æterna, ibi indumentum transibit in præmium.* In præmium transit vitæ sanctitas. Cur ergò vestimentum in præmium dicitur transiturum? An quia vestimenti modestia tam infallibilis assolet esse morum, seu vitæ indicatio, vt pro vita ipsa, ac sanctitate vestis assumatur. Profectò dum dicit Doctor, vestimentum transibit in præmium, idem prorsus, ac si dixisset: Vitæ sanctitas in præmium transibit; quia *amictus indicat, qualis sit vita nostra constitutio*, vti Clemens aiebat.

Clemens.

18.
Quale fuerit pallium, talis vita arguitur.
Iob 29.
Caietan.

Iobus fatur, *Iustitia indutus sum, sicut pallio.* cap. 29. Caietanus inibi, *Significatur, iustitiam exterius manifestandam.* Quonammodo manifestanda? *Vt pallium*; quia quale fuerit pallium, talis arguitur plerumque esse iustitia. Pallium modestum? O quam fulgida iustitia viri! Pallium fulgidum! O quam tenebrosa opera gestantis! Addit Cardinalis, *Indumentum enim vincentis actio est.* Id est, actiones ex indumento assolent manifestari.

19.
Purpura, & byssus Babylonis sicarij iniques mores manifestabant.
Bern.

Babylonica meretrix purpura & bysso induta obiicitur. An purpurea, ac byssina conscientia? Audi D. Bernardum epist. 113 ad Soph. *Filiæ Babylonis induuntur purpura, & bysso: & conscientia pannosa iacet. Fulgent monilibus? Moribus sordent. Et è contra, in foris pannosæ, Intus speciosæ resplendes.* Auctor Imperfecti citatus compleat argumentum. *Ioannes vestem non mollem, neque delicatam: sed cilicinam, grauem, & asperã, & conterẽtem corpus, potius quam fouentem; vt de virtute animæ eius ipse habitus corporis loqueretur.* Mihi credite vestis attrita quot rupturas habet, tot viri spiritualis assolet oribus virtutes proclamare.

Observat. II.

Ad illa verba:

Et epulabatur quotidie splendidè.

Alterum improbæ vitæ Diuitis documentum, quotidianis epulis deliciari.

Pariter enim assolent incedere prophana conuiuia, & morum relaxatio.

20.

Vitam damnabilem diuitis huiusce voluit Dominus iudex iustissimus vno & altero teste probare. Audiuimus cultus vestimentorum testimonium, quotidiani epuli depositionem audiamus. Gregorius apud eundem Saà. *Cui possunt sine culpa celebrari conuiuia? penè semper epulas comitatur voluptas.* Profectò tam illigata assolent conuiuia & crimina incedere, vt nimietas circa epulas, indicet probabiliter vitiorum nimietatem.

Gregor.

21.
Dum quis addicitur modio, id est, epularũ curæ, non reputatur virtutum fulgore corruscari.
Marc. 4.
Theoph.

Dominus apud Marcum, *Num lucerna incenditur, vt subter modium ponatur, aut subter lectum? Nonne vt super candelabrum ponatur?* c. 4. Vbi ex Theophylacti mente, lucis fulgor signat virtutum manifestationem, modius autem, qui ad recipiendum triticum paratur, signat curam circa ciborum vsum. Ergo virtutum fulgor sub modio non est; quia qui te videt epulis addictum, colligit vita esse tenebricosum. Bellè Pater, *Erit autem vnusquisque vestrum lucerna, quæ debet poni super candelabrum, hoc est, super summitatem*

tatem

tatem diuina vita, & alsis possit lucere, sed non sub modio, hoc est, subciborũ cura. Nullus enim, cui cibi cura sunt, poterit lucerna esse omnibus lucens per suũ vitam. Quia videlicet qui vident eum epulis addictum, prudenter arguunt vitam, seu mores esse tenebrosos, nec posse ad aliorum directionem in exemplum exponi.

22. *Qui abstinet ab epulis, ostentatur fructibus virtutũ plenus.* Isai. 58. Ambr.

Ex ore Isaiæ Dominus, *Nónne est hoc magis ieiunium, quod elegi: Dissolue colligationes impietatis, frange esurienti panem tuum,* &c. *Et ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus.* c. 58. Lxx. *Ossa tua pinguescent, & erunt sicut hortus ebrius.* Ad quæ Ambrosius lib. 3. epist. 25. commendans virum ab epulis superfluis abstinentem, ait: *Pinguescit anima tua virtutesque eius spirituali adipe ieiuniis, & fructus tuus multiplicatur vbertate mentis tuæ.* Mentis enim occultus fulgor illico manifestatur, vbi bomo abstinens ab epolis obiicitur.

23. *Virtutum symbolũ Dominus expressit non in leone voraci, sed in lilio abstinenti.* Matth. 6. Nazianz.

Curat Dominus virtutum commendare fulgorem (vti Nazianx. contemplator,) & expooito liliis documentum. *Considerate lilia agri quomodo non laborant, neque nent, & Dominus pascit illa.* Matth. 6. O quam pulchra agri lilia ostentant puritatis morum exprimuot imaginem. Cur virrutum symbolum non expressit Dominus in leone? Quia vorax animans non aptum ad virtutum pulchritudinem exprimendam. Lilium obiicit aspicientibus pulchritudinem naturæ, quam exprimit planè ex cibi parsimonia. Diuus sic: *Lilius natiua est ac nota pulchritudo, quia victus facilis.* Ergo leoni, vrso, aliisque carniuoris animantibus natiua est ac nota morum fœditas, quia voracitati addicuntur.

24. *Indicat desideriũ carnium homines vita gentiles.* Num. 11. Abul.

Vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio carnium Num. 11. Ad quæ Abulensis homines ac fœminas gentiles, id est Ægyptios secutos Hebræos, vocari asserit vulgus, vt distingui possiot à fidelibus Israëlitis. Vndénam ergo se vulgares, aut gentes ostentant! Profectò ex carnium appetitu. *Inter Ægyptios tam viri quam fœminæ computabantur vulgus, & de Ægyptiis dictum est, quod ascenderat vulgus, & flagrauit desiderio carnium.* Quam vulgares, quam Gentiles vitæ improbitate se ostendunt, qui nimiè sese dedunt epularum voluptati!

25. *Christus dũ ostenditur sine aspectu, & pulchritudine; ex abstinentia ostentatur septem spiritibus, seu virtutibus plenus.* Isai. 53. Hieron.

Isaias adhæc, *Et ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti; non est species ei, neque decor: & quasi absconditus vultus eius. Verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* cap. 53. Qui absconditus, exilis, instar radicis, qui ostenditur, vndénam Deus cunctis perfectionibus plenus, mundi Redemptor ostentator? Certè ex ipsa abstinentiæ exilitate. Abstinet à cibo? fœdus ex inedia ostenditur? O virum septem Spiritus sancti donis, seu virtutibus plenum! Sicut ex affectu ad epulas nimias arguitur animi iniquitas: ita ex abstinentia à cibis virtutum plenitudo indicatur. Hieronymus, *Vidimus eum, & non habebat pulchritudinem. Quare? Quia caro eius immutata est; non habebat delicias, ac saturitatem corporis: sed Dei spiritus.* Abstinentia ab epolarum deliciis connotat spirituum Dei plenitudinem. *Et nos ergo quando ab epulis abstinemus, quando facies nostra pallida sunt: cognoscamus nosmetipsos tunc pulchriores* (ex virtutibus) *apparere Christo.*

26. *Ex abstinentia Christus se ostendit sanctorum maximum.* Ps. 119.

Cecinit Vates de Christi sanctitate. *De torrẽte in via bibet, propterea exaltabit caput.* Ps. 119. Caput exaltanit, id est, sese virtutum proceritate ostendit (in morem Saulis) omnibus superiorem. Prætereà *de torrente bibet.* Non de meri ardentis calice, sed de torrente. Nam præcelsis virtutibus ostenditur, qui abstinet à mensæ prophanitate, quæ quidem bomioem vitiis exprimit redundantem. Chrysostomus, *Et tu dilecte, vitam luxuriantem contemne, tenuem ac facilem, & minimè expositam perquire: si vis esse clarus, & magnus. Audiant ergo qui sibi mensas ponunt Sybariticas, epulisque condimentorum omne genus excogitant, vt euadant omnium abiectissimi. Nec enim excelsum quid consueuit fucore, qui hisce indiget.* Vides hominem epulis ita addictum, quasi hisce indigeat? Mox prudenter colligis; Nullum planè hic excelsum opus gessit. Indicat enim ad epulas affectus nequissimorum operum patrationem.

Chrysost.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, &c. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus.*

Non designatur proprio nomine diues, quia velut ficta eius felicitas: pauperis nomen exprimitur, quia ille apud Deum verè diues est.

Verè quidem pauper est diues infelix sine Deo: verè diues est pauper hærescens Conditori.

27. Greg.

GRegorius, *Dominus nomen pauperis dicit, diuitis tacet: nouit enim pauperes, & approbat: diuites mundiales ignorat.* Adamus, *Quæ Deus ignorat, proculdubio non sunt, nec esse possunt.* Ignorat diuites mundiales? ergo diuites mundiales nec sunt, nec quodammodo possunt essentia stabiliri. Igitur infælicitas pauperis verè est fælicitas: diuitisque fælicitas veraciter est infælicitas appellanda.

28. *Diuites non verè sunt. Ideo ab scriptura non memorantur.* Psalm. 15. Paulin.

Ex ore Dauidico Deus, *Nec memor ero nominum illorum per labia mea.* Psalm. 15. D. Paulinus epist. 31. *Per labia mea, id est per duo Testamenta nomina diuitum non pronunciabo.* Quare duo sacra Testamenta vetus ac nouum abstinent à nominibus diuitum mundialium? Certè quia quod non est, nec esse potest quonammodo à veracissima Scriptura sacra memorabitur? *Hæc ergo labia pollui noluit nominibus vacuis diuitum impiorum diuina iustitia & veritas. Et idcirco neque illius diuitis epulonis nomen extat, cuius vanitas, & auaritia significatur.* Pauper est diues auarus, & ideo cum memorat hominem diuitem, nomen reticet Dominus ne mendacii posset accusari, quod diuitem adscripsisset aliquid nomine dignum ostentas.

29. *Diues fame cruciatur, cum epulis indulget, quia ficta parabola eius fælicitas.*

Ex Patrum aliquorum mente, quod de diuite exprimitur, ficta est parabola: quod de paupere asseritur historia est. Et quonammodo veraciter de diuite dici posset, quod indueretur *purpura, & bysso,* quodque *quotidie splendide* epularetur: si fælicitas diuitis conficta est, fame cruciatur, cum epulis hæsitat: nudus est, cum purpura

purpura induitur: cum omnibus videtur abundare, omnibus egens deprehenditur? Clamat aliquis dives, *Quid faciã, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Luc. 12. Fructibus videtur abundare, & simul indigus exponitur. Basilius hom. in ditescen. *Iste vtilitate miser erat. Nec enim prouentus annui fruitionem ei terra ferebat, sed fletus, & suspiria, non fructuum copiam, sed curas, & dolores, & graues anxietates sibi colligebat.* Dum abundat, indiget? dum fructibus stipatur, non habet? O fallacem diuitis mũdialis fælicitatem.

Diues dum abundat, vacuus est, & nihil habet, cum omnia videtur habere. Basil.

30. Prodigus adolescens à domo paterna egressus diuitias, quæ se contigerãt, deportauit, quas quidem viuendo luxuriosè consumpsit. Luc. 15. Quæritur, num post egressionem à præsentia patris fuisset aliquando diues? *Et non post multos dies* (ait Lucas) *congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in Regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in Regione illa, & ipse cœpit egere.* Ibid. Ergo videtur diuitem extitisse aliquando post egressionem? Porrò D. Chrysologus serm. 1. existimat diuitem quidem apparuisse, sed verè nudum fuisse ex quo instanti temporis à Patre Deo egressus est. *Ecce quemadmodum sine patre censu nudauit filium, non ditauit.* Ipso enim dum potitur censu verè nudus exponitur. Augustinus serm. 25. *Quid habet diues, si Deum non habet?* Quid? Induitur purpura, & bysso, epulatur splendidè! Porrò nihil sine Deo habet.

Prodigus eo instanti, quo à Deo abstrahitur, cœpit egere, dum possidere substantiam videbatur. Luc. 15. Chrysost. August.

31. O Lazarum veraciter diuitem, qui Deo hærescens omnia possides, cum omnibus videris spoliari! Fatur Ambrosius epistol. 28. *Solum illum Deus diuitem esse nouit, qui non opum, sed virtutum fructus recondit.* Lia & Rachel profantur, *Omnes diuitiæ, & gloria quam abstulit Deus patri nostro Laban, nobis erunt.* Genes. 31. Quonammodo fuere diuitiæ Labani Liæ, ac Racheli, si Laban mundi possessionibus potiebatur, Lia autem & Rachel ad Iacobi patriam properabant ferentes diuitias Iacobi mariti, non parentis? Mitto idolorum rapinam, & ad sensus mysticos cum D. Ambrosio me recipio. In Labano diuitem mundialem sine Deo contemplatur, in Lia autem, & Rachele pauperem aspicis, qui à Deo minimè separatur, sed eius hæresit voluntati. Hic proculdubio verè diues est, dum diues sine Numine denudatur. *Quasi diuites se Lia & Rachel, non patrem diuitem, sed potius egentem arbitrabantur. Nemo enim* (addit) *diuitem vocat, sed egenum eum, qui à Deo separatur.*

Solus diues, qui iustus est. Ideo Laban inops in diuitiis. Lia & Rachel sine patris diuitiis plenæ. Genes. 31. Ambros.

32. Diuites sumus cum Deo obsequentes hærescimus: sine Deo nuditate, ac inopia extrema laboramus. De Israëlitis Deo obsequentibus fatur Oseas, *Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei.* c. 10. Cum Israël Deo hærebat, fructus, seu abundantia eius pietati adæquatus respondebat. Cyrill. *Ostendit, qualis olim fuerit, perquam fructuosus, videlicet, quando vitam legibus respondentem viuebant.* Nunc autem (ac si diceret Vates) viuentes vitam legibus auersantem, fructibus Hebræi vacui ostentantur. Non efficit diuites copia auri, & argẽti; sed abundantia pietatis.

Israël hærescens Deo, fructibus abundabat. Ose. 10. Cyrill.

33. Promisit Deus, *Omninò indigens, & mendicus non erit inter vos; si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa, quæ iussit.* Mox autem addit, *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Deut. 15. Si pauperes non deerunt in terra Israëlitarum, quonammodo *omninò indigens, & mendicus non erit?* Profectò quia audiens vocem Domini, & custodiens vniuersa, quæ iussit, inops quidem specie tenus est, verè autem diues, vti Lazarus abundans in penuria.

Pauperes iusti diuites veraciter sunt. Deut. 15.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, &c.

Diues homo quidam erat, sed non est, quia dum diues efficitur, exuit naturam hominis & in brutum est omnino mutatus.

Diuitiæ enim obturantes rationem, brutescere homines efficiunt.

34. Pulchrè ait D. Chrysostomus, *Homo erat, iam diues non est homo, præteriit enim velut vmbra.* Natus homo, dum fit diues, humanitatẽ exuit, in brutúmque conuersus est. Proh diuitiarum vim huiusce metamorphoseos effectricium! Præmitto Chrysol. serm. 29. *Intuere, quid grauius auro, quod cum mores hominum perdidit, perdidit & naturam.*

Chrysost. Chrysol.

35. Christus ait Petro, *Vade ad mare, & mitte hamum; & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem.* Matth. 17. Quidnam statere signatur? Isid. Pelus. lib. 1. epistol. 206. *Stater ille, quem in pisce abstrusam Petrus capere iussus est, formam nostram vitiosis affectibus coopertam designabat.* Nummus argenteus symbolum gerit humanæ naturæ coopertæ prauis moribus? Natura hominis mutatur in nummũ? Imo marinam mutatur in belluam. Vnde pulchrè Ghisland. *Stater ille quasi piscis erat anima.* Nostra natura anima piscis est: O diuitiarum vis ad humanæ naturæ transformationem?

Animus diuitiis addictus non hominis, sed pisca bellua marina est forma. Matth. 17. Isidor. Pelus. Ghisland.

36. Conflatilem illum testor vitulum, quem cæcus populus adorauit. *Formauit* Aaron *opere fusorio, & fecit ex eis* (monilibus) *vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerant de terra Ægypti.* Exod. 32. O animum piscis, non hominis! Quidnam aspicis Deitatis in vitulo? Certè aurum, vituli materia Hebræorũ mentis oculos excæcauit, & ab humana ratione abripuit. Chrysolog. serm. 29. *Aurum Iudaicum populum sic suo captiuauit aspectu, vicit illecebris, specie decepit: vt hoc esse Deum crederent; & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent.* Profectò in vitulum erant ipsi mutati ex vi diuitiarum homines in bestias conuertente. Addit pulchrè Præsul, *Sic cõuertit homines in iumenta aurum, vt vituli caput, caput suum crederent: & omnium rerum capiti caput pecudis anteferreat.* Sic ea pono, crediderunt illi suum caput esse caput vituli, & de ingenio vitulini cerebri, capiti rerum omnium Deo, vituli caput præposuere. O dementia digna capite vitulino!

Fit homo ex auaritia iumentum. Exod 32. Chrysol.

37. Dominum audi auaritiæ dehortatorem. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est, cor tuum.* Matth. 6. Tua ne monilia, ac thesaurus in vitulo? Inibi cor tuũ. Ergo si cor vituli cor tuum est, humanitate

Cor hominis quasi anima bruti,

exutum,

ubi thesaurus eius est. Matth 6. Chrysol.

exutum brutali feretur affectu. Quid igitur? Aurum ad tuum animum rationalem adducere procura, diuitias pauperibus tribuens: (hoc enim *obsequium rationabile.* Paulus appellauit. Allicio ad mentem hanc Chrysologum serm. 22. *Melius est ad sedem animæ deferre aurum*, (vt sit rationale obsequium nostrum) *quam in corpore auri anima demergatur.* Corpus auri vitulus aureus est, in quo dum noster animus recluditur, exuit omninò humanitatem, & è vitulina brutalitate omnia iudicat.

38\. *Iudas auarus fit bestia, tradisque Christũ eo pretio, quo ipse dignus erat.* Matth 26. Nazianz. Lud. Granat.

Principibus Sacerdotum Iudas proditur, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Matth. 26. Vbi pulchrè Nazianzen. orat. 17. *Deum prodit, triginta argenteis vendit; hoc enim pretio dignus erat, non qui prodebatur, sed qui prodebat.* Cur dignus hoc pretio asseritur, qui prodebat? Vt respondeam vtar pia R. P. Ludouici Granatensis sententia. Taxans proditoris prodigalitatem Christum tam vili pretio tradentis ait: *Por esse precio sue le venderse vna bestia èn el mercado.* Dignus ergo erat hoc pretio auarus Iudas, quia diuitiarum cupidus vilem mutatur in bestiam: *Hoc pretio dignus erat non qui prodebatur, sed qui prodebat.*

39\. *Omnia dementis huius-ce verba indicant brutalitatem.* Luc 15. Psal. 48. Chrysol.

Si diuitis epulonis verba perpendas, iudicabis planè eum omninò exutum ratione. *Mitte Lazarum vt intingat digitũ in aquam*, &c. Luc. 15. Petit damnatus refrigerium, se filium Abrahæ vocitat piissimi, qui crudelem se in pauperes ostentauit. Vult fælici è sinu beatum ad inferna demitti. O diuitem insensatum! Aptè Dauid, *Sicut oues in inferno positi sunt.* Psalm. 48. Cur sicut oues? Quia aurum, quod miseros diuites in tartaro demergit, eorum sic rationem obscurat, vt irrationales in oues conuertisse videatur. Chrysologus serm. 29. *Aurum nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus; & dum suam semper repedat ad naturam cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper. Et sicut oues in inferno positi sunt.*

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Erat homo diues, qui induebatur, &c.

Vt Christus exponeret damnationis exemplum, non luxuriosum, aut raptorem hominem memorat, sed diuitem.

Diuitiis enim assolet damnatio insidiari.

40\. SI Christus conatur exemplo damnati hominis Iudæos à voluptatibus absterrere, cur non exponit impudici hominis, aut scorti damnationem? Certè in diuite æterni exitij expressit documẽtum; quia diuitiis quasi agnata est condemnatio, quia scilicet nimium periculosam diuitiarum abundantia reddat diuitum viam, præcipuè si auaritiæ absumantur ardore.

41\. Difficilius asseruit Dominus diuites Regna cœlorum inire, quam camelum strictum acus foramen penetrare. *Væ diuitibus* sæpe cecinit. Diuitem epulonem in tartaro asserit sepeliri. Nunquam non damnauit, siue damnabiles diuitias expressit? Tertullian. lib. de Pati. c. 7. *Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo seculo scripturis Dominicis commonetur. Semper pauperes iustificas, diuites prædamnat.* Seu damnandus præmonet, quia plerumque iniustæ actiones diuitias assolent comitari.

Semper Christus asseruit diuitias dãnationi obnoxias ob periculum magnum. Tertull.

42\. *Signum damnationis prabet, qui diuitiis abundat?* Ierem. 48. Felix Min.

Proclamat Ieremias, *Date florem Moab, quia florens egredietur, & ciuitates eius desertæ erunt.* cap. 48. Alij legunt, *Date signa Moab.* Grauis, ac doctus Interpres, *Signa damnationis.* Nam in seculo florescere, seu diuitiis affluere, nihil aliud est quam periculis tartari implicari, & quodammodo damnationis signa exponere. Felix Minutio Octau. *Nisi fortè vos decipit, quod Deum nescientes diuitiis affluant. Miseri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victima ad supplicium saginantur.* Hoc quidem de diuitibus Deum nescientibus asseritur, non de Christianis veri Dei cultoribus. Væ diuitibus! Ao non qui diues efficitur à veri Dei cognitione plerumque abstrahitur? *Diues effectus sum, inueni idolum mihi,* cui obsequium impendens à veri Numinis cognitione recedo.

43\. *Diues sæpe solio, seu sedi iniquitatis hæresit, sine pœnitentia.* Amos 6.

Amos adhæc, *Væ qui opulenti estis in Sion, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* c. 6. Num non diues Abraham, & beatitudinis bonum designatur in diem? Ita planè, multi diuites salute donantur. At tot diuites damnationi addicuntur, quia diuitiis addicti simul iniquitatis solio appropinquant facti magistri criminum, vt omnibus diuitibus damnatio prædicari videatur. Ideo coniunxit diuitias & iniquitatem pertinaciter perpetratam, *Væ qui opulenti estis, & appropinquatis solio iniquitatis.* Solio dicitur appropinquare, qui in piaculorum sedet impœnitentia iuxta illud: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Psalm. 1.

44\. *Diues superat iniquitate iudicẽ, qui Deum nõ timebat, nec homines verebatur?* Luc. 18.

Vis expendam diuitum iniquitatem? Adfer ad memoriam iudicem illum, qui *nec Deum timebat, nec homines reuerebatur.* Ait tamen, *Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illã.* Luc. 18. Porrò Diues epulo non flectitur misselli pauperis clamoribus, dum iudex qui nec Deum timebat, nec homines verebatur, viduæ tandem iteratis vocibus emollescit. Quotidie Lazarus sedebat ad ianuam & clamoribus præcordia saxea diuitis quatiebat: nec tamen durissimus flectebatur. O impœnitentiam diuitum tartari in malum diem designatam! Pulchrè Chrysostomus hom. 1. de Laza. *Nihil misericordiæ sensit diues epulo, sed illo quoque iudice, qui nec Deum metuebat, nec homines reuerebatur, & impudentior erat, & inexorabilior. Nam illum quidem vidua instantia quamuis crudelem, & asperum, tamen flexit ad gratificandum, vicitque mulieris supplicatio. Hunc vero neque ista quidem res flectere potuit, ad subueniendum pauperi.* Quid mirum separatum esse diuitem in diem malum, si ita iniquitatis solio appropinquat?

Chrysost.

45\. *Diues vel ergo viduã crudelior, inexorabilior.*

Non accessit, Inquis, vidua ad diuitis ianuam, sed Lazarus importuna præsentia, & vocibus aures diuitis, & oculos vellicans, vulneribus autem naribus fœtorem immittens. Itanè? Nec vidua miseriæ addicta possit damnabilis

animi

animi ingenium inflectere. Plures diuites epulones expono, sumite documentum, an viduarum clamoribus deflectantur. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt.* En diuites. *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra.* En epulones. *Opprimamus pauperem iustum.* Quid mirum, si iustus Lazarus tanto horrore præsentatur? Accedat ergo vidua. *Et non parcamus viduæ.* Sap. 2. Iniquissimus Iudex viduæ pepercit, diues epulo non parcit. O iniquitatum magisterium diuitiæ! Augustinus. *Ex hac enumeratione libidinum, videte in quæ facinora, & in quæ immania scelera prosilietur. Exhausti enim atque submersi immoderatorum delectorum corruptela, opprimamus, inquiunt, iustum, iustum pauperem: non parcamus viduæ. Omnia horrenda facinora, quæ timentur in sceleratis hominibus videte de qua labe consurgant. Iam dudum dicebant: Fruamur bonis* (seu diuitiis) *quæ sunt.* Si diuitiæ sic animum exerunt ad flagitia, quidni salutem nimium difficilem reddere videantur?

August.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, &c.

Si Diues Epulo Lazaro inopi iacenti ad ianuam eius succurrisset: diuinæ pietatis proculdubio expertus fuisset circa salutem, documentum.

Eleemosyna etenim plures iniquos diuites ab æterno liberauit exitio.

46. Chrysost.

CLamabat inops. O si vel micæ mihi esurienti exhiberentur! *Cupiens* (ait Chrysostomus) *saturari de micis. Quasi diceret, quod proiicis de mensa, hoc mihi præbe in eleemosynam, fac damna lucrum.* Quodnam diuiti auaro, ac delicioso lucrum ex eleemosynæ paruula quantitate? Hæc vis vel micæ impensæ pauperi, assolet homines peccatis pressos ab æterno exitio liberare.

47. *Christus edocet peccatores è mensa surgere ad manus pauperũ, ad salutem.* Matth. 26. Matth. 25.

Christus vt Paulus asserit dum passioni addicitur personam gerebat peccatoris. Surgit è cœna; *& hymno dicto, exierunt in montem oliueti.* Matth. 26. Instruit Dominus diuites peccatores è conuiuiis suis surgere ad eleemosynam pauperibus exhibendam. Quonam lucro? Virgines illæ fatuæ ac prudentes *dormitauerunt, & dormierunt* Matth. 25. Id est, ex quorundam Patrum sententia & criminibus venialibus, & lethalibus infectæ apparuere; quod quidem & dormitatio, & dormitio designat. Profectò ideo prudentes ac fatuæ vocitantur, quod prudentes oleum reportarunt, fatuæ verò oleo caruerunt; hoc est, hæ non conatuot eleemosynæ operibus ignem peccati extinguere; illæ autem licet peccatis obnoxiæ charitatis operibus studuere. Confirmo ex Chrysostomo hom. 83. in Matth. *Hoc est illud cœnaculum, vbi tunc Christus*

Chrysost.

cum Discipulis erat; hinc ad montem Oliuarum exiuit. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus; ibi enim mons oliuarum est, oliuæ in domo Dei plantata multitudo pauperum est. Christus dum gerit peccatoris personam è mensa surgit ad pauperes? E mensa *& nos ad pauperum manus* exurgamus. Quanam vtilitate? *Hinc stillat oleum, quo nobis tunc opus erit. Hoc est, quod virgines habebãt, hoc est, quo alteræ carẽtes perierũt.* Hoc est, quo carẽs Epulo de mẽsa surgẽs miserè cõdemnatur.

48. *Diues ex epulis non exsurgens ad pauperem, quanam inuenitur salutis spe?* Amos 6. August.

Amos clamat, *Væ qui comedetis agnum de grege, & vitulos de medio armẽti. Bibẽtes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* c. 6. O diuites epulis indulgentes, nec micas saltem iacẽti ante ianuam inopi dantes, væ meritò vobis decantatur, quia sine charitatis affectu, sine Deo omnino esse ostentamini. Augustinus ser. 241. de Temp. *O infelicitas generis humani. Quam multi diuites inueniuntur, qui ebriosos magis quam oportet, cogunt bibere: & ante ostium pauperibus petentibus vel vnum calicem aquæ dissimulant dare. At sic ipso confitetur apud se Deum non esse, quo sperare possit.* Et posset sperare ebrietati addictus, si vel calicem aquæ frigidæ, si vel micas pauperi exhiberet? Profectò tunc opere illo confiteretur, apud se Deum esse, quo sperare posset auxilium ad pœnitudinis effectus. *O infelicitas generis humani!* Ex duritie in pauperes infælices sunt, qui pij possent ex munificentissimo Domino salutem expectare.

49. *An misericordiæ excipietur, qui deliquit contra misericordiam?* 1. Reg. 2. Chrysol.

Qui deliciis indulsit, & à mensa deliciarum surgens pauperi succurrere gestit, misericordiã Dei, à qua debet salutem sperare, oleo pietatis curat emollire, ostendens se erga Dei misericordiam pium, & reuerentem. At qui videns pauperem non subleuat, videtur ipsam misericordiam despexisse. Si autem miser peccauit in ipsã misericordiã, quis exsurget *pro eo?* 1. Reg. 2. Perit itaque sine misericordia epulo, quia dum surgens à mensa, pauperi non succurrit, ipsam Dei misericordiam despexit, à qua salutem posset sperare. Pulchrè Chrysol. ser. 121. *Iste diues non pauperem, sed ipsam Dei misericordiam despicit, ad ianuam suam Lazaro sic iacente.*

50. *Discipuli desperantes redeunt ad ouile, dum mensa herẽtes, succurrũt peregrino.* Luc. 24. Græcus. Beda.

Duo Discipuli è Dominico grege recessere infidelitate laborantes, Profectò, ò Amaon, & Cleopha, vos minimè à graui piaculo Patres excusant, qui post tanta mira aspectata, dicitis, *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Græcus apud Saa, *Vox desperantium sperabamus, inquiunt: non speramus.* Et Beda, *Non credebant, resurrecturum.* Quonam modo desperantes illi ad spem salutis reuocabuntur, ouiculæque fugaces ad gregem adducentur? O si è conuiuio surgant hi ad pauperis manus! Addit Lucas, *Factum est autem dum recumberet cum eis accepit panem: & aperti sunt oculi eorum.* cap. 24. Panem accipit pauper ab eorum manibus qui mensæ hærescunt? pauperem IESVM curant suo epulo interesse? Misericordiam accipient, quia non despexere misericordiam Dei. D. Laurentius Iust. de triumph. Chri. agone, cap. 25. *In panis fractione potius, quam in prædicatione agnoscere meruerunt; quatenus sicut egeni misertisunt, ita misericordiam reperirent.*

Laur. Iust.

51. *Vel tepidus enim ægritudo quodãmodo frigidiũ peccatori præfertur, sanatur, dum pauperem admittit ad cœnam.* Apoc. 3.

Describit Dominus diuitis cuiusdam miserabilem statum sub Laodicensis Præsulis typo. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec*

calidus, incipiam te euomere ex ore meo; quia dicis, quod diues sum: Apoc.3. An salutis spes ei, cuius tepiditas frigiditati peccatoris quodammodo præponenda obiicitur? Addit Dominus, *Æmulare ergo, & age pœnitentiam, Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.* En sauciæ conscientiæ medicinam cœnare cum Christo, id est, hærescere mensæ diuitem memorem pauperis subleuandi. *Dicis, quia Diues sum?* Et cœnaturus inopem aduoca Dominum ad conuiuium. Pulchrè Rupertus lib.2. in Apoc. *Istud quod hactenus corripiens te dixi, simile est stanti ad ostium cuiusdam diuitis, & pulsanti, quatenus admissus cœnet cum illo.* Quidnam est quod corripiens Episcopum Dominus dixerat? O tepide *æmulare, & age pœnitentiam.* Cur autem æmulationem hanc, pœnitentiaeque similem esse dixit pauperi stanti ad ianuam diuitis & cœnantis cum illo? Profectò quia illud ipsum à diuite peccatore pauperem admissum esse ad prandium, idem quodammodo est, ac pœnitudine affici peccatorem.

Rupert.

52. Diues abrumpit iniustitiæ chirographa, dū inopi ex mensa succurrit. Isa.58. Chrysost.

Diuitibus Dominus, *Frange esurienti panem tuum, egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.* Isa.58. Quam properans diuiti peccatori salus ex eleemosynæ largitione? Chrysostomus hom.55. in Matth. *Non dixit, Montes pertransfeas, maria nauiges, ieiunus permaneas, cilicio te induas; sed, Prabe de tuis, frange panem esurienti, & iniusta chirographa proiice.* Id est, gerens eleemosynam, iniustitiæ chirographa abrumpes.

SECTIO SECVNDA.

Sæculo Diues in altero.

TEXTVS.

VERS.22. FActum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. 23. Eleuans autem oculos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. 24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham, Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. 26. Et in his omnibus, inter nos, & vos chaos magnum firmatum est; vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Lazari obitu.

1. *Versa sors in morte.*

FActum est, *vt moreretur mendicus.*] Versa sors est. Vidimus Lazarum mendicum, diuitē aspeximus: vidimus abiectū, aspeximus sūmo honore elatū: vidimus in vestibulo diuitis, aspeximus immanissimum hospitem. Videmus in Abrahæ sinu optimi hospitis collocatum; quem canes lingebant, iam Angeli portant. Lazarus moritur, & simul omnia incommoda terminantur.

2. *Lazarus in Abrahæ sinum deportatur. Paupertas purgatoriū.* Barrad.

Et portaretur ab Angelis, in sinum Abrahæ.] Non in Purgatorium, sed in Abrahæ sinum deportatur. An non miraris legis veteris obseruatorem tantæ perfectionis extitisse, vt nullo piaculo fœdaretur, quod esset purgatorio igne expurgandum? *At* (ait opportunè Barradius noster) *vixerat in purgatorio.* Quid enim eius paupertas, quid vlcera fuere, quid patientia?

3. *De inferis.* Gen.37.

Cur in cœlum portatus non fuit? Quoniam ante Christi Ascensionem iustorum hominum animæ non ascendebant ad superos, sed ad inferos descendebant. Vnde Iacob, *Descendam ad filium meum in infernum.* Gen.37. Ideo Christus ad inferos descendit, vt iustorum animas indè educeret, cœloque inferret, iuxta illud: *Tu autem in sanguine Testamenti, eduxisti vinctos de lacu, vbi non erat aqua.* Zachar.9. D. Gregorius lib.12. Mor. cap.6. *Quia ante aduentum Christi omnis homo, quamuis munda vita fuerit, ad inferni claustra descendit, dubium non est. Quoniam homo, qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille, qui sua incarnationis mysterio eiusdem nobis paradisi iter aperiret.*

Zach.9. Gregor.

4. *Quatuor apud inferos loca animæ versabātur.*

Quot nam in visceribus terræ loca subiacebant? Quatuor equidem. Infernus locus tartareus est, in quo æternis flammis damnati excruciantur. Propinquior tartaro infantium carcer, quorum maculam originalem Baptismi salutaris vnda non eluit. Tertius Purgatorium appellatur, in quo iusti, qui fæcis aliquid ex immunda seculi habitatione contraxerunt, instar auri, fornace repurgantur. Supremus limbus dicitur, qui iustorum animas continuit omni peccato, peccatique reliquiis carentium vsque ad Christi resurrectionem. In hunc locum ab Angelis Lazarus deportatur, nihil enim habebat scoriæ, quod repurgante flamma esset abolendum.

5. *Cur locus ille Abrahæ sinus dicebatur.* Theoph.

Quare hic locus sinus Abrahæ dicebatur? Vt requies secreta significaretur. An non maris sinus dicuntur recessus quidam tranquilli? Potuit ergo apellari sinus apud inferos locus ille, quia tranquillitate plenus erat. Theophylactus, *Quidam*

Quidam sinum Abrahæ vocant continentiam bonorum, quæ reposita sunt iustis, qui à tempestate huius maris ingrediuntur in portus cælestes, Quoniam & in mari sinus appellamus loca portubus & quieti apta. Augustinus serm. 110. de Temp. *Nolite carnaliter intelligere, quod velut in sinum tanica Abrahæ leuatus sit pauper. Sinus erat, quia secretum erat.* Et Gregorius hom. 40. *Quid Abrahæ sinus nisi secretam requiem significat.* Probabile hoc.

August.

Gregor.

6. *Altera sententia.*

Aptius autem existimo, metaphoram sumptam non à maris sinu, sed à sinu seu complexu paterno. Erat Lazarus Iudæus, Abrahæ & secundum carnem, & secundum fidem filius, propter sanctitatem charissimus: ideoque in sinu patris sui Abrahæ diuiti ostenditur. Ab hac visione locus ille quietis sinus Abrahæ est appellatus: & etiam nunc cœlum ipsum hoc nomine insignitur. Precatur Ecclesia pro anima hinc abeunte: *Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.* Quare id? Quia Abraham *Pater est omnium credentium.* Rom. 4. filiosque suos in sinu suo, ac complexu veluti excipit. Augustinus lib. 4. de anima, cap. 15. *Sinum Abrahæ intellige remotam sedem quietis, atque secretam, vbi est Abraham: & ideò Abrahæ dictam, non quod ipsius tantum sit: sed quod ipse Pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatum propositus. Sicut Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob se Deus vocari voluit, cum sit innumerabilium Deus.*

Rom. 4.

August.

7. *Quonam modo Lazarus ab Angelis deportetur?*

Et portaretur ab Angelis.] Quonam modo Lazarus ab Angelis fuerit deportatus? An non anima ipsa vim habebat, qua se mouere posset? An portata dicitur, quia ignorans iter ad Abrahæ sinum ducebatur? Existimo dæmonis victorem, ac triumphatorem cœlestes milites collætantes comitatos esse, ac deduxisse. Chrysostomus hom. de Diu. & Laz. *Non sufficerat ad portandum pauperem vnus Angelus: sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitia faciant. Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere. Libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad Regna cælorum.*

Chrys.

§. II.

De morte Diuitis.

8. *Diues semper mortuus?*

Chrysost.

MOrtuus est autem & Diues.] Mors totam conuertit, pauperem è paupertate summa in summam extulit opulentiam, diuitem è summa opulentia in summam præcipitauit inopiam. Chrysostomus, *Mortuus est diues corpore tunc, nam enim illi anima mortua erat & in sepulchro corporis condebatur.*

9. *Græcorum mens.*

Et sepultus est in inferno. Sic Græcè legitur clausula: *Mortuus est & diues, & sepultus est. Et in inferno leuans oculos vidit Abraham.* Sic etiam Syri dispungunt hoc sensu: Mortuus est diues, & sepultus est in sepulchro, quod sibi parauerat. Cum autem in inferno esset, oculos attollens Abrahamum vidit. Sic Augustin. ser. 110. de Temp. & de Gene. lib. 12. c. 33.

August.

10. *Vulgata nostra lectio.*

Profectò Biblia correcta Præsulis summi iussu habent nostrã lectioné, qua rectius significatur, diuité sepultũ esse in inferno velut æterno carcere. Quemadmodum enim Lazarum non dixit Dominus fuisse humatum, sic neque diuitem monuit esse sepultum. Id enim perspicuum, nec scitu dignum erat. De iis agebat, quæ altera in vita illis contigerant; ideo vt dixit, Lazarum portatum ab Angelis in Abrahæ sinum: sic asseruit, Diuitem sepultum esse in inferno. Sepulchra inferni lego in Ezechiele, Loquentur (Regi Ægypti) *potentissimi robustorum de medio inferni. Ibi Assur* (id est Rex Assiriorũ) *& omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulchra eius, omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio. Quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci.* cap. 32.

Ezech. 32.

§. III.

De Diuitis visione.

11. *Metaphoricè oculi, digiti, sinus exponuntur.*

August.

E*Leuans autem oculos, suos, vidit Abraham à longe.*] In scriptura Dei oculos, manus, digitos, atque legimus metaphoricè. Eundem in modum hic legimus linguam, oculos, digitum, sinum, cum tamen anima hisce careat. Augustinus lib. 4. de orig. ani. cap. 15. *Dicis, Membra animæ describuntur, vt verè sit corpus: & vis per oculos totum caput intelligi: quia dictus est diues leuasse oculos suos; per linguam fauces, per digitum manum. Quid igitur causa est, cur nomina ista membrorum, à Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An vero quando de creatura hæc dicuntur, propriè accipienda sunt, quando de Creatore, translatè?* Aderat ergo diues in inferno damnatorum, Lazarus in superiori terræ loco in limbo Patrum. Oculos eleuans diues non corporis: quibus carebat: sed mentis, scilicet intellectum, vidit Lazari animam in sinu animæ Abrahæ spirituali.

12. *Mens Patrum & Doctorum circa cognitionem, & visionem damnatorum.*

D. Thom.

Rich.

Argent.

Gabriel.

Gregor.

Sotus.

Euthym.

Sanctus Thomas q. 99. Additioo. art. 9. *Damnati antè diem iudicij vident bonos in gloria, non hoc modo, quod gloriam, qualis sit cognoscant: sed solum cognoscunt, eos esse in gloria quadam inæstimabili.* Richardus asserit damnatos gloriam beatorum cognoscere arguendo Argentina putat videre non simpliciter naturaliter, sed reuelatione. Gabriel sentit videre arguitiuè, vel per coniecturam. An videant damnati ipsos beatos intuitiuè? Affirmat Gregorius. Sotus tamen, & Bonauentura negant. Nam si viderent animas beatas, illarum etiam gloriam intuerentur, quæ ipsis inhæret. Euthymius, *Hæc dicit Gregorius in Dial. Alij vero Patres dicunt, atque à peccatoribus videri iustos, neque à iustis peccatores.*

13. *Auct. sententia.*

Crediderim impios minimè ex orco ipsos beatos intueri, sed gloria æterna donatos esse, agnoscere. At beati tum in Verbo impios, eorũmque tormenta, tum extra Verbum cernere possunt. Præterea diuitem vidisse Lazarum & Abrahamum existimo ex peculiari priuilegio per reuelationem. Caietanus, *Eleuatio oculorum diuitis, hoc est, ordinatio intellectus diuitis ad Abrahãm, & Lazarum intelligi potest diuinitus facta. Ac per hoc patet modus, quo agnouit Lazarum, & Abraham.* Iansenius hæresit.

Caiet.

14. *Cur apparet in sinu Abrahæ, & nõ in Adami Patris communis gremio?*

Tit. Bostr.

Et Lazarum in sinu eius.] Cur non in Adæ sinu? Quia Adamus filios peccato maculauit, Abrahamus autem omnium credentium Pater erat. Seu malis, in sinu Abrahæ inopem confoueri, quia Abrahamus pauperum egregius

egregius extitit subleuator. Titus Bostr. *Cur Lazarum in sinu Abraha potius vidit diues, quam apud quempiam alium iustum? Quia Abraham hospitalitati cumprimis deditus fuerat. Vt Abraha ergo hospitalitas diuitis inhospitalitatem reargueret, propterea aquus Iudex hunc cum illo collocare voluit.* Chrysostomus hom. 2. de Laz. *Non apud alium iustum Lazarum vidit diues, sed in sinu Abraha. Hospitalis erat Abraham. Vt igitur argueretur diuitis inhospitalitas, propterea Lazarum cum illo videt.* Addit Doctor, *Quemadmodum Deus Adam à paradiso eiectum e regione paradisi habitare iussit, vt assiduus conspectus renouans molestiam, sensum exactiorem illi praberet expulsionis è bonis: Ita & diuitem è regione Lazari constituit, vt videret, quibus bonis se ipsum priuasset.*

Chrys.

§. IV.

De Diuitis clamoribus.

15. *Quid expeteret diues?*

PAter Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam] Dominus spiritualia per corporalia demonstrat, quia cum hominibus loquitur, qui non spiritum, sed corpora possunt aspectare. Petit diues non aquam corpoream, sed aliquam pœnæ remissionem.

16. *Cur tam exiguum postulat refrigerium?*

Cur tam parcus fuerit in petendo? An quia parcissimus fuerit in donando? Quidnam aduersus tartareas flammas guttula aquæ posset afferre refrigerij? An tantam putabat vim esse in digito Lazari, seu in sancta eius anima, vt posset eius linguam recreare, ac reficere. O cœlestia refrigeria! (ex mente Augustini) Tantæ estis virtutis, vt pelagi huiusce vel guttulæ æterna sedent damnatorum incendia. O Pater Abraham Iudæus ego, ergo è patris pietate, miserere filio. Haud peto, vt tu prodigum impœnitentẽ præcurrens excipias, sed immittas Lazarum, quem in sinu tibi charissimum ostentas: vt saltem digito suo aqua intincto cœlesti, linguam meam diluat, ac refrigeret. Existimo enim illius digitum, & cœlestem aquam hanc vim erga flammarum ardorem habituram.

Nihil apud cœlos exiguum.

17. *Cur non Lazarũ ipsum precatus?* Titus & alij. *Auctoris mens.*

Cur non ad Lazarum ipsum direxerit precationem? An quia pudor obstabat, ac verecondia? Arbitrabatur nè Lazarum præteritæ memorem crudelitatis? Sic Titus, Theophylactus, Euthymius. Arbitrabatur, me au bore, Abrahamum limbo præesse, posseque Lazaro imperare, quem gerebat in gremio.

18. *Cur non petit aliũ immitti, sed Lazarum?* Chrysol.

Quarè non precatur alium immitti, sed Lazarum, cui micas abnegarat? D. Chrysologus serm. 122. *Adhuc tu in Lazarum sic es crudelis? Lazarum,* ais, *mitte. Quò? Ad infernum de gremio: de solio sublimi ad profundissimum chaos: ad tormentum, & stridorem de sancta quiete. Video quod agit diues. Non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui, & Zelo magis incenditur, quã gehenna.* Non abnego diuitem inuidia laborasse, sicut & reliquos damnatos: sed huiusmodi postulationem ex amore proprio profectam affirmo: specialiterque petiisse Lazarum immitti quia diues solum Abraham & Lazarum in eius sinu aspectauit.

Auctoris sententia.

19. *Et refrigeret linguam meam.*] Totam ignis tartareus diuitis animam succendebat; cur soli linguæ ardori petit Diuum succurre? Respondet Chrysologus serm. 66. *Lingua plus ardet, qua, misericordia vt fieret, iubere neglexit.* Augustinus serm. 227. de Temp. *Ideo in lingua maiorem sentit ardorem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem. Ipsa enim lingua, qua nolnerat dicere, vt eleemosyna pauperi donaretur, grauius gehenna flammis exuritur.* Gregorius hom. 40. *Quid est, quod innuitur, quia diues refrigerare linguam postulet, nisi quod is, qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat, per retributionis iustitiam in lingua atrocius ardebat.*

Cur solius linguæ ardori petat Lazarum succurrere? Chrysol. August. Gregor.

20. *Ob quænam scelera cruciaretur?* August.

Quia crucior in hac flamma.] Ob quænam scelera cruciaretur? Augustinus hom. 7. ex 50. sic respondet, *Diues erat. Non dixit Dominus, calumniator: non dixit, Pauperum oppressor: non dixit, Rerum alienarum aut delator, aut receptor: non dixit, Pupillorum expoliator: non dixit, Viduarum persecutor. Propter solam inhumanitatem, quia contemnebat pauperem antè suam ianuam iacentem neque congruè dignéque pascebat: mortuus est, & sepultus in inferno.* In Euangelio quidem huius tantò criminis fit memoria; putarim tamẽ credibile, aliis præterea criminibus fuisse inquinatum, quæ assolent crudelitatem in pauperes comitari. Chrysostomus hom. 1. *Homo erat diues, cuius vita variis vitiis erat inquinata, Caterum quod vitiosam egerit uitam, perspicuum est ex ipso vita exitu, quem sortitus est; & item ex eo, quod fastidiuit pauperem. Nam ista res declarat, quod non solum Lazari, verum neque alterius cuiusquam pauperis misertus est.*

Chrysost. *Crudelis in pauperes multis criminibus aliis fœdabatur.*

§. V.

De Abrahami responsione.

21. *Quidnam Recepisti?* Chrysost.

FIli, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.] Græcè, *Quod recepisti tu bona tua in vita tua.* Verbum ἀπελάβες id est, *recepisti* expendit Chrysostomus quæritans, cur non dixit Abraham diuiti, *Cepisti,* sed, *Recepisti bona tua:* quasi illi deberentur? Respondet, *Quoniam verisimile est, diuitem aliquid boni fecisse: & Lazarum aliquid leue deliquisse; declarauit vtrumque Abraham, dicens: Recepisti bona tua, & Lazarus mala. Tu etiam si quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hac omnia recepisti, rebus prosperis vtens. Et Lazarus, si quid mali fecit, omnia recepit, cum fame, inopia, extremis malis affligeretur.* Subscribunt Gregorius, Titus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Haymo, & alij. Iansenius autem verbum *Recepisti* pro simplici *accepisti* positum censet: atque adeò diuitias non esse diuiti pro merito datas. Quæ enim bona fecisse diuitem est credendum, qui pauperi vlceribus pleno antè ianuam iacenti nihil leuaminis afferebat? Barradius exponit, *Recepisti bona tua temporalia, qua sola cupiebas, qua sola tibi erant bona; bona enim aterna non curabas.* Hanc expositionem roboro ex Augustino sermon. 24. de Verb. Dom. *Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti*

Gregor. & alij. Iansen. Barrad. August.

22. *Auctoris sententia.* Chrysost.

Ego autem ansam accipiens à Chrysostomo hom. 4. de Lazaro assero omnes homines & bona & mala esse habituros: qui in hac vita bona habuerunt, in altera mala; qui in hac mala,

mala, in altera bona; æquum hoc esse, & natura quodammodo comparatum, vt æqualiter inter homines bona, malaque diuidantur. Non quod ita semper fiat, sed quod re communi hominum sensu æstimata, ita fieri debere videatur Quemadmodum apud Platonem in Phædo. dicebat Socrates, *dolorem, & voluptatem duas esse res ita natura coniunctas, vt necessario altera post alteram consequatur.* Hanc vim habet, *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Id est, recepisti bona, quæ tibi non quidem virtutis causa, sed naturali quodam iure vel in hac vita, vel in altera debebantur. Lazarus autem qui in hac vita mala recepit, in altera bonis æternis potietur. Noli his esse fœlix, *tolle quod tuum est, & vade.* Matth. 20.

Platon.

23. *Quam iustè vices fuerint commutatæ!*

Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris] Æquum est, vt hic nunc lætetur, tu verò torquearis. Mutatæ enim amborum vices sunt. Poterat Christus Abrahamum præcisè respondentem inducere non posse fieri, quod petebat: sed voluit auditores edocere ita, vt intelligerent, non modo fieri non posse, vt bonorum & malorum conditio mutetur: sed iustum etiam esse, vt ita fiat. Itaque non tam Abrahamus, quam ex persona Abrahami Christus ipse respondet.

24. *Expositio particulæ Chaos firmatum est.*

Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est. Græcè *καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις*, hoc est, *Et in his omnibus*, vel, *Cum his*, vel, *& super hæc omnia*, quæ dixi, id quod tu petis, fieri minimè potest. Postulas enim vt Lazarum immittam; fieri non potest vt ex hoc loco, in quo sumus ad tartarum, in quo tu es, peruadat aliquis. Etenim inter hunc locum, & flammas, quibus tu cruciaris, ingens quidam hiatus, & immensa quædam vorago interiecta est in terra, ac veluti chaos quoddam magnum oppositum, quod transitum ex vno in alterum locum omninò impedit. An non potuisset ex sinu Abrahæ anima in tartarum descendere? Ita planè. At Abrahamus metaphoricè loquitur de ordine à Deo præscripto, vt nullus iustorum ex Limbo, vel Purgatorio, vel Cœlo descendat in tartarum: nullusque damnatorum ex tartaro in aliquem horum locorum ascendat. Euthymius, *Hiatum magnum dicit Abraham firmissimum Dei præceptum tanquam ad modum hiatus prohibens horum & illorum commistionem.*

Obiectioni fit satis.

Euthym.

25. *Æterna termina gehenna.*

Corruit hinc Origenis eiusque sectatorum error asserentium tartareas flammas finem habituras. Sic Theophylactus argumentatur, *Ecce audiuimus Abraham dicentem, Quod hi, qui volunt hinc ad vos, vel illinc ad nos transire, non possint. Sicut igitur impossibile est, ex consortio iustorum quempiam transire in locum peccatorum: ita impossibile est, vt nos docet Abraham, transire à loco pœnæ, in locum iustorum. Abraham sanè fide dignior est quam Origenes.* Augustinus roborat expositionem lib. 2. qq. Euangelic. c 38. *Quod dicit Abraham, ad ea loca, in quibus torquentur impij, iustos etiamsi velint, non posse transire: quid aliud significat, nisi post hanc vitam receptis carcere inferas, per incommutabilitatem diuina sententia, nullum auxilium misericordia posse præberi à iustis: etiam si velint illud præbere*

Theophr.

August.

26. *An voluerint iusti damnatis succurrere?*

An qui in sinu Abrahæ morabantur voluerint damnatis succurrere? *Vt hi, qui volunt transire ad vos.* Ergo voluerunt. Potuere planè voluntatem habere succurrendi damnatis naturalem, sed non deliberatam. Omnino enim consentiebat eorum voluntas diuinæ voluntati. Audi Gregorium hom. 40. *Ad afflictos, & in tormentis positos transire iustorum est mente ire per misericordiam, eosque velle liberare. Sed qui volunt de beatorum sede transire ad afflictos, & in tormentis positos, non possunt; quia iustorum anima quamuis in sua natura bonitate misericordiam habeant: iam tunc Dei iustitia tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur.* Caietanus putat loqui Abrahamum de voluntate naturalis affectus ad misericordiam, hoc sensu: Potuerunt qui in Abrahæ sinu morabantur; & poterunt cœlicolæ habere voluntatem succurrendi damnatis; si Deo placeret.

Grego.

Caiet.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM,
EX EPVLONIS DAMNATIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Factum est autem, vt moreretur mendicus: Mortuus est autem & diues.

De Diuite non dicitur *Factum est, vt moreretur*, quemadmodum de Lazaro: Quare?

Quia mundialis potentia aut felicitas adeo obnoxia ruinæ, vt suomet pondere corruat.

ET Lazarus inops moritur, quasi vis alicui brachio seu ægritudinis, seu famis, sitis, ac nuditatis exercitus: *Factum est*, vt autem

tem diues è vita decedat, nulla vis addicitur, *Mortuus est autem & diues.* Repentina diuiti obrepsit mors, tacito & laneo pede illum corripuit, cæco vulnere de medio sustulit. Cur inops addita vi fatis concedit, diues autem sine vi emoritur? Respondeo mundialem fælicitatem adeò obnoxiam ruinæ, vt suomet pondere corruerit. Maldonatus, *De diuite non dicit, Factum est, vt moreretur, quia non famis vi, sed nimia satietate, mortuus.* Satietas, seu fælicitas, ac prosperitas suo diuitem pondere oppressit.

28. *Sinè adhibita manu vi potentissima Regna cadunt suomet oneri succumbentia.* Dan. 2. Theod.

Daniel Regi, *Ecce quasi statua vna grandis, huic statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & fæmora ex are: tibia autem ferrea: pedum quadam pars erat ferrea, quadam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam.* Dan. 2. Vbi Theodoretus, Per hæc maxima Regna declarat, & mundi fælicitatem exprimit. Quæritur quare ad conturbandam fælicitatem humanam lapillus sine manu excidit, & non potiùs saltem vi manuum, è funda emittitur? Sicut Goliath concidit, concidant Regna, fœlicitas mundi concutiatur. Profectò ad prostrandam fælicitatem mundi sufficit diuitiarum pondus, potentia ipsa ruinæ est obnoxia, non contorquetur lapis, sed excidit quasi index ruinæ non quasi operator, aut factor: *Factum vt moreretur mendicus:* diues autem sine faciente manu mortuus est. Pulchrè addit Theodoretus. *Ipsa quoque Regum, aut rerum mundialium figura facillimè dissolui potest.* Ideo non fuit necessarium manibus contorqueri lapidem, ad prosperitatem mundi comminuendam.

29. *Diuiditur enim fælicitatis, ne id obnoxia sit ruina.* Dan 2.

Adiicit Vates, *Tu Rex, es caput aureum, & post te consurget Regnum aliud minus te, & Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersa terra. Et Regnum quartum erit velut ferrum. Porrò quia vidisti pedum & digitorum partem testeam figuli, & partem ferream, Regnum diuisum erit.* Dan. 2. Regna integra corruunt, & Regnum diuisum etiam conquatitur. Cur diuiditur Regnum? An vt facilius possit sine ruina aliquandiù stabiliri? Collatinus & Brutus Romani Ciues Tarquinum Imperatorem de medio sustulerunt. Respublica autem gratitudinis ergo, quod pestem tantam ablegassent, eorum humeris Imperij gubernationem addixere, hac lege: vt anni vnius intercapedine solummodo regnarent. Cur autem Imperium vnius solitum cum vita mutari, duorum iam singularis anni terminus diruebat? Pulchrè

Florus.

Florus lib. 1. cap. 9. *Imperium in eosdem libertatis sua vindices transfert, mutato tamen & Iudice, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit: ex singulari duplex. Ne potestas solitudine, vel mora corrumperetur. Repartiose el peso dela felicidad, porque no derribe tan facilmente a su dueño;* Si licet vulgariter explicare. *Regnum diuisum erit,* ait Daniel; nèc tamen ideò diuturnum poterit permanere.

30. *Petit Noe dilatatum dilatari, seu conseruari in dilatatione; quia illud esse dilatatum, est id cecidisse.* Gen 9. Lipom.

Iapheto Noë hanc precatur fælicitatem: *Dilatet Deus Iaphet,* Gen. 9. *Iaphet* idem est, ac *dilatatio dilatatus,* Lipomano auctore. Ac si diceret parens: *Dilatet Deus dilatatum.* Si dilatatus ille erat, cur precatur Noemus dilatari? Certè quia nisi Deus de nouo semper faciat hominem dilatatum dilatari, quasi exiguna ostenderetur; quia instantanea est gloriæ mũdialis fælicitas. Vix ostenditur, cum terminatur, cum à suomet pondere obruitur, illud esse dilatatum, est iam cecidisse.

31. *Videns Ionas ciuitatẽ trium dierũ itinere, adiudicauit tante fælicitatis pondere post totidem dies ruituram.* Ioan. 1. Origen.

Ionæ Dominus, *Surge, vade in Niniuem ciuitatem grandem, & pradica in ea; quia ascendit malitia eius coram me.* cap. 1. Cum autem Ionas in Niniuem pergeret ingressurus Textus adiicit, *Et Niniue erat ciuitas magna itinere dierum trium.* Clamat Prædicator, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* cap. 3. legit Origenes, *Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.* Cur ruinam præproperam prædicat Propheta, si Deus solummodo iussit prædicare pœnitentiam? Origenes hom. 16. in Num. *Obserua, quod non inuenitur in sermonibus Dei, quibus ad Prophetam locutus est. Quia adhuc tres dies, & Niniue subuertetur. Sed Ionas cum ingrederetur Ciuitatem quasi iter trium dierum, ipse dixit: Quia adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.* Mox vt vidit ciuitatem potentissimam, quæ trium dierum intercapedine ambulanti constabat. Liceat vulgariter expendere: *Que se auian de gastar tres dias en andarla, porque de puerta a puerta tenia treinta leguas.* Mox Propheta cognouit totidem diebus tantam machinam obruendam, suomet ponderi concessoram.

32. *Arbor magna concidit ex nimia fælicitate.* Dan. 4.

Nabuchodonosoris somnium expendo. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersa terra. Folia eius pulcherrima. Et ecce vigil, & sanctus de calo descendit, clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & pracidite ramos eius.* Dan. 4. Vndenam ô vigil agnoscis arborem tam pulchram, tam ornatam subiacere ruinæ? Richardus Victorinus lib. 2. de Erud. inter. hom. p. 2. cap. 14. *Hoc fortassis successionis causa extitit, quod eius altitudo nimia fuit. Et hoc ei extitit causa ruina.* Pulchrè. Ipsum id pulchritudine excellere, potentia, ac fælicitate reliquas arbores superare, miseræ fuit causa ruinæ: Excidit arbor procera. *Mortuus est diues.* Illustro ex Periandri carmine comico.

Richr. Vict.

Periand. Græc.

Mortua est sinè vi morbi Drusilla,
A nimia etenim pulchritudine rapta.
Fœdas vidi Nestoriis addictas annis,
Et vix post repetita vulnera cadentes.

Factum est vt moreretur fœda quælibet, (ait Græcus) mortua est è nimiæ pulchritudinis fælicitate Drusilla. Nimietas pulchritudinis ei extitit causæ ruinæ: *Factum est, vt moreretur Mortuus est autem & Diues.*

OBSERV. II.

Ad illa verba:

Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis.

Diues in tormentis constitutus, oculos aperit ad suam miseriam dignoscendam, ad differentiam perpendendam temporariæ, & æternæ fælicitatis.

Et quando non labores mentis oculos acuerunt, ad inuisibilia aspectanda, ad vtilia intelligenda?

33. SEtò vidit Diues *cum esset in tormentis* Lazarum inopem, quem hærentem continuo ianuæ suæ domos non viderat egressurus, aut ingressurus. Mihi credite tribulationis tortura efficit mentis oculos aperiri, ac sæculi alterius inuisibilia commoda contemplari. Vtinam hoc in sæculo diues ægritudinibus, tribulationibus, infælicitatis vulnere afficeretur, non tam serò oculos eleuasset, ad pauperis gloriam aspectandam ad æternitatem tormentorum iam iam indictam iniquis perpendendam!

34. *Adamus & Eua cum sunt in aduersitatis tormentis, vident salubriter non vallè videntes in felicitate.* Gen. 3.

Eua petiit, Adamum traxit serpens in ruinam, quia vim præcepti diuini visu perspicaci mentis aspicere neglexere. An nō sunt corū aperta lumina? *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis: tulitque de fructu illius, & comedit.* Gen. 3. Inter escas, inter pulchritudinis folia, inter abundantiæ germina oculi non verè aperiuntur ad diuina meditanda. At cum in felicitas aduentauit, cum prostrati ad diaboli pedes obiiciuntur, *cognouerunt se esse nudos. In tormentis* enim salubriter aspectamus. *Et fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. Sunt qui asserant ex foliis fici asperrimis sibi aptasse Adamum & Euam cilicinas vestes ad carnis attritionem. Pœnitentiæ fructus proferre satagit, qui oculos eleuat in tormentis.

35. *Cum Hebræi essent in tormentis vulnerum, vident serpentem ad medicinam.* Num. 21.

Non facilè queam enumerare Hebræorum apud deserta calamitates: solummodo memoriæ obiiciam dirè eos fuisse à serpentibus vulneratos. Paratur à Deo medicina, serpens æneus eleuatur in ligno. Eum Moyses *posuit pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. Preme verbum *Percussi aspicerent.* Sanitate donantur videntes, sed *percussi.* Qui videt in tribulationis vulnere, sanitatem recipit, quia vidit anxio studio sanitatis. Philo lib. de Agricult. *Draco mulierem decipiens.* Hebræis vulneratis *solo aspectu salutem afferens.* Quia fœmina aspexit, cum esset in deliciis paradisi. Hebræi autem cum essent in vulnerum tormentis. Qui sic videt *etiam si fortè prius, sicut Eua, à veneficiis voluptatis morsus fuerit, necessum est, eum viuere.*

Philo.

36. *Minister Elisei vidit cælestem exercitum, cum esset in tormentis formidinis.* 4. Reg. 6.

Regis Syriæ exercitu Elisæus circundatur, *Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus est, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus; nunciauitque ei dicens: Heu heu heu Domine mi quid faciemus?* Profectò minister ille cum esset in tormentis formidinis, vidit cœlestis exercitus copias sibi salutares. *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit.* 4. Reg. 6. Vbi Ambrosius serm. 1. asserit *promeruisse videre postquam timere cœpit.* O quam perspicax visus ad cœlestia aspectanda. cum homo in afflictionis tormentis constituitur!

Ambros.

37. *Qui in tormentis non videt cælesti, adesperatus.*

Porrò tam efficax est medicamen ad aperiendos oculos, & aspectanda cœlestia versari hominem in tormentis aduersitatis: vt documentum præstet impœnitentiæ & extremæ obstinationis, qui in tormentis existens perseuerat in cæcitate. *Duæ* (ait Dominus) *molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur.* Matth. 24. O diuinæ prædestinationis viro. Etiam futurus est aliquis adeo suæ cœcitati addictus, vt vel in mola laborum constitutus non videat: & dum è mola vna assumitur, imo plures eleuantes oculos ad superos aduocantur, misera anima in cæcitate relinquitur, quia insigni malitia suam affectat cœcitatem. Paschasius lib. 12. in Matt. *Altera verò, quæ permanserit cæca, ad molam relinquetur gyrando in sua cæcitate.* Affectat enim cœcitati addici, qui versans in tormentis non eleuat oculos ad sublimia

Matth. 24. Paschas.

38. *Adonibesec in prosperitate, cæcus in tormentis videns.* Iudic. 1.

Adonibesec in fœlicitate dùm degebat, superbia, ac crudelitate laborabat, quam *cæcam* appellauit Ausonius; nec enim oculi leuantur in prosperis. Attamen *inuenerunt* filij Israel *Adonibesec, ac pugnauerunt contra eum. Fugit autem Adonibesec, quem persecuti comprehenderunt cæsis summitatibus manuum eius ac pedum.* Collocatus autem in tormentis, dixit Adonibesec, *Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedū summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus* Iudic. 1. Igitur eum esset in tormentis eleuauit oculos, qui in prosperis cœca crudelitate capiebatur: prudens calamitate efficitur, qui fortuna prospera, dementia laborabat.

39. *Nabuchodonosor cæcus in felicitate, eleuat oculos ad cognoscendū Deū in tormētis.* Dan. 4.

Quam cæcus Nabuchodonosor inclamitabat in prosperitate. *Nonnè hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Collocatur, in tormentis propitio Numine; *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est,* &c. Num cæcus permansit? *Igitur ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, Altissimo benedixi, viuentem in sempiternum laudaui.* Dan. 4. En diuitem eleuantem oculos, *cum esset in tormentis. Oculos,* ait, *meos ad cælum leuaui.* Theodoretus, *Tantum vtilitatis ex calamitatibus percepit, vt Prophetæ instar, de Deo sentiat, & loquatur.*

40. *Qui propè iacentē fœlix non videbat, in tormentis procul abstractum agnoscit.* Euthym.

Haud aliter Epulo quē pauperē in fælicitate elatus non agnoscit, in tormentis cōstitutus videt, & cælestia cognoscit. Euthymius, *Vide quomodo eum sapere fecit cruciatus. Quem enim ipse prope iacentem despexerat, hunc eminus acutè videt.* Prosperitas ita obnubilat lumina, vt vel iacentem prope non aspectent. At in tormentis adeò oculi acuuntur, vt vel procul abstractos contemplari valeat.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

In sinu pauperem Abrahamus collocat, vt ostendat sibi esse æqualem circa eleemosynarum elargitionem.

Pauperrimus enim homo potest Abrahamum munificentissimum erga pauperes, imitari.

41. *Pauper dās micas, vel aqua stillas, aut saltem affectum compassionis potest diuitum superare munificentiam?* Chrysost.

DVm video Lazarum insinu Abrahæ eullocatum, æqualem eum Patriarchæ recognoseu, si recolo sententiam Chrysostumi hom. 14. in Ioan. asserentia probari Filij cum Patre æqualitatem, ex eo quod dicatur Filius in sinu æterni Patris esse: *Qui est in sinu Patris.* Quonam modo autem ostendes Lazarum æqualem esse parenti Abrahamu nisi affirmes eiusdem virtutum æmulatorem extitisse? Extitit planè. At quonam modu pauperculus potuit Abrahæ hospitalitatem, & munificentiam in pauperes imitari? Certè pauper ex penu exiguu tribuens micam imo aquæ poculum, aut saltem affectum, putest cum munificentissimis pietatis assertoribus comparari, & sæpe munificentiur Dei ueulis exponitur.

42. *Pauper potest ex vnico pane frāgere particulā egeno.* Isai. 58. Cæsar. Arelat.

Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum. Isai. 58. Preme τὸ *Frange panem.* Diues integrum panem inopi tribuat, at paupec ex pane suo particulam impendat egeno. Cæsarius Arel. hom. 2. *Frange esurienti panem tuum. Non dixit, vt integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet. Sed frange,* inquit, *hoc est dicere, etiam si tibi tantu paupertas est, vt non habeas nisi vnum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.*

43. *Vidua paupercula exiguo sui panis portione Eliæ succurrere.* 3. Reg. 17.

Ad domum viduæ pauperculæ fame pressus accessit Elias, petit pane refici, recusat fœmina aperiens nimiam egestatem. Cui Diuus, *Noli timere, sed vade & fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum; tibi autem & filio tuo facies postea.* 3. Reg. 17. Quomodo postea faciam ex farinula mihi & filio, si tam exigua est vt vix sufficere possit duobus? Certè quis non totam peto mihi farinulam dunari; sed fieri de farinula *subcinericium panem paruulum.* Paruula portio mihi sufficit ad refectiunem, & nun ideo tu ac filius tuus annona priuamini. P. Gaspar Sanctius addit apposite. *Hinc discant illi, quibus tenuis est, & angusta fortuna, sibi non deesse, quo diuinam misericordiam mereantur, si ex eo, quod sibi necessarium habent, licet illud sit exiguum, dant egenti.*

Sanct.

44. *Nulli deficit aqua, quam pauperi tribuat.* Matth. 10. Cæsar.

Non est mihi, ais, vel farinæ quantum pugillus capere possit: quidnam dabo? Nulli aqua uuu adest. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Matth. 10. Ad quæ Cæsarius citat. *Sed quis erit, qui se possit excusare, cum pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promittit? Et quare frigidam dixit? Ne forte possit aliquis pauper de lignorum penuria excusare; aut certè dicere, se vasculum, vbi aquam calefaceret, non habere.*

45. *Si porest aqua & tu nu desit, non poterit non esse misericordi affectus magnus.* Cæsari.

Tam pauper (instas) sum, vt non solum mihi *panis* sit *arctus*, sed & *aqua breuis.* Cares aqua? Da affectum. De quu idem Cæsarius, *Pro capitalibus criminibus non hoc solum sufficit, sed addenda sunt lacrymæ, & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata ieiunia. Largiores eleemosynæ etiam plusquam nos ipsi valere possumus, eroganda.* Quonam modu possumus erogare eleemosynas largiores plusquam possumus valere, nisi voluntaris munificentissimæ affectu? *Pluguiera à Dios* (liceat vulgariter explicare) *tubiera yo todos los bienes del mundo, que lo diera a los pobres. Quanto puedo valer es poco para lo que deseo.*

46. *Hac exigua portio, quam pauper dat pauperi, est in conspectu Dei munus augustissimum.* Chrysost.

Iam verò, quam magnum sit in cunspectu Dei exiguum illud quod præstatur egenti, apertè moostrabo. Exigua panis portiuncula Eliæ præstatur egeno, paruula eleemosyna succurritur, qui aquæ frigidæ, calicem accipit. Attamen Chrysustomus paruulæ largitionis sic celebrat pondus hom. 9. Quod nemo læditur &c. *Paupertas non impedit hominem ad misericordiam faciendam, hominem dico misericordem. Quamuis enim pauper sit, erunt tibi duo minuta, quæ cum obtuleris, super omnem diuitum censum reputabuntur tibi; & erit tibi manus plena farina, quæ sufficiunt tibi ad pascendum Prophetam. Quod si defuerint etiam hæc, nunquam tibi, crede mihi, deerit calix aquæ frigidæ: ex quibus omnes diuitias effusas pro misericordia superabis.* Si scilicet adsit superans affectus.

47. *Pauper dans micam, stillam, aut saltem affectum, eodem præmio afficitur, (dum in die Iudicij Regno donatur) ac munificentissimi quique.* Matth 6. Matth. 25.

Ex præmio respondente capies documentum. *Beati pauperes quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Matth. 6. Alibi autem *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; nudus eram, & operuistis me,* Matth. 25. An excluditur pauper à Regno? Pauperis Regnum est: *Quoniam ipsorum est Regnum.* Quonammudo potest Regnum esse pauperum, si Regnum est eorum solummodo, qui pauperes cibant, potant, operiunt: pauperes autem fame & siti afficiuntur, nuditate vexantur? Profectò paruulam illam, quam possunt impendere portionem Deus accipit pru munificentiæ augustissimu documento. Nyssenus Orat. 8. de beatitudinib. *Pariter in cælum Deus ducit eum, qui pauper fuerit, & eos qui condolentiam ergo proximos præstiterint Quid igitur ad hæc dicimus: Etenim benignitas in pauperes & egenos à paupertate aliena non est.* Quia pauper potest dare micam, & aquæ stillam, aut saltem affectum; quu quidem potest munificentissimos quoslibet exæquare: *Pariter* ideo in cœlum Deus ducit eum *qui pauper fuerit: & eos, qui condolentiam ergo proximos præstiterint.* Præstare condolentiam erga proximos est Patris subsidia magna egentibus exhibere. Huiusmodi itaque subsidiorum pondus potest inopis affectus superare *Plaguiera Dios tubiera que se dar! Tuum,* ò munificentissimu æqualis *est Regnum cælorum.*

Nyssen.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Totus ardet Diues, & soli linguæ expetit refrigerium?

Ita planè; lingua enim posset confessione delictorum, si verè fieret, gehennæ incendium illicò extinguere.

Ex

48. August.

EX D. Augustini mente petebat Epulo guttulam aquæ cœlestis, nempe virtutem sacramenti ex sanguine Christi profluentem, qua incendium corporis totius, ac animi extingueretur. Posset miser peccata, quæ commiserat veraciter confiteri, digno pœnitudinis affectu: extingueretur flamma totius hominis membra torquens, lingua sanitatem recipiente. Vndè aptè postulat linguæ dari stillam sanguinis salutaris, id est vim veræ Confessionis, ad omnes cruciatus superandos.

49. *Omnes morbi animæ ex silentio.* Heliod.

An peccator ille agnoscebat serò euigilans, incendium illud ex silentio ortum duxisse? Certè omnia hominem torquentia mala ex noxia linguæ illigatione procedunt. Heliodorus lib. 4. hist. Æth. *Morborum alimentum silentium est.* Quia tacuit homo, dum clamare deberet ad criminum manifestationem, mortis æternæ doloribus, gehennæ ardoribus succenditur. Hinc Dauid, *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* Psalm. 31. Quidnam, precor, ossa inueterascere, nisi dolorum vi opprimi totam hominis constitutionem? Vndenam autem toti homini tam dira calamitas? Certè ex linguæ illigatione. Lingua protulisset conscientiæ piacula, confessione profusa: totus homo incolumitate potiretur. D. Isidorus lib. 2. Sent. cap. 24. *Quid tacuisse se pœnitet, nisi confessionem peccatorum?*

Dauid totus ex lingua illigatione æger exponitur. Psalm. 31. Isidor.

50. *Lingua vnius exercitium nos potest ab ægritudine tota liberare.* Nazianz.

Fatur D. Gregorius Nazianz. Orat. 10. *Et quantum studium a nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus: atque in nostram perniciem fortes sumus, & aduersus sanitatem nostram periti.* Vnicum linguæ exercitium nos potest ab ægritudine tota liberare. Si lingua proferat crimina occulta, sanitate donamur; si silentio illegetur, omninò sine medicamine perihimus.

51. *Totus ignis Adonibesec extinguitur, ex linguæ operatione profitente delictum.* Iudic. 1. Rupert.

Sepultus in inferno improbitatis Adonibesec igne conscientiæ prauæ totus succendebatur. Refrigerata est lingua eius cœlesti pietate, & clamitauit, *sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* Iudic. 1. Vbi asserunt Interpretes ad veri Dei cognitionem fidemque transiisse, anteactæque vitæ scelera diluisse pœnitentia. Totum nè vnius linguæ solutio extinxit hominis incendium? Ita planè Rupertus asseruit, *Est regula domina pietatis, vt si homo se ipsum accuset, tum mitius, & mansuetius agat cum illo misericordia Dei.* Quam mitis, quam mansuetus, qui ob linguæ vsum salutarem totum animæ extinxit incendium?

52. *Adami animus conflagrans refrigeratur ex confessione linguæ & cordis: Cainus autem ardebit æternùm totus, ex linguæ abnegatione.* Gen 3. Gen 4.

Et Adam, & Cain tartareo iniquitatis igne succendebantur. Misericordiæ Dei super linguam Adami profluit stilla, & soluta crimen professa est. At Cain instar Diuitis Epulonis stilla Dei digiti non donatur; & lingua illigata totus igni addicitur. Adamo Deus, *Maledicta terra in opere tuo.* Gen. 3. Caino autem, *Maledictus tu super terram.* Gen. 4. Cur Adam delicti hominum Magister non etiam totus maledictione est vulneratus? Quia soluta lingua, locutus est, delictum aperuit? Cain autem totus in hac flamma cruciabitur, quia linguæ vincula non disrupit. Athanasius quæst. 108. *Cain negauit, & a Deo peccatum suum abscondit, quapropter pœnam in totum se deriuauit. Adam verò quia confessus est, magnum totam à se supplicium depulit.* Id est gehennæ ignem totum extinguit, à se toto expulit pœnam, quia beneficio linguæ crimen aperuit: & in terram flamma deflexuit incommodi: *Maledicta terra.*

53. *Linguæ confessio totum incendium extinguit æternum.* Tertull.

Porrò Tertullianus lib. de Pœnit. quasi obiiciens oculis æternam Diuitis conflagrationem, quia lingua non est vsus ad confessionem: linguæ loquentis vim ad totum extinguendum hominis incendium sic exposuit: *Lingua in peccatorem pronuncians, Dei indignationem frangit, & æterna supplicia expugnat.* Loqueretur Diues, stillaret in linguam eius diuina dispensatio, vt destinatus gehennæ, posset dignè gerere confessionem: proculdubio totum miseri periret incendium.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Acerbius Diues in lingua experitur incendium; quia aut procitare linguæ deliquerat, aut pauperi insultauerat.

Membrum enim specialiter seruiens iniquitati, speciali tormento in gehenna afficitur

54. Maldon. Chrysol.

CVr igne immersus Diues totus specialiter linguæ proclamat incendium, quasi reliqui corporis, animique contemneret conflagrationem? Profectò quia specialiter lingua operam dederat iniquitati, specialissimo supplicio torquetur. Maldonatus ex Patribus asserit Diuitem specialiter linguæ procacitate deliquisse. Pauperi insultasse misericordiam includendo vidimus in commentario ex Doctorum sententia, queis addo D. Chrysologum serm. 121. fatum: *Vnde meritò prima est in gehenna, in cruciata prauia, dux pœnarum lingua: quia ipsa interdixit misericordiam, cui datum fuerat, vt iuberet.*

55. *Altero in seculo specialis linguæ mortificatio, aut delicia speciali præmio, aut supplicio afficitur.* Luc. 16. Tertull.

Preme Epulonis querelam, *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Ex mente Tertulliani Lazarus non ex fonte, aut fluuio aquã erat accepturus, sed ex propriæ linguæ diffluente refrigerio, ac saturitate alienæ subuenturus erat inopiæ, extincturus siccitatem. Vndenam inopi iam rata refrigerij voluptas, & diuiti tantum siccitatis ac penuriæ tormentum? Tertullianus. *In diuite quidem conuiuia* specialiter *cruciantur, in paupere vero ieiunia* specialiter *recreantur.* Quia altero in seculo quemadmodum linguæ abstinentia speciali præmio afficitur, ita eiusdem saturitas speciali supplicio distorquetur.

56. *Zacharia lingua illigatur, quia vocem profuderat incredulam.* Luc. 1.

Nec mirum in loco tormentorum specialia supplicia specialibus linguæ piaculis præparari, si & in hoc seculo à supremo Iudice specialia linguæ peccata speciali pœna vindicantur. Zachariæ Angelus, *Ecce eris tacens, & non poteris*

loqui

loqui vsque in diem, quo hac hæc fiant, Luc. 1. Cur Sacerdotis lingua illigata est, quæ tot laudis cantica Numini profuderat? Promiserat Angelus Elisabetham parituram, Zacharias autem subdubitans profatur: *Vndè hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis?* Ibid. Quia ergò lingua dubitantis animi infidelitati annuens, eam verbis expressit, meritò à Domino illigatur. Titus Bostr. *Vocem dedisti planè incredulam: propterea voce tantisper orbaris.*

Titus Bostr.

57. Apud Capharnaum erat homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? venisti antè tempus perdere nos. Scio qui sis, Sanctus Dei.* Porrò *comminatus est ei Iesus dicens, Obmutesce.* Mar. 1. Encomiúmne diaboli silentio vindicator? Delicuitne Dominum laudibus efferendo? An supplicio eo afficitur, quia Deus indixerat peccatori, *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum:* Crediderim, ligatam esse diaboli linguam quia olim mendaciis replicatis Adami fefellit vxorem. *Qui dixit ad mulierem, cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum, & malum.* Gen. 3. Lingua voce priuetur, quæ voce fefellerat. Beda pulchrè, *Quia diabolus Euam lingua sua fefellerat, lingua punitur.*

Diaboli lingua silentio punitur, quia fœminam verbo fefellerat. Marc. 1.

Gen 3.

58. Fatur Apostolus, *Mulieri autem docere non permitto.* 1 Timoth 2. An non aliquibus egregiis viraginibus posset dari copia docendi? Posset planè; sed fœminea lingua silentio speciali circa cœlestia dogmata vindicatur, quia Eua semel virum docuit mala Dei verborum interpres *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, & comedit.* Gen. 3 Miror Adamum tam facilem se se fœminæ offerenti pomum præstitisse. Cur non quæsiuit, cur non Dei præcepti memor obiecit, nefas conditoris præcepta præterire? Quæsiuit, obiecit (ex Patrum mente) sed fœmina verbis à diabolo acceptis & fecit satis argumentis viri, & lingua verborum lenociniis virum allexit ad piaculum Quæ igitur male docuit lingua delinquens, linguæ infrænatione puniatur. Chrysostomus ad locum Pauli, *Semel mulier docuit, & cuncta peruertit, virumque inobedientia fecit obnoxium: ideirco vltra non doceat.*

Mulier non permittitur docere, quia malè docuit Adamum, inepta Dei verborū interpres. 1. Tim 2. Gen. 3.

Chrysost.

59. Post traditum Magistrum Iudas, *proiectis argenteis in Templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit.* Matth. 27. Cur Iudas tam crudeli afficitur supplicio propria illato manu? Meritò laqueo addicitur, qui IESVM tradidit alligandum. Quæsierim tamen, quare suspensionis pœnæ traditus est; *Tunc* (inquit Matthæus.) *abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.* c. 26. Qui ergo iniquissima verba profudit, gutture stricto non loquatur, Beda ad Act. 1. *Suspensus crepuit medius, vt guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus stringeret.*

Iuda gut ur torquetur, voce illigata, qua iniqua verba profudit. Matth 27. Matth. 26.

Beda.

60. Siue malueris, supplicium in gutture delicto sacrilegij respondisse, cum Iudas linguam iniquam sanguine salutari, non quidem ad salutem intinxit. *Et cum intinxisset Iesus panem, dedit Iudæ. Et post bucellam tunc introiuit in eum satanas.* Ioan. 13. Quia igitur male sumpserat Eucharistiam, fauces illi præclusæ fuere. De fœmina quadam Iudæ imitatrice fatur Cyprianus de laps. *Quæ non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit.* Si ergo vel hic lingua iniqua speciali supplicio torquetur: quid æternùm in tartaro?

Lingua sanguine Saluatoris indignè tincta, speciali supplicio afficitur. Ioan. 13. Cypr.

SECTIO III.

Diuitis Fratres.

TEXTVS.

VERS. 27. ET ait, Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres: 28. vt testetur illis, nè & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham, habent Moysem, & Prophetas, audiant illos. 30. At ille dixit, Non pater Abraham; sed siquis ex mortuis iërit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illi: Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque siquis ex mortuis resurrexerit, credent.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De secunda Diuitis precatione.

1. *Postulat diues, Lazarū in domū patris sui immitti.*

ROgo ergo te, pater.] Siquidem ô pater, non potes Lazarum mittere ad me vastissimo obstante chaos, seu hiatu: mitte, quæso, cum in domum patris mei (quod fieri potest, quia nullus obstabit hiatus) vt fratribus meis & fœlicitatem suam, & damnationem meam annunciet, testeturque hæc, quibus discrucior, tormenta, ne mihi illi infausti comites sint in suppliciis, quemadmodum in vitiis comites extitere. Particula enim illa: *Et nemo illi dabat,* innuit non solùm diuitis, sed & fratrum crudelitatem.

2. *An bona fuerit diuitis postulatio.*

Num hæc diuitis postulatio bona fuerit? D. Chrysostomus diuitem humanum, & mansuetum à flammis esse factum scribit. *Pro aliis diues precatorem agit, vsque adeo benignus, & humanus euaserat. In tormentis, aliorum curam agit.* Theophylactus, *Vide, quomodo in*

Chrysost.

tormentis

tormentis sensum aliena infelicitatis dines capit. Et Gregorius, *reproborum mentem pœna sua quandoque inutiliter erudit ad charitatem, vt iam tunc etiam suos spiritualiter diligant* Videntur hi Patres existimare, ex benignitate, & charitate postulationem hanc esse profectam. At verò in damnatis nulla est virtus, nullus charitatis est actus. Si quis verò esse videtur, is aliqua circunstantia inquinatur, malusque est. Ideo putarim, Patres ironicè locutos pietatem, ac charitatem fictam diuitis irridentes. D. Thomas quæstion. 98. addit artic. 1. *In damnatis bona poterit esse voluntas naturalis, sed voluntas deliberatiua est in eis solum mala. Et hoc ideo, quia sunt perfectè auersi à fine vltimo recto voluntatis; neque aliqua voluntas potest esse bona, nisi in ordine ad finem prædictum. Vnde etiam si aliquod bonum volunt, non tamen bene volunt illud, vt ex hoc voluntas eorum bona dici possit.*

Gregor. — *Authoris sententia.* — *D. Thom.*

3. *Num cupiant damnati, alios homines non damnari.* — *Thom.*

Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.] An cupiant damnati alios homines beatitodine potiri? D. Thomas citat. artic. 4. aliique Doctores censent damnatos cupere reliquos homines damnari, inuidia etenim, Deique odium illis dominari, quis abneget? *Damnati vellent, omnes homines bonos esse damnatos.* An sententiam hanc diuitis petitio labefactat? Minimè; *Optabat enim ille* (ait D. Thom.) *omnes homines æternis illis flāmis addici, etiam fratres suos. Attamen, quia aliquos æternam fælicitatem adepturos nouerat, ex horum numero fratres esse malebat quam alios.* Barradius, *Fortè simplicius erit dicere, damnatos, etsi omnes damnari velint, parentes tamen, & fratres, æternis suppliciis cruciari nolle; ideoque diues pro fratribus precatus est.* Noo placet, qoia inuidia illa, & Dei odium damnatos succendens oollo iam propinquitatis respectu poterat infrænari. Vndè sequor Lyranum & alios asserentes proprij incommodi memorem petiisse Lazarom immitti ad fratrum salutem procurandam. *Ne scilicet eorum societate, quibus peccandi fuerat occasio, acerbius torqueretur.*

Barrad.

§. II.

Reiicitur Diuitis postulatio.

4. *Quid, habere Moysē, & Prophetas.*

HAbent *Moysem, & Prophetas, audiant illos.*] Nullæ damnatorum preces vnquam exaudiuntur, æternum læso Numine. Noo est opus, (inquit Patriarcha) Lazarum ad fratres tuos immittere; Doctores enim subsunt, à quibus possint edoceri: *Habent Moysem, & Prophetas.* An Moysis, aut Prophetarum tempore hæc accidêre? Minimè; sed nomine Mosis, & Prophetarum eorum scripta intelliguntur. Cur non dixit, *Illos legant*, sed *illos audiant*? Quia imperitorum non est, Sacras litteras intelligere, sed à Doctoribus earum expositionem exaudire. Audiant libros Mosis, & Prophetarum, à legis peritis, ex illis, quæ sunt ad salutem coosequendam, necessaria, cogooscant.

5. *Diues vrget.*

Vrget diues. *Non pater Abraham, &c.*] Non est satis fratribus meis, habere Moysem, & Prophetas: aliquem à mortuis resurgere est opus, qui animæ immortalitatem, perpetuaque tormenta illis annunciet. Vel *Non*, hoc est, Non audient fratres mei legis peritos edocentes. Sed si ab inferis venientem testificatorem audierint, pœnitentiam agent. Habet enim vim magnam oculatus testis ab inferis ad superos mirabiliter reuersus.

6. *Voluptatum amatores difficile credunt spiritualia.*

Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis à mortuis surrexerit, credent.] Existimabunt enim illum spectrum aliquod esse inane. Noo abnego, magnam vim ad animum excitandum, & persuadendom inferre posse hominem notum aliquem ex tartaro, aut Purgatorio redeuntem, de tormentis æternis reddentem testimonium. At facilè oegari posse fidem ei existimo à voluptatum amatoribus excæcatis. Haud iniqui eo indigent testimonio. Chrysostomus hom. 4. de Lazaro. *Testes habemus locupletissimos ipsam scripturam sacram, & Ecclesiam, Ecclesiæque Pastores. Non sunt nobis opus ex Orco testes, aut ex Purgatorio.*

Chrys.

7. *An hæretici fuerint.* — *Chrysost.*

Verbum *Credent* sigoificare potest vel diuinam fidem hoc sensu: *Neque si quis à mortuis resurrexerit, credent.* Hinc colligitur illos hæreticos extitisse. Chrysostomus de Diuite tanquam de hæretico locutus, *Quoniam ipse audiens scripturas, contempserat, deriserat, fabulas esse, quæ dicebantur, crediderat: erga hæc sicut ipse affectus fuerat, ita habebat opinionem de fratribus suis.* Aptius autem de fide habenda homini ab inferis redeunti locum expono. Non credont fratres tui scripturis assereotibus, & Doctoribus illas explanaotibus, seu oon obtemperant monitionibus? profectò nec credent dictis eios etiam si à mortuis resurgat. Chrysostomus, *Considera, quod si sciret Deus mortuos resurgentes prodesse viuentibus non hoc omitteret. Sed si resurgerent mortui crebro, contemnerentur, & diabolus facile homines deciperet per fallacias.*

Authoris sententia. — *Chrysost.*

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM,
EX DIVITIS FRATRIBVS.

OBSERV.

Observat. I.

Ad illa verba:

Rogo ergò te pater, vt mittas illum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres.

Diues Epulo carnali in suos dilectione, etiam post dissolutionem corporis pulsatur?

Praua vitiarum consuetuda quam difficile aboletur?

7\. *Nyssen.*

TAM benignus est in inferno, qui tam immisericors in terris fuit? Quonam modo tanta sollicitudine de incerta fratrum salute angitur? D. Gregorius Nyssenus apud D. Thom. in Cat. Sic: *Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Aliud quoddam docemur, quod Lazari quidem anima non est erga præsentia sollicita, nec retorquet se ad aliquid relictorum. At Diues quasi quodam visco etiam post mortem à vita detinetur carnali. Nam siquis omninò carnalis secundum mentem fiat, nec postquam corpus exuerit remouetur à passionibus eius.*

8\. *Quonam modo homo ex praua consuetudine fiat carnalis secundum animum. Luc 12.*

Premo particulam, *Nam siquis omnino carnalis secundum mentem fiat.* Quonam modo secundum mentem potest quis effici carnalis? Certè cum animus ita ad voluptates deiicitur, vt videretur luteum esse mutatus in corpus. Sic Diues ille, *Anima mea, multa bona habes reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare.* Luc. 12. Cui dicitur meritò, *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Huius diuitis epulonis anima ad corporis voluptates transierat, iam non corpus, sed quodammodo spiritus comedebat, bibebat, epulabatur. Repetitur huiusce miseri anima ad tartarum, vbi adhuc retinet consuetudinem carnalis cognationis, quia omnino carnalis secundum mentem factus est quodammodo.

Ideo retinet in tartaro carnalem consuetudinem.

9\. *In sepulchro inferni animus induitur passionibus corporis? Iob. 16. Gregor.*

Iob ad hæc, *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* cap. 26. Quonam in puluere? In sepulchro planè. Vndè si diues sepultus est in inferno, ibi equidem animus, qui in ossibus exprimitur, sententia Gregorij lib. 9. Mor. cap. 38. vitiis vitæ carnalis exardescit. *Nec postquam corpus exuerit, remouetur à passionibus eius.* Quid exaggeratius.

10\. *Id expressit Apostolus, personam gerens peccatoris. Rom 7.*

Contestatur Apostolus, *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Rom. 7. Quisnam captiuatur à membris suis, nisi mens repugnans Apostoli (gerentis scilicet peccatoris imaginem?) Assolet enim animus ita à membris captiuari, vt carnalis omninò fiat. Quæ nam illa lex, quæ hominem captiuum adducit ad piacula? Augustinus citatus à nostro Iustiniano. *Praua consuetudo*, qua velut ad omnem raptamur prauitatem.

August. Iust.

11\. *Necessaria Dei omnipotentia, vt vel post obitum maneat in anima consuetudo praua? Exod. 3.*

Deus Moysi, *Ingredieris tu, & seniores Israel ad Regem Ægypti, & dices ad eum, Dominus Deus Hebræorum vocauit, nos ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos Rex Aegypti vt eatis nisi per manum validam. Extendam manum meam.* Exo. 3. Proh Deum immortalem? Qui tribus digitis terrarum molem suspensam detines, opus habes manum extendere, vt tuus populus viam trium dierum conficiat? Cur Deus tantas vires apparat? Rupertus, *Ad hoc manum validam exerit Deus, vt Israelitæ eant non per viam terræ Philisthiim, sed per solitudinem.* In cuius expositionem ex Berchorio præmitto exitu è terra Ægypti filiorum Israel, hominum ex hoc seculo egressionem significari. Homines ne post egressionem è seculo id est post mortem adeò appetunt ad terram Philistinorum recurrere, vt necessaria sit Dei manus potentissima ad ipsos abstrahendos, *vt non eant per viam terræ Philisthiim, sed per solitudinem?* Philisthiim Ruperto est vita pristina, seu inueterata hominum consuetudo. Tam difficile abraditur. *Sic carnalis secundum mentem* homo *fiat*, vt quodammodo post mortem ne videatur ferri ad pristinas voluptates Dei omnipotenti manu indigeat.

Rupert. Berch.

12\. *Per pœnitentiam curandum nobis, ab hac rationali irrationalitate expediri. Exod 3. Origen.*

Quid ergo? Totis viribus procurandum, nos, qui carnales secundum mentem facti sumus ab huiusmodi mentali, siue rationali irrationalitate amouere, priusquam à vita recedamus, pœnitentiæ virtute. Redeo ad Exodi testimonium, *Ibimus viam trium dierum in solitudinem.* cap 3. Vbi Origenes ad. cap. 5. Exo in Cat. Lipom. *Tridui iter proficiscimur de Ægypto, si rationalem, naturalē, moralem sapientiā de rebus mūdanis auferentes ad statuta diuina cōuertimur.* Quænam, precor, hæc rationalis, naturalis, moralis sapientia noxia nisi praua consuetudo, qua homo secundum mentem carnalis fit, & quasi agnata contraxit carnalium motum iniquitatem.

13\. *Ad id planè necessaria Trinitatis beatissimæ potētia. August.*

Verum tamen ad tantam cæcitatem ablegandam magna admodum luce indigemus. Augustinus serm. 90. de Temp. tres illos Israelitarum dies tres Trinitatis beatissimæ personas interpretatur. *Ibimus viam trium dierum. Tres enim dies non incongruè possumus dicere Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Quia & Pater dies est, & filius dies est, & Spiritus sanctus dies est: & hi tres vnus dies.* Tanta ne lux necessaria est ad cæcitatem ablegandam, vt possimus pœnitentiæ inire desertum? Certè ne post egressionem adhuc retineamus Ægypti cæcitatem menti impressam totius Trinitatis fulgore speciali indigemus.

Observ. II.

Ad illa verba:

Vt testetur illis, nè & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Diues in deliciis Deum nesciebat, non curabat æterna; vbi tormenta sensit pristinam exuit stultitiam.

Vi-

Vis enim tormentorum, & tribulationum vel damnatos efficit prudentiores.

14. QVam stultus in vita diues nec commuol naturæ humanæ miserus morem gessit in Lazaro, nec curauit æternæ, nulli cogitationi minus addictus, quam ei, quæ ad salutis fælicitatem pertinebat. Sollicitus hic de suorum fratrum salute ostentatur in inferno sepultus? O quando cruciatus stultitiam non minuunt? Certè damnatos, ipsúmque dæmonem minus insipientes reddunt.

15. Moysi, & Aaroni indicentibus Pharaoni Dei imperium de dimittendo populo, respondit stultus, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Exod. 5. Ebullit plaga ranarum, vniuersam Ægyptum, Regiámque ipsam deturpans, & flagellans. Mox *vocauit Pharao Moysem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas a me, & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Exod. 8. Vbi asserit Origenes in Pharaone pertinaci damnati hominis animum assignari. Hic dudum nefanda væsania ausus fuit effutire: *Quis est Dominus? Nescio Dominum*: Et post paruum intestitiium temporis & Dominum agnoscit, & pro se rogari à cœlestibus ministris enixè precatur. Vndenam prudentior efficitur nisi ex vi tormentorum? Fatur Doctor, *Nescire se Dominum dicit: vide, quid agat cruda superbia. Donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Deinque videbis tum paulo post, quantum proficis in flagellis, quanto melior verberatus efficitur. Iste, qui modo dicit, Nescio Dominum, postea cum vim sentit verberum, dicturus est, orate pro me Dominum. Ecce Pharao durissimus* (impœnitentium typus damnatorum) *tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicare pro se Dominum rogat: & profectus in pœnis hoc ipsum agnoscere, quod meruerit pœnam.*

Pharao typum ogens stultus, damnati homini post tormenta edidit, qui nomen Dom. Exod. 5.

Origen.

16. Ipsum damnatorum Principem diabolum testor. Apud desertum Christum Dei Filium ignorans, ait: *Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. Postea verò, *cū venisset Christus trans fretum in Regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeūtes sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi IESV Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos.* Matth. 8. Damnatorū Princeps dignoscit iam eum, quem ante non agnouerat. Et vndénam superbissimus, impœnitentium Magister tam humilis Christi visibili specie assertor? Certè quia cum hominibus flagellatus est: *Venisti torquere nos.* Origenes, *Et vide in Euangeliis, quomodo verberatus emendet hanc vocem: Si Filius Dei es, &c. Scriptum est enim, quia clamauerunt dæmones ad Dominum, & dixerunt: Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus te quis sis. Tu es Christus Filius Dei viui. Vbi tormenta senserint, sciunt Dominum; ante flagella dicunt* cum Pharaone, *Nescio Dominum.*

Vel damnatorum Princeps assiduo tormentis Deū latens agnoscit. Matth. 4. Matth. 8.

Origen.

17. Ex mente Glossæ Græcæ in Exod. Pharao typum gerebat diaboli, qui Israëlitas subditione sua illigatos, velut in tartari carcere detinebat. At illi tormentis illius mysticæ gehennæ affecti egressioné è captiuitate miserrima meditantur. Fatur diabolus ex ore Pharaonis, *Ecce populus Israël multus, & fortior nobis est, venite sapienter opprimamus eum.* Exod. 1. Imo insipienter populus opprimitur. Nam oppressio efficiet, vt in inferno illo adsit planè redemptio. *Sapienter* equidem deliciis appositis inescatentur, ne fugā arriperent; laborum aurē flagellatione vel in mystico tartaro inclusi fugam inire meditantur. *Cæterum* (ait Glossæ auctor) *Deus Israëlē affligi permisit, vt Ægyptiorum Deos tartareos odio haberēt, atque ex Ægypto* (velut è gehēna mystica) *egrederentur alacrius. Quod æquo animo non fecissent, si in Ægypto victum, tranquillamque vitam habuissent.* O filij Israël à diabolo Pharaone addicti laterum formationi, desolationi, quonammodo flammarum tortura ipsi lateribus simillimi effecti non leuatis mentis oculos & ex tartaro Ægyptiaco fugere properatis?

Grecæ diabolum, Hebræos in gehēna Ægyptiaca angit, qua affecti tormentis fugā meditantur. Exod. 1. Glossa Græc.

18. An non mysticus etiā tartarus villa vbi prodigus adolescens pascendis porcis operā impendit? *Et adhæsit vni ciuium Regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Luc. 15. Porci saginantur, prodigus famе perit. Ex mēte Ambrosij in porcis innuuntur peccatores qui è domo diaboli nunquā egrediuntur, sed miserè in tartarum præcipitantur: in prodigo autem significantur qui tandem ex hac gehenna redēptionem assequuntur. Igitur qui deliciis saginantur, æternùm cremandi detinentur: qui fame perit, paternæ domus memor fugam meditatur: *Surgam & ibo ad patrem meum.* Prodigi vidisti felicitatem reuertentis, à patre excepti, induti, epulantis: porcorum contemplare ruinam. *Et deprecabantur eum spiritus dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim IESVS, & exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mari ad duo millia, & suffocati sunt.* Marc. 5. Vbi Ambros. pulchrè, *Panis prodigus porcos illos vtique, in quos petit diabolus intrare, quos præcipitit in mare.* Etenim diabolus dū pascit, dū saginat, detinet, & præcipitat peccatores: ille autem nō præcipitatur, qui Deo prouidente, fame premitur; oculos enim alleuat, vt tartari voluntarij agnoscat tyrannidem, vnde à necessaria gehennæ conflagratione, (quia nulla redemptio) liberatur.

E tartarea villa diabolus, porci saginati non egrediuntur, sed pereunt solus prodigus fame pressus liberatur. Luc. 15. Marc. 5. Ambros.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Diues vel in gehennæ tormentis non videtur affectum erga carnales propinquos exuisse.

Is erga cognatos amor, innatus, vt plus de eorum incommodis, quam de malis propriis doleamus.

19. QVi sitis sox solario Lazari extremitatem digiti fratribus rorum Lazarum concupiscit: qui sibi aquæ guttam, fratribus diuinæ doctrinæ plena fluenta propinanda exorat: quasi de ipsis magis, quam de se ipso satagat. *Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quasi se amplius pungendum innueret, si fra-

An damnatus in ipsis poenitor, qui innatum erga amorē viotat?

trum suorum incendia conspiceret, quam de sua calamitate. D. Gregor. lib. 9. Mor. c. 49 *Diues ille, quem contigit ad æterna incendij tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse, qui Abraham petiit, vt ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat proculdubio, quia eos ad augmentum supplicij paulopost potuit etiam præsentes videre.* Me miserum videre (ac si diceret) mihi sit satis quin & meos infelices fratres aspiciam: sufficiat mea mihi calamitas, quinquies vlterius damner, quinque fratrum damnatione conspecta. Tam ionatus est cognatorum amor.

Greg.

20. Vt Regem Ægypti Deus infrænaret, ne Saram Abrahæ vxorem sibi etiam adstringeret, flagellis acribus vulnerauit. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham,* Gen. 12. Cur non solum Rex, sed & filij, vxores, & propinqui supplicium experiuntur, solo Rege delinquente? Crediderim, vt Pharao acrius puniretur in propinquis ob agnatam erga ipsos dilectionem. Fatus D. Chrysost. *Qua de causa cum Rex peccet, omnes de domo eius sunt pœnæ participes? Non absque re hoc fit, sed vt grauius puniatur: & grauiori pœna eius insania compescatur.* Preme, *sed vt grauius puniatur.* An non grauius punietur, si in proprium caput vulnera essent multiplicata. Grauius punitur, dum propinquos videt vulnerari, ob agnatam in propinquos dilectionem.

Pharao acrius punitur in propinquis. Genes. 12. Chrysost.

21. Redeo ad diuitis precationem. *Immitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* At respondente Abrahamo, *Recordare, quia recepisti bona in vita tua,* non reclamauit diues; sed omninò cecidit ab spe. At dum fratribus prouidere curat. *Rogo vt mittas eum in domum patris mei,* &c. respondente Patriarcha, *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos,* redarguit diues, *Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent* Luc. 16. Cur in propria causa non ausus est mussitare vlterius, in causa autem propinquorum redarguere validè curat? Certè vt exaggeretur agnata in propinquos vis dilectionis. Chrysost. serm. 4. de Laza. *Qui Lazarum præsentem despiciebat, propinquorum absentium nunc curam habet: qui ante oculos iacentem præteribat, meminit propinquorum, quos non videbat. Maiorique studio postulat, vt aliquo modo illis prospiciatur a diuersis imminentia mala.* Quonammodo *maiori studio?* Quia sibi prospici semel precatur; propinquis autem subueniri sæpè postulat.

An plus succinit diuitem timor de damnatione propinquorum, quàm propriorum tormentorum experientia qui sæpe rediit fratribus subuenire, sibi autem semel precatur. Luc. 16. Chrysost.

22. Hinc Chrysol. taxat diuitem, quod immersus tormentorum pelago, non soli propriæ miseriæ deflendæ omnem curã impendat. *Et putas,* (inquit serm. 123.) *quod quinque fratribus tuis sufficit Lazarus, qui tibi tanto tempore tot vulneribus suis, toto clamans tempore nil profecit? Merito ei respondit Abraham. Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos. Sine Lazarum tantos requiescere post labores: & tu defle tuas, quas tuo merito sustines pœnas.* Cur asserit Pater non profuturam Lazari in domum paternam immissionẽ? Vt videns damnatus velox impossibile esse illud à se excogitatum medicamen, nõ vlterius redarguat Patriarcham, sed totum luctum ad suas pœnas deflendas conuertat. Tam potens agnata erga propinquos dilectio, vt necessarium sit quodammodo vel damnato medicaminis inutilitatem edicere, ne sollicitudine illa teneatur. Pius Chrysologi affectus curat miserũ ab accidentali pœna alleuare. *Llora tus penas solas, para que te affliges de los males de los parientes, que no puedes remediar?* Vestra venia vulgaribus verbis expressi cogitationem. Non te pudet à damnato vinci circa hanc erga propinquos dilectionem? Quonammodo ex te ipso potuisti agnatum in propinquos affectum amputare?

Taxatur diues, quod suas solum non defleat pœnas, obiecta ei impossibilitate quodammodo medicinæ. Chrysol.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: Non pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit, &c.

Nil preces diuitis proficiunt, qui licet in statu esset, quo vtiliter proferrentur: deberet instare, & replicare orationem, vt mereretur exaudiri.

Instantia enim precum à Domino exigit beneficia.

23. PRecatur diues Lazarum immitti ad domũ paternam, iterum replicat: *Non pater,* &c. & respondente Patriarcha, *Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent,* non vlterius diues precibus replicandis studuit. Contemplor in diuite cum Chrysol. nõ iam damnatum hominem, cui preces non proficiant; sed precantem viatorem: & quæro, cur semel & iterũ precanti, munus à benignissimo, ac munificentissimo Domino non præstetur. Certè quia vlterius precibus deberet instare, & sæpe sæpius dicere: *Non pater Abraham, Non pater Abraham,* &c.

24. Imitatorem diuitis expono Saulem, qui cum audiret à Samuele reprobationis sententiam, deprecatur: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonẽ Domini. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Porrò Samuele renuente, rursum Rex, *Peccaui, sed nunc honora me corã senioribus populi mei, & corã Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* 1. Reg. 15. Regno priuatur, precibus irritis. Quare? Quia in morẽ diuitis epulonis semel & iterum solùmodo precatur, cum instare orationi adhuc debuisset, quemadmodum Dauid, cũ à filio petebat liberari. Ambr. ad c. 9 Epist. ad Rom. *Dauid, & Saul vterque eorum necessitatem passus est Regni. Et quanta fuit Dauid necessitas, vt filius eius vellet eũ Regno priuare? In qua necessitate flens nudo pede iter faciebat, vt per patientiã Deum sibi propitium faceret, Saul autem nec in tali necessitate inuentus: insuper ferens, quia semel & iterum non sit auditus, cum esset indignus; nec in prece perstitit, vt meritum sibi faceret, per quod esset dignus.* O si precibus replicandis Saul studuisset! An meritum sibi faceret, per quod esset dignus? O instantiæ orationis vis!

Saul bis deprecatur, & nõ est exauditus, quia precibus addere instare non curauit, diuitis æmulator. 1. Reg. 15. Ambros.

25. Quid petebat Epulo? Lazarum immitti ad prædicandum coram fratribus. Cur consequutus non est, dum viatoris (ex mente Chrysol. agit personam)?

Semel & iterũ se ore diues, personam ge-

tam viatoris. O si ter precatum esset, forsitan optatis ob perseuerantiam fruitus, conquiesceret.

personam? Quia bis postulans tacuit, nec tertiæ precationi operam dedit. *Quis vestrũ* (ait Dominus) *habebit amicũ, & ibit ad illũ ad media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via, & non habeo, quod ponam ante illum: & ille deintus respondens dicat, Noli mihi molestum esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, dabit illi quotquot habet necessarios.* Luc. 11. En Epulonis historiam. D. Augustinus de qq. Euang. *Significatur, iam esse in quiete cum Domino prædicatores verbi: & tamen orando efficitur, vt accipiat egens intellectum à Domino, etiam si homo desit, per quem sapientia prædicetur.* Aptius adhuc Anselmus. *Propter importunitatem eius surget, & dabit illi quotquot panis habet necessarios, doctrina scilicet, doctorem immittendo.* Postolat diues Lazarum mitti ad fratres, doctorem, bis clamat; sed improbo vtilis non adfuit improbitas, siue perseuerantia precum. *Propter improbitatem tamen eius surget,* & Lazarum doctorem immittet.

Luc. 11.

August.

Anselm.

26.

Qui semel & iterum preces fundens non exauditur, addens tertiam orationẽ forte redemptione donatur.

Bis, inquit Epulo, Abrahamum rogaui, & mutatus est mihi in crudelem. O miser agens viatoris simulachrum, addidisses tertiam precationem, fortsitan & conflagrationi tuæ, & fratrum periculo succurreretur. Tibi aquæ guttulam dari postulas: *Mitte Lazarum, qui intingat extremum digiti sui in aquam,* &c. Abnegante Patriarcha non replicas orationem, sed ad preces pro fratribus liberandis te conuertis, pro quibus semel petis & iterum, non tertiò precaris. Proh Abrahami crudelitatem! Imo, proh precantis desidiam, qui orationi instare non procurauit! Iobum audite. *Clamo ad te, & non exaudis me; sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem. Scio, quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam; & si corruerint, ipse saluabis.* cap. 29. Qui semel & iterum preces fundens, exauditus non est, vndénam colligit fore, vt à rigido Numine exaudiatur tandem? Certè quia particula illa: *sto,* innuit in oratione instantiam. Ac si diceret, bis precatus non sum auditus, sed instans orationi tandem exaudiat. Mutatus est mihi semel ac iterum solum oranti in crudelem? Instabo, sæpe preces profundam, vt tandem mihi refectam in benignum. Abbas Philippus in Cat. Græca. *Clamo, & sto. In clamore intentio est orantis, in stando verò perseuerantia, & indeclinabilis fiducia.*

Iob. 19.

Philipp.

27.

Qui prima, & secunda, & tertia orationis hora perseuerat eundem sermonem dicens, optata consequitur.

Allegorica quidem, sed pulchra Auctoris Imperf. excogitatio hom. 34. in Matth. *Egressus paterfamilias circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.* Matth 20. Circa horam tertiam in foro otiari, idem est Auctori, ac orationi perseueranti non addici. *Prima ergo laus est Christiano, alienum esse à foro, nullam causam habere cum illo. Si enim in foro permanseris, & quod habes, perdes: si autem in vinea assiduus fueris* (hora prima, & secunda & tertia) *eundem* vti Dominus, *sermonem dicens, & quod non habes, acquires.* Sunt qui hora prima & secunda instant orationi, & tertia hora otiantur. Persisterent eundem cum orante Domino sermonem proferentes, crediderim cœlesti proculdubio munere donandos. Gillibertus serm. 6. in Cant. *Pertinax oratio pertingit ad finem.*

Matth. 20.

Auctor Imperf.

Gillib.

28.

Chananæa tertiò precata, optatis fruitur.

Secedente Domino, *in partes Tyri & Sidonis, ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Tacet Dominus, precantur Discipuli fœminam clamantem dimitti, ipsa verò secundo proclamat, *Domine adiuua me.* At Dominus verus Abrahamus si non stillam aquæ, panis abnegat micam. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Porrò fœmina à prece non abscessit, sed tertiam addidit orationem *eundem sermonem dicens: Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Tandem oranti tertiò fœminæ Dominus ait: *Fiat tibi sicut vis; & sanata est filia eius ex illa hora.* Matth. 15. Semel, ac rursum orans, non impetrat: addens tertiam orationem optatis fruitur; vt innuatur perseuerantiam in precibus coronari. Ambrosio fante lib. 5. in Luc. *Verè hæc Regem coëgit pertinax in precibus. Prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat:* & tandem post trinam orationem, *negantem inclinat.* Perseuerans oratio optatis fruitur, plerumque non consequimur quod optamus, quia facilè ab orationis persistentia recedimus.

Ambr.

Observat. V.

Ad illa verba :

Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei, &c. Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

Diues stultè pro fratrum incolumitate inutiliter deprecatur, dum ipse gehennæ flammis immergitur, quas deberet prius precibus extinguere.

Contra eos, qui contemnentes cœlestia necessaria sibi, pro inutilibus ad commoda pertinentibus precantur.

29.

Tartareo diues crematur incendio, & cum leuiter pro se preces fudisset, *Mitte Lazarum,* &c. importunè pro fratrum incolumitate frustraneum profert sermonem. *Rogo ergo te pater,* &c. *Non pater Abraham: sed si quis,* &c. Æmulatores dixero diuitis epulonis eos, qui contemnentes quæ ad æternam animi salutem attinent, curant orationis materiam efficere, quæ ad aliorum commoda pertinent. Cur de alienis commodis anxius precaris, qui tot animi premeris incommodis? Futilia petis, contemnis necessaria. Propriam miseriam debes prius multiplicatione precum ablegare.

30.

Dauid proprij animi præstat miseriam, vt exaudiri possit: haud curat inutilia

O quam efficax oratio illius, qui animi miseriam proprij, curat Numini præsentari! Dauid, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea,* &c. Psl. 50. *Qui lotus iam est, non indiget nisi vt pedes lauet.* O Dauid mũdus es iam totus, cota Absalonem filium tuum ablui. *Amplius laua me,* inquit. Quam efficax Dauidis oratio, qui contemptis inutilibus ad corporis

Psal. 50.

commoditatem attinentibus, solummodo curauit æternis prouidere. Mitte non Lazarum, sed Filium tuum, qui intingat totam manum in aquam, & me totum æstuantem refrigerare possit: *Amplius laua me.* Enodius lib. 4. epistol. 15. *Proclinior ad impetrandum via est, quoties aliquid exigit abiectio deprecantis. Coactus enim præstat officium, qui miseriis supplicis inuitatur.* Quomodo non illicò assequeretur Dauid, si proprias Domino miserias deprecator obiecit? *Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Enod.

31. *Anna necessitate deprecatrix in conspectu Domini apparet.* 1. Reg. 1.

Certè licet Rex clamores non profunderet, ad consequendum monus, satis fuisset rem sibi necessariam adeò Deo præsentare planè deprecatricem. Anna amaritudine exundans in conspectu Domini appatet subdubitans, an sterilitas corporis esset animi sterilis documentum inuiso Nomine ob occultum piaculum. *Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* 1. Reg. 1. Quid petiit? Filio donari, quem sacratorer largitori. Cur labia mouentur, nec vox exauditur? Certè quia motus illius labiorum vox ipsa erat necessitas deprecatricis Annæ. Hæc quidem apposita in conspectu Domini exorat. Tertullian. lib. 4. cont. Marc. c. 12. sub alio prætextu scripsit, *Humanam* orans *apponit necessitatem tanquam deprecatricem.*

Tertull.

32. *Prudenter duo cæci solum curabant necessitati præcipuè subueniri, dum precantur.* Matth. 20.

Si ergo, homine tacente, solum præsentata necessitas deprecatrix exponitur: quid cum & vox orantis ad solius necessitatis remedium assequendum dirigitur? Clamoribus profusis cœci Dominicas aures requirebant propitias. At cum requirerentur, quid tot postulationibus iteratis, expeterent, inquiunt: *Domine, vt aperiantur oculi nostri.* Matth 20. Cur non addidistis, Domine, vt inopia subleuetur, vt vestimentorum & annonæ abundantia cum visu donemur, ne adhuc videntes, laboremus egestate. O prudentes deprecatores! Stultus diues semel periit sibi aquæ impendi refrigerium, mox autem aliis inutilia precatur. Cœci autem hi semel, iterum, ac sæpe eidem insistunt oculorum illuminationi necessariæ. D. Ephrem lib. de Panop. spirit. *Considera duos illos cæcos ad Dominum accedentes, atque clamantes: Miserere nostri fili Dauid. Et quid ad illos Dominus, Quid vultis, vt faciam vobis? At illi secundam voluntatem, & affectum cordis sui petierant, vt aperirentur sibi oculi. Numquid petierunt, sibi donari aliquid etiam earum rerum, quibus verò indigebant? Numquid dixerunt, Da nobis vestimentum, quoniam pauperes sumus? Minimè verò, sed illud postularunt potius, quod magis vrgebat. Quapropter, mi frater, quod vrget magis, quæque in omni tempore tibi magis necessaria sunt, à Deo postula.* Quænam precor in omni tempore, seu potius in æternitate tibi magis sunt necessaria? An non spiritualis oculorum mentis illuminatio? Hanc pete, hanc requite. Aptè diues clamauit cum cœcis, *Miserere mei*; sed ineptè pro fratrum incolumitate inutiliter exorauit.

Ephr.

33. *Abrahā generis simulatiorum urb. qui sua uniusam con-*

Olim Abrahæ Sodomitarum clades futura reuelatur. At Diuus profusis precibus procurauit miserorum ciuium succurri periculo. *Quia semel, inquit, cœpi, loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis.* Gen. 18. Vbi Caietanus, *Iuxta Hebræum habetur, Ecce nunc volui ad loquendum ad Adonai. Fatetur Abraham non ex ratione, sed ex voluntate se fuisse motum ad loquendum Deo, peccado, &c. Et rationes voluntatis, hoc est, audacia, & præsumptionis manifestat confitendo: Et ego puluis, & cinis.* Cur adeò taxatur Abrahæ deprecatio? Quia non pro incolumitate propria orat, sed pro Sodomitarum incolumitate. Mysticè interpretor Cardinalem. Voluntaria, non ex ratione oratio appellatur quatenus Patriarcha agit personam peccatoris, qui propriæ conflagrationis periculi oblitus, de damnatione aliorum se sollicitum exhibet: vti diues epulo.

tormentes; pro aliis inutiliter precantur. Genes. 18. Caietan.

34. *Non debet te rogatorē efficere inopia, sed gressus spiritualis necessitas.* Act. 3. Basil. Seleuc.

Taxabilis mihi exponitur claudus ille, de quo Lucas, *Petrus & Ioannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ baiulabatur. Quem ponebant quotidie ad portam Templi, vt peteret eleemosynam.* Act. 3. Ad quæ D. Basilius Seleuc. orat. 12. *Cum naturæ paupertate pecuniarum inopia coniuncta erat, & miseri calamitates ita partitæ: natura enim male pedatum genuit, inopia vero rogatorem fecit.* O peruersionem! An non potius eum debuisset rogatorem efficere iniuria naturæ, quam fortunæ molestia? Cordatus ille ediscere debuerat ex naturæ defectu totum se necessarij magis boni rogatorem exhibere. Vnde Apostoli rogati vt succurrerent egestati fortunæ incommodo, naturæ iniuriæ succurrerunt: *Surge, ambula. Surge velut prodigus adolescens,* (loquor ex mente Berchorij) *& ambula salutis viam.* Quam imprudens, qui contemnens salutis propriæ negotia de futilibus alienis sollicitus deprecatur.

Berchor.

35. *Dauid prudentissimus petit, & requirit vnā animi salutem, non temporaria bona inutilia.* Ps. 26. Ambros.

Dauid audiendus, *Vnam petij a Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Psalm. 26. Diues epulo vnam à Domino seu ab Abrahamo petierat: *Mitte Lazarum, &c.* At non hanc requisiuit instando: Mitte Lazarum; sed aliam adiecit, *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei.* Dauid sapientissimus exorator, vnam petit, & hanc requisiuit, nempe æterna salute donari. Ambros. lib. 1. de Iacob. cap. 7. *Abundat huiusmodi vero ad beatitudinem, & ad possessionem boni; & ideò nihil aliud desiderat; nihil enim quasi nouum expetit, nec superfluis delectatur: sed necessariis.* Nihil expetit quasi nouum, quia postulans cœlesti vnda refrigerari, hanc requirit: nec vti diues miser, ex vnda, aut stilla, ad nouas fertur postulationes superfluas quidem. Quàm prudens, qui necessariis expetitionibus, vtrique æternis commodis delectatur!

Observat. VI.

Ad illa verba:

Habent Moysem & Prophetas, audiant illos.

Asserit Abrahamus sufficientissimè prouisum esse diuitiis fratrum saluti, dum Moysem, & Prophetas habeant, id est, sacras Scripturas, à quibus possint viam virtutis edoceri.

Scriptura

Scriptura enim sacra via est ad salutem, perfectionis Christianæ magisterium.

36. PEtit epulo Lazarum immitti ad fratres edocendos, & alliciendos ad pœnitudinem. At illi ad Moysem,& Prophetas remittuntur, quorum doctrina possint viam salutis instituere. Reclamante autem epulone, *Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*: Patriarcha respondit, *Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Profectò Diues, qui sacra verba non audierat, aut contempserat, existimabat fratribus minimè profutura. Anselmus, *Qui verba Dei despexerat, hac audire non posse suos sequaces æstimabat.* Non dixit, *Hu affici non posse æstimabat suos*, sed *audire non posse.* Nam si audiissent auribus audiendi,& non contemnentibus auribus: quonammodo possent non illicò ad pœnitentiæ gemitus se recipere?

Anselm.

37. Quam stultè diues postulat à Lazari fœlicis digito stillam refrigeratricem diffluere! Quam sapienter petiisset à lingua in linguam, seu in totum hominem stillari! *Mitte Lazarum* vt lingua stillet sapientiæ cœlestis guttulam. Fallat nisi flammæ conscientiæ impiæ diuitis (qui ex D. Chrysologi mente viatoris peccatoris gerebat imaginem) Mosaico illo rigatu extinguerentur: *Fluat sicut ros eloquium meum.* Profectò quilibet Lazarus pauperculus; siue quicumque pauper spiritu sacra verba proferat, guttam salutaris sapientiæ distillabit. Pulchrè D. Paulinus epist. 4. *De omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem spiritus Dei spirat, & necesse est, à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare, quæ ariditatem mei cordis irroret.* Quid stillæ Lazari accommodatius.

Satius potuisset diues agens viatoris personà, à lingua stillationem verbi sacri, quam à digito linguæ refrigerium.

Paulin.

38. Tantane legendi scripturas aut audiendi, animi vtilitas? Profectò legens, aut audiens Christi Domini gesta aut à Prophetis prænunciata, aut ab Euangelistis expressa, Christus quodammodo efficitur. Exaggeratio hæc Clementem Alex. lib. 7. Strom. c. 9. habet auctorem. *Qui per Deum datam sequitur Prophetiam*, (id est, sacram Scripturam) *efficitur ad Magistri imaginem, Deus qui in carne versatur.* Deus quidem efficitur, dum ex Scripturæ sacræ documentis eius exsurgit æmulator.

Audiens, aut legens Moysem, & Prophetas, Christi æmulator exsurgit.

Clemens Alex.

39. A Lazari digito diues stillam irrigaturam linguam expetebat; lingua autem sacrum verbum proferens mentem ipsam,& rationem irrigat, vt valeat ad sublimiorem quasi naturam eleuari. Clemens lib. 1. Strom. c. 2. fatur, *Docens aliquis, plus discit, & docens sæpe vna audit cum iis, qui ipsum audiunt. Vnus est enim Magister & eius qui discit, & eius qui audit: qui & mentem irrigat, & rationem*, ad augustissimos fructus proferendos. O quotiens Dei verbum rationem irrationalitate vitiorum pressam, eleuat ad sublimia.

Sacrū verbum irrigat mentem, vt germinans exsurgat in naturā eleuatiorem.

Clemens.

40. Mentem quidem irrigat sacrum verbum, profluit enim non in morem stillæ ex digito, sed puteus est aquarum viuentium. Clemens Alex. citatus Scripturam sacram puteum profundissimum appellauit. *Putei, qui exhauriuntur, emittunt aquam magis limpidam, & perspicuam: corrumpuntur autem hi, quorum nullus participet.* Accede igitur non ad Abrahamum ex gehenna inutiliter: sed ad Moysem & Prophetas ex Ecclesia, vt aquarum fluentis possint tuam æstuantis siccitatem irrigare.

Copiosissima sacri verbi irrigatio.

Clemens.

41. Habent Moysem,& Prophetas? O quam stabilis fratrum salus! *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Cantic. 4. Haud excidet in tartarum, qui Scripturæ sacræ nititur munimento. D. Gregor hom. 15. in Ezech. *In collo guttur, in gutture vox est. Quid ergo per collum sanctæ Ecclesiæ nisi sacra eius eloquia designantur? In qua dum mille clypei pendere memorantur, per hunc perfectum numerum numerus vniuersus ostenditur; quia vniuersa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt Dei præcepta, ibi exempla iustorum. Quot illic præcepta sunt, tot peccatoris nostri munimenta.* Habent diuitis fratres Moysem præcepta scribentem? Tot ergo munimentis peccatores fulciuntur, ne in *locum* excidant *tormentorum.*

Stabilis fratrum diuitis salus, si habent Moysē, & Prophetas quia ex verbo sacro stabilimentum animi.

Cant. 4.

Gregor.

42. Prophetarum volumina euoluebat Eunuchus ille potentissimus, de quo Lucas scribit legentem Isaiæ prophetiam nactum fuisse Philippum sententiæ difficilis expositorem: & edoctū inclamasse: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Non stillam sed totum pelagus aquæ salutaris inuenit. Act. 8. Chrysostomus hom. 19. in Acta. *Dignum profectò mirari Eunuchum illum: non viderat* IESVM-CHRISTVM, *non viderat signum. Vltra videbat, quæ statua Ierosolymis: & credidit Philippo. Vnde igitur talis factus? Sollicita erat anima illius, attendit scripturis, vacauit lectionibus: cum & latro viderit signa, & Magi viderint stellam; hic autem nihil tale viderat, ac credidit. Tanta res est, ac tam vtilis scripturarum lectio.* Postulat diues miraculo excitatum Lazarum ad fratres immitti. Non est necessaria miraculorum vis, ad animum alliciendum, vbi adest Moyses, vbi adsunt Prophetarum volumina. Credidit Magus viso stellæ miraculo? Credidit latro signa aspiciens? Credit Eunuchus sine miraculorum excitatione Prophetarum testimonio: *Tanquam ouis, &c. Tanta res est, ac tam vtilis scripturarum lectio.* Non igitur necessum est ad fratrum diuitis reductionem Lazarum immitti; quia si Moysi clamanti, & Prophetis vociferantibus non credunt; *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

Non est necessaria miraculi excitatio ad fratrum diuitis salutem, si habent Prophetas; quia legens Isaiā Eunuchus conuertitur.

Act. 8.

Chrysost.

LIBER QVARTVS.

VILLICVS.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumſextum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Ieſum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vitæ, ſeu IESV locuti in Parabolis, FRVCTVS QVARTVS.

DE iniquo diſpenſatore aliam Chriſtus Parabolam Diſcipulis propoſuit, qui ſuam in rem Dominica bona cautus profuderat. Attamen miniſtri prudentiam collaudat ex bonis alienis in egentes benefici: vnde illum viciſſitudo quædam officij maneat: Inſinuans quidem, amicos bonis temporalibus parandos, per quos nobis poſtea bene ſit: ac eleemoſynis inſiſtendum, Phariſæis auariſſimis hæc irridentibus. Filij ergo miſericordiæ in æterna tabernacula recipiuntur, quia amicos ex mammona iniquitatis ſibi acquiſiere. Quid ſi non miſericordiæ filij, ſed miſeriæ circa eleemoſynæ elargitionem? Certè ſi ad Mariam accurramus deuotis, aſſiduiſque obſequiis effectam amicam vel miſeriæ filiis æterna tabernacula impetrabit à Filio. Annonymus apud Richardum lib. 4. de laud. virg. *Ad quem refugient ſine amicis filij miſeriæ, ſi eos repellat Mater miſericordiæ? Certe Mater Maria omnia nobis vult ſicut mater filiis. Vbi enim non eſt miſeria, miſericordia Mariæ non habet locum.*

Richard. Laurent.

LVCAS CAP. XVI.

VERS. I. HOMO quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius.

PARAPHRASIS.

1. HOMO *quidam erat diues, qui OEconomo ſuo rerum ſuarum crediderat diſpenſationem. Is delatus eſt apud Dominum, quod profuſior quam par eſſet, ipſius bona diſſiparet. Nullus eſt Dominus earum, quas habet dotium, ſed diſpenſator.*

2. Et

2. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

2. Dominus ergò accito œconomo, dixit illi: Quare isthuc rumoris audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ, posthac enim nolim te rerum mearum œconomum. Dissipat facultates Domini, quisquis suis affectibus quod habet, impendit, nec inde proximum sublenare curat.

3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

3. OEconomus igitur mox à dispensatione sua dimouendus, sic cum animo consultat: Quid facturus sum, quandoquidem Dominus aufert à me dispensandi facultatem? Nihil mihi collegi, dum licuit, superest vt aut ad stipem diurnam fodiam in agro, aut publicitus mendicem. Ad fodiendum vires desunt, pudet mendicare.

4. Scio, quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

4. Sed commodum venit in mentem, vnde mihi subitò prospiciam. Parabo mihi amicos ex Domini mei facultatibus. Hi submotum ex officio dispensandi, memores mea erga se benignitatu, me suas recipient in domos.

5. Conuocatis itaque singulis debitoribus, Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo?

5. Conuocatis ergo singulis domini sui debitoribus, dicebat primo. Quantum debes Domino meo?

6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixítque illi, Accipe cautionem tuam, & sede, citò scribe quinquaginta.

6. At ille respondit, Centum batos olei. Tum œconomus, Accipe cautionem tuam, ac cito sedens, pro centum scribe quinquaginta. Dominus prædiues est, volo vt opera mea dimidium lucri facias.

7. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici: Ait illi, Accipe literas tuas, & scribe octoginta.

7. Eo peracto, dixit alteri: Tu verò quantum debes? Qui respondit, centum coros tritici. Tum œconomus, Accipe codicillos tuos, & scribe octoginta. Viginti coros non sentiet dominus abductos, tibi verò pauperi vtiles admodum. Ad eundem modum cum reliquis egit debitoribus.

8. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

8. Ea fraus si comperta esset illi diuiti, non impunè fuisset œconomo. Sed tamen IESVS Dominus ad exemplum beneficentia apud discipulos suos œconomi illius fraudulentum, sed tamen prudens consilium laudauit. Taxans quidem nostram socordiam, quod homines huic mundo seruientes in prospiciendo sibi de corporeis, attentiores sint, quàm hi, qui abdicato mundo, æterna sectantur, in prospiciendo sibi in vitam cælestem.

9. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

9. Ait itaque Dominus, Et vobis in tempore consulite ad illius prudentis œconomi exemplum, ex diuitiis vitiorum illectamento, vobis amicos conciliate: vt cum iussu Domini decedere ab isto corporis domicilio cogemini, illi vos in æterna tabernacula excipiant. Fælix est permutatio, cum caduca commutantur æternis.

SECTIO PRIMA.

Villicus taxatur à Domino.

TEXTVS.

VERS. 1. HOmo quidam erat diues, qui habebat villicum; & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se, Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. 4. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Villicus aduocatur, & reprehenditur.

1. *De contextu.* HOMO *quidam erat diues.*] Quonam tempore parabola hæc à Domino prolata fuerit? Aliqui asserunt dictam post alias tres, quas Lucas apposuit. At probabilius arbitror alio tempore obiectam, quia cum tribus superioribus minimè congruere videtur. Superiores parabolæ indicant peccatores à Deo requiri, excipique gaudio profuso; hæc autem eleemosynam edocet impertiendam, quod diuersum argumentum esse quis dubitet?

2. *Quinam villicus?* *Qui habebat villicum.*] Diues ille homo habebat villam, & proinde villicum. Villæ villicus gubernator erat, frumentum, oleum, vinum, cæterósque fructus colligebat, agros, ac oliueta locabat agricolis, Dominique cuncta negotia administrabat. Græcè *οἰκονόμος*, seu *œconomus*, *domus dispensator*, ab *οἶκος*, seu *domus*, & *νέμω*, id est, *distribuo, guberno, dispenso.* Quare Hieronymus epist. 151. ad Algas. *dispensatorem* vertit. *Dispensatorem*, inquit, *οἰκονόμος significat. Villicus autem propriè villæ gubernator est; vnde & à villa villicus nomen accepit. οἰκονόμος autem tam pecuniæ, quam frugum, & omnium, quæ Dominus possidet, dispensator est.* Portò noster Interpres, quoniam olei cados, & tritici coros remisisse dicitur debitoribus, Domini œconomus, quarum rerum cura ad villæ dispensatorem, & gubernatorem pertinet, villicum aptè vertit. — *Hieron.*

3. *De diffamatione.* *Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.*] Græcè, *Delatus est.* Verbum autem Græcum *διαβάλλω* significat *accusare*, *infamare*, & *calumniari.* Ab hoc verbo ducitur nomen *διάβολος*, seu *diabolus*, id est, *calumniator*, vel *accusator. Proiectus est accusator fratrum nostrorum.* Apoc. 12. Accusatus itaque apud herum villicus, & infamatus *quasi dissipasset bona ipsius.* Græcè *facultates eius. Quasi*, id est, quod dissipasset. — *Apoc. 12.*

4. *Aduocatur villicus.* *Quid hoc audio de te.*] Accusatum, & infamatum villicum Dominus aduocat, crimen exponit: Accusatus es, & infamatus, quod opes meas disperdas.

5. *Exturbatur à munere.* *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.*] Græcè *οἰκονομίας σου*, id est, *dispensationis tuæ*, siue œconomiæ, & administrationis villæ meæ. Quia verò crimina erant testibus satis comprobata; hominem pœna affecit? *Iam non poteris villicare.* Græcè *οἰκονομεῖν*, id est, *dispensare*, vel *domum meam*, ac *villam gubernare.* Verbis hisce sententia diffinitiua villicum villæ administratione priuauit. Sic malè gesti muneris pœnas soluit.

§. II.

De consilio villici officio priuati.

6. *De villici dubitatione.* QVid faciam, *quia Dominus meus aufert à me villicationem?*] Villicus officio priuatus consilium capit, fraudulentum quidem, sed sibi planè commodum. Dominus meus me munere depellit, nulla habeo bona, quibus vitam valeam sustentare.

7. *Prudens consilium.* *Fodere non valeo, mendicare erubesco.*] Reliquum est, aut labore victum, aut mendicatò comparare. At laborare nequeo, mendicatò viuere pudet. *Scio, quid faciam.* Vtile occurrit consilium: Domini debitores agnosco, aduocabo, & ad me curabo conciliare debita imminuens. Itaque debitoribus largiar debitorum partem, vt me officio priuatum, suas recipiant in domos, beneficij ac largitionis memores, atque alant egentem.

8. *Quid Patres de villico.* Portò Patres facilem sic parabolam illustrant documentis: Chrysostomus, *Erronea opinio est, possideri a nobis vt Dominus res huius vitæ, & vt bona præcipua: sumus enim velut hospites & aduenæ.* Vnde diues hic villicum non debebat habere vt proprium. *Diffamatus est* villicus, seu domus Dei œconomus, aut Prælatus meritò. Anselmus, *Hæc accusatio fit, quando non exercet quis opera pietatis erga illos, quibus debuit. Dissipatio*, addit, *est*, *vel quando malè congregatur, vel non benè expenditur.* Ait villicus intra se, *Quid faciam*, &c. Chrysostomus, *Cuius sunt bona terrena, anxiatur in exitu.* Tanquam non tua possideas; ne timeas amittere. *Fodere non valeo*, &c. Ad quæ Doctor Gloss. ordin. *Post hanc vitam non est locus fodiendi compunctione terram nostram. Est etiam tunc confusibile mendicare, vt fecerunt fatuæ virgines.* — *Chrysost.* — *Anselm.* — *Chrysost.* — *Strab.*

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX VILLICO A DOMINO TAXATO.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

Taxatur villicus, non quod bona Domini dissiparit, sed quod diffamatus fuerit, quod quasi dissipasset bona Domini.

Reprehensibilis enim obiicitur œconomus, seu Præsul, aut vir illustris, qui vel speciem contra bonam famam non curat abstrahere.

9. *Necessarium est Præsuli famæ bonæ fulgor, ad munus Præsulatus rectè obeundum.*

MERITO supplicio afficitur, & taxatur œconomus, qui famæ non prouidit. Diffamatus ne, quod bona Domini dissiparit? Minimè, sed *quasi dissipasset.* O villici inertiam omninò taxabilem! Non dissipasti bona Domini, & eiusmodi actiones expressisti, quibus posses dissipator haberi? Vir planè publico gubernationis muneri præpositus accuratissimè se gerat propriæ famæ assertorem. Necessaria enim est famæ fulguratio ad publicum munus rectè obeundum.

10. *Christus Præsul Ecclesiæ summus studuit famæ pulchritudini. Vicarij æmulentur.* Psalm. 92. Bernard.

Cecinit Dauid de summo Christicolarum Præsule, *Dominus regnauit, decorem indutus est, induitus est Dominus fortitudinem.* Psalm 92. Fortitudine induitur, dum nil humanæ fragilitatis admisit constans quidem virtutuio & sermone & opere assertor. Decore autem ornatus, dum bonæ famæ protegit splendorem. D. Bernardus Eugenium curat ad Christi æmulationem allicere, cuius Vicarium agebat in Ecclesia. *Tu quoque*, (loquit lib. 3. de Consid.) *esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Christi. Fortitudo tua fiducia bonæ conscientiæ, decor tuus splendor bonæ opinionis. Ita, quæso, induere fortitudinem: induere vestimentis gloriæ tuæ, vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier induere consueuit. Non sit in conscientia nutans infirmitas modicæ fidei, non sit in fama næuus malæ speciei: & vestietus duplicibus, & gaudebit super te, ô œconome, Dominus tuus.*

11. Dixerat Paulus, *Ab omni specie mala abstinete vos.* Monétne subditos, an Prælatos? Proculdubio ad Præsules, quibus gregis custodia traditus, sermonem dirigit. *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat.* Hoc subditis, vobis autem quid? *Ab omni specie mala abstinete vos.* 1. Thessal. 5. An non sufficit à malo quolibet Præsules abstinere? Certè subditis indicitus cura circa crimina vitanda: Ne sint inquieti, ne malum pro malo reddant. Ast vos Præsules, vel ab specie mali iure specialissimo debetis abstinere. Bernardus citatus profatus Pontifici Eugenio, *Sanè interest tuæ perfectionis, & malas res, & malas pariter species deuitare. In altero ô summe Præsul, conscientiæ, in altero famæ consulas.* Et nescio quonam modo conscientiæ consulat Præsul, qui famæ consulere contemnit.

Prælati ab omni specie mala debent abstinere specialius, quam subditi. 1. Thess. 5. Bernard.

12. *Christus Rex astruit se Iudæum, ne dum Samaritanus falsò existimatur, opera ex diabolo videatur exercere.* Matth. 1. Abul.

Promissus erat Dominus Rex Israëlitarum, cuius accuratè Matthæus genealogiam describit: *Liber generationis* IESV-CHRISTI *filij David, filij Abraham.* cap. 1. Cur duplicem Christi patentem expressit Dauidem, & Abrahamum? Nè species vel exigua obiiceretur hæreticis, aut inimicis aliis IESVM ex Hebræo Dei populo ortum non fuisse. Tam necessaria Christo Regi fama nobilitatis? Porrò necessaria omnino fama virtutis. Audi Abulensem quæst. 5. ad cap. 1. Matth. *Liber generationis* IESV-CHRISTI *filij David, filij Abraham. Cum Christus esset Iudæus, constabat enim descendere ab Abraham.* Vnde genealogiam hanc subticeret Euangelista, *nisi dicerent esse è gentilibus Samaritanus, sicut semel dixerunt: scilicet, Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Queis respondit Dominus, *Ego dæmonium non habeo.* Ioan. 8. Quare non simul se Samaritanum non abnegauit? Quia nolebat ab specie infamis genealogiæ abstinere, sed ab specie criminis. Vnde Euangelista asserit accuratè Christum esse Iudæum, ne qui Samaritanum iudicarint, eum è dæmonis operari virtute existiment. Dedeceret etenim summum Ecclesiæ Præsulem vel ab specie criminis non abstinere.

Ioan. 8.

13. *Necessaria ad gubernationem bona Præsulis fama apud subditos.* Matth. 6. Maldon.

Necessariũ prorsus ad gubernationis munus rectè obeundum Præsulis famam, ac nomen indemne conseruari. Ad Conditorem sic preces profundimus: *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat Regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Matth. 6. Postquam tuum nomen fuerit sanctificatum, Regnum tuum ad nos adueniat, Rex ab hominibus cunctis adoreris, subditis quidem obsequentibus: *Fiat voluntas tua.* Quidnam est Dei nomen sanctificari? Maldonatus appositè, *Sanctificetur nomen tuum. Nomen Dei dicitur non*

hoc

hoc solum Deus quo eum appellamus: sed hominum de illo existimatio. Itaque Dei nomeo sanctificari, idem est ac Deum apud homines bonæ existimationis gloria frui. Igitur si famæ toæ gloria apud homines illustris obiicitur, adueniat tuum Regnum, tuæ omnes subditi subiacebunt voluntati. *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.*

OBSERV. II.

Ad illa verba:

Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

Mox vt Dominus villici piacula audiuit, supplicio affecit.

Ac si celeriori, & grauiori sint obnoxij supplicio, qui domestici Dei, non verentur, se delictis inficere.

14. *Delicta sacerdotum, & Religiosorũ grauiora obiciuntur, & puniuntur celerius.* Anselm.

MIror Dominum statim audita fama villici, ab eo munus abstulisse, sioe sopplicio æterno afficiendum exturbasse. Anselmus, *Iam non poteris villicare, scilicet à tempore mortis, quod instat.* Igitur villicum à villicationis munere dimouere, idem est, ac morti repentè addicere. Cor ergo domus suæ œconomum, seu domesticum suum tam acri, præproperóque supplicio affecit? Crediderim, quia domesticus erat. Eorum enim, qui immediatius, ac propinquius Numini hæreścunt piacola grauiora in conspectu Domini appareot, citiúsque pleumque puniuntur.

15. *Aggrauatur Sodomitarũ diffamatio, & Deus nõ punit illico, & villicum mox post auditionẽ criminis ad iudicium vocat, quia domesticum.* Gen. 13. Chrysost. Gen. 18.

De Sodomitis Moyses ait, *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Gen. 13. Vbi Chrysostomus, *Non simpliciter peccatores, sed & coram Deo; hoc est, prodigiosa erat eorum iniquitas.* Audioit Dominus hanc prodigiosam Sodomitatum iniquitatem, nec tamen illicò puniuit. *Clamor*, inquit, *Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam igitur, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Gen. 18. Tam diffamati Sodomitæ non illicò ad iudiciom vocantur, sed post Domini causæ, (vt fari sic liceat,) aspectatiooem: cùm elamot esset multiplicatus; & ad primam villici diffamationem, ad iudicium vocatur, & priuatione muneris, seu vitæ punitur? Ita planè, domestici enim piacula grauiori pondere Dei conspectoi præsentantur; vnde celerius puniuntur.

16. *Non agnoscentes Deũ quasi non peccantes nõ puniuntur illico. Filij Israël, seu domestici & delinquunt, & mox puniuntur.* Iudic. 2.

Mortuo Iosuë, *Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israel. Feceruntque filij Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim; & ad iracundiam concitauerunt Dominum dimittentes eum, & seruientes Baal. Iratúsque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium.* Iudic. 2. Vbi Interpres clausolam illam: *Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum*, non de gentilibus, sed de ipsis Israëlitis à Dei cognitione abstractis exposuere. Addit Textus, *Feceruntque filij Israël malum in conspectu Domini.* Si illi, qui surrexerunt haud noscentes Dominum etiam malum fecerunt in conspectu Dei: cur non meminit eorum peccati, aut supplicij: sed solummodo asseruit Israëlis filios deliquisse & supplicio esse affectos? An qoia peccata eorum qui à domo Domini abstracti eum non agnoscunt tam dilucidè, quasi non sunt, si cum delictis domesticorum Dei comparentur.

17. *Quodammodo soli peccant, qui Deũ agnoscunt, ideo domestici solum asolent inflare supplicium.* Ierem. 32. Hieron.

Audi ex ore Domioi solutionem. *Erant filij Israel, & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis meis.* Ierem. 32. LXX. *Erant soli facientes malum.* Soli filij Israël & Ioda deliquere? Et non alij! An non reputas ô Domine esse piacula Gentilium abominationes? Equidem adeò increscunt in Dei conspectu domesticorum crimina, vt hi soli deliquisse videantur in ingenti peccantium multitudine. Confirmo ex Hieronymo fante: *Soli filij Israel & Iuda facientes malum. Num & aliæ gentes eo tempore, quo Israël, Iudásque peccauerunt, malum non fecerunt? Id sic soluitur. Qui habet notitiam Dei, & recedit ab eo, solus peccat in oculis Dei. Qui verò increduli permanserint; quasi illo non vidente, & negligente delinquunt.* Igitur illi, qui non oouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israël, nec delinquentes memorantur, nec puniti asseruntur: sed filij Israël & Iudæ Dominum cognoscentes, & domestici eius, soli quodammodo deliquere, & supplicio affecti illicò memorantur.

18. *Ideo David domesticus post delictũ agnoscit illicò supplicium instaturum, & fugam meditatur.* Psalm. 138. Chrysol.

Hine Dauid Dei domesticus delinqueos inclamat, *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* Psalm. 138. Fugam eor illicò meditaris? Quia instat iudicium. An non vides vbique terrarum peccatores residere, quorum opera iniquissima Dei oculis resetantur: nec tamen de fuga solliciri ostenduotur? Chrysologus serm. 2. *Videt per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere, non cælum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem Deo velare posse peccata.* Si tot peccatorum crimina aperta oculis Dei exponuntur, nec tamen delinquentes de fuga solliciti obiiciuntur, nec illico afficiuntur supplicio: cur Dauid fugam arripere meditatur? Profectò quia Dei domesticus & grauius peccat, & citius supplicio vulneratur. Addit pulchrè Doctor, *Sentis, quantum sit sceleris, mali quantum, in ipso Dei peccare conspectu, & ideò clamat, Tibi soli peccaui.* Siue solus deliqui, quia in conspectu tuo, seu in domo tua me delictis infeci.

19. *Post Baptismum instat ignis delinquentibus, qui a domestici celerius puniuntur.* Matth. 3. Paschas.

De Christo Ioannes Baptista profatur, *Baptizabit vos Spiritu sancto, & igne.* Matth. 3. Particula, *Baptizabit Spiritu sancto* innuitur sacri Baptismi vnda. Cur autem additur particula, *Et igne.* Crediderim, vt sopplicij velocitas in Christicolas exprimatur. Aqua illa abluit homines, eos Christi domesticos efficiens, & ignem fooet, vt delinquentes baptizati illico puniri valeant. Sic Paschasius lib. 1. in Matth. *Baptizabit vos Spiritu sancto, & igne. Quasi nos in præsenti Spiritu sancto abluat, & deinceps, si qua peccati macula subrepserit, per ignis conflagrationem ad purum excurat.* Haud tibi datur Baptismus sine conflagrationis metu. Efficeris Dei

domesti

domesticus? Instat præproperum supplicium, si peccati macula obrepserit. Quia quasi solus peccat, qui Dei domesticus delinquit. Hinc edificant Sacerdotes, & Religiosi quam grauiter se peccatis inficiant, quam illico supplicio subiacere cogantur.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Iam enim non poteris villicare.

Audita diffamatione villici Dominus, incunctanter dat operam supplicio.

Quia impudenter, seu sine cautela delinquere, Deum cogit ad vindictam.

20. VIx audiuit Dominus œconomi diffamationem, cum profatur: *Quid hoc audio de te? iam non poteris villicare.* Tam citò punis villicum delinquentem, qui tam tardus assoles punire peccatores? Deliquit Adamus exhibens posteris delictorum & ingratitudinis exemplar, & non concitato gressu curris ad vindictam; sed tardior: *Cúmque audisset vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram.* Gen. 3. Abulensis, *id est, contra auram; quia qui contra ventum mouetur, tardius mouetur. Sic Dominus ad puniendum peccatum primorum parentum tardius veniebat.* Cur ergo tam velox accurrit, vt œconomi delinquentis crimina vindicaret? Crediderim, quia *diffamatus fuerat* villicus, hoc est, tam incautus dederat operam iniquitati, vt publicum gessisset crimen, quod deberet tam secretò patrare, vt nullius cognitioni patesceret. At Deus acris & velox vindex exsurgit eorum, qui incautè delinquunt, scandalúmque delinquendi excitant impudentia.

Quam serus Deus ad puniendum. Gen. 3. Abul.

21. Dauid à Deo veniam petens benignissimè excipitur. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me.* Psalm. 50. Non tam facilè prodigus misericordiam impetrat, qui à Patre excipitur post tot fletus, & precationes. Demum *misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius.* Luc. 15. Augustinus lib. 2. de qq. Euang. *Deus erat in Christo mundum reconcilians. Nec enim Pater Filium ad nos missum deseruit: cadere super collum, est humiliari in amplexum brachium Dei, nempe Christum; osculum dare, est ad spem indulgentia peccatorum tandem verbo gratia consolari.* Non desperet prodigus, tandem venia donabitur. Vndénam tam difficilè veniam prodigo filio impertit, qui tam facilè sibi Dauidem reconciliauit: vix enim proclamat, *Peccaui*, cum Propheta respondit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum?* Profectò quia Dauid delinquens curauit, peccatum suum abscondi; vnde potest adijcere: *Tibi soli peccaui.* At prodigus incautè diffamatus est, *Pater peccaui in cælum & coram te.* Ac si diceret, *Peque delante de Dios, y todo el mundo.* Impudentia autem delinquendi obnoxia supplicio difficilè ignoscitur.

Facilè Dauid venia donatur, qui soli Deo deliquit, difficilè autem prodigus, qui coram Deo & hominibus diffamatus est. Psalm. 50. Luc. 15. August.

22. Mittit Deus Moysem, qui Pharaonem vulneret, commoueat, flagellet Ægyptum. Vndénam qui tot sæculis subticuerat, iam decernit hostes disperdere? Audiendus ipse profatus: *Clamor ergo filiorum Israel venit ad me.* Exod. 3. Iam Hebræorum clamores ô Domine exaudieras, nec Moysem immiseras Redemptorem. Vndénam igitur decreuisti Hebræos liberare, Ægyptios afficere supplicio? Certè D. Augustinus quæst. 5. in Exod. asseruit Deum excitatum ad vindictam fuisse non tam ex clamoribus Hebræorum, quam ex vociferatione Ægyptiorum suam impudenter crudelitatem in Israëlitas euulgantium, sicut Sodomæ habitatores. *Clamor filiorum Israël venit ad me, Ægyptiorum autem sicut clamor Sodomorum, quo iniquitas sine timore, & vere undia significatur. Clamor Sodomorum,* (inquit Dominus,) *multiplicatus est.* Gen. 18. Quid est clamare Sodomitas, (ait Lippomanus,) nisi diffamari criminum impudenti auulgatione? Ob euulgatum ergo Pharaonis crimen Deus flagellat Ægyptum; impudens enim criminum perpetratio Dei excitat iram, vt ab illis velocius expetat iniurias.

Dat operam Deus Ægyptiorum supplicio, quia impudenter crudelitatem suam in Hebraeos praedicabant vt Sodomita. Exod. 3. August.

23. Vineæ Dominus, qui peregrè profectus erat, *misit ad agricolas in tempore seruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vinea. Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum.* Plures immittuntur, qui aut vulneribus afficiuntur, aut nece. Vnicus demum filius missus est, *& apprehendentes eum, occiderunt, & eiecerunt extra vineam. Quid,* (addit Marcus,) *ergo faciet Dominus vinea? Veniet, & perdet colonos.* cap. 12. Non perduntur illi dum famulos immissos vulnerant, & occidunt: nec post occisum vnicum Filium precantem, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; sed postquam cadauer extra vineam proiiciunt in vias, occultum crimen manifestantes. Strabus, *Occiderunt, ait Marcus, & eiecerunt extra vineam quasi vile cadauer. In quo notat pertinaciam*, & impudentiam eorum, qui non verentur, conspectui hominum occulta piacula præsentare.

Supplicio afficiuntur agricola non cum in seruos vulnerant, & occidunt seruos, & Filium, sed cum delicta publicant. Marc. 12. Strab.

24. Proclamat Iob personam exerens peccatoris. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* cap. 14. In inferno ipso, vbi nulla redemptio petis à Deo protegi? Ita planè. Nam si me delinquentem abscondit, id est, si dat, vt abscondar ab oculis hominum, dum delinquo, ita eum propitium reddam ad parcendum, vt ab iracundia horribili non percutiat, imo in inferno quodam modo donet redemptione. Sæpe alibi plura huic congruentia theli.

Dum petit Dauid suum peccatum abscondi, petit à tartaro redimi? Iob 14.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Redde rationem villicationis tuæ.

Hortatur Dominus villicum, vt reddat rationem muneris iniuncti, & ad obiectiones respondeat.

Nec enim iudicem æquum se ostendret, si reum inauditum damnaret.

25. Redde, ait, rationem iniuncti muneris, nec enim poteris villicare, si conuinceris latrocinij. Cur iam diffamatum non illicò supplicio addixit, sed reddendæ rationi ei tempus impendit? Certè quia iniquum se gereret iudicem, si inauditum reum condemnaret.

26. *Protoparentes subire Deus reddere rationem, nè inauditi punirentur.* Gen. 3.

Deliquere parentes, & Dominus quæritat. *Quare hoc fecisti?* Gen. 3. Si diuina scientia humani cordis penetrat arcana, cur inauditum reum non damnauit? An poterat excusationem verosimilem exhibere, quam Deus non iam præuidisset? An non cognoscebat Deus excusationes in peccatis magis aggrauare delicta, quam minuere. *Mulier*, inquit ille, *quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Serpens*, ait illa, *decepit me.* An non post redditam rationem amplius supplicio obnoxij ostentantur? Ergò satius inauditi punirentur. Minimè verò Rupertus inquit hic, cap. 26. *Iudiciarie more interrogat reum dissimulantem.* Nec enim æquum ageret iudicem, si inauditum supplicio addixisset.

Rupert.

27. *Deus solum inauditum damnabit impudentissimum peccatorem, qui ausus erit in corde asserere: Non requiret, id est, sine auditione rei damnabit.* Psalm. 9. Rupert.

Quæritat Dauid, *Propter quid irritauit impius Deum?* An idololatriæ studens? An adulteria, & furta perpetrans? *Dixit enim in corde suo: Non requiret.* Psalm. 9. id est, tam iniquum reputat Deum esse iudicem, vt non requirens, *Cur hoc, aut illud egisti?* reum condemnabit. Rupertus ad illud eiusdem Psalmi, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* Quasi dicat Dauid: Cum Deus ob nefarias blasphemias, & atrocissima hominum flagitia, non quærit, *Cur fecisti*, seu, *Redde rationem*, *secundum multitudinem iræ suæ* inauditum damnat, iustissime planè, quia Deus. Profectò Deus assolet reum sæpè interrogare conscientiæ stimulatione. At si quando repentè damnat reum, tribuendum planè atrocissimo flagitio, quod multitudinem iræ Domini irritauerit. Quodnam, quæso, id atrocissimum piaculum Deum iudicem excitans ad ferendam sine rei auditione sententiam. Certè, ex mente Ruperti, dicere peccatorem in corde suo, *Non requiret*, siue reum inauditum addicet supplicio.

28. *Ipse diabolus reddere rationem iubetur, nec inauditus damnatur.*

Vel diabolus ipse à Domino de crimine interrogatur, nec damnatur inauditus. *Et interrogabat eum* IESVS, *Quod tibi nomen est.* Marc. 5. Interrogabat planè, ex mente Chrysologi non solum de nomine, sed de gestis: ideò verbi illius *Interrogabat* vi vtitur, quod innuit plura successiuè fuisse requisita. Cur interrogat, quod minimè ignorat? *Interrogat*, (inquit serm. 17.) *non ignorat; sed implet iudicem, seruat ordinem cognitoris. Nomen interrogat, vt de conditione discutiat.* Non sistit in nominis interrogatione, sed adhuc discutit de conditione interrogans: *Redde rationem.*

Marc. 5. Chrysol.

29. *Deus ipse qui omnino callet Dauidis præcordia, dum agit iudicem, quasi inscius interrogat, ne inauditū reum condemnet.* Psalm. 138. Bellarm.

Dauid proclamat reus, *Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas.* Psalm. 138. Cur qui omnia noscit, adhuc interrogabit? Psalmi initio præmiserat, *Domine, probasti me, & cognouisti me; tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam; intellexisti cogitationes meas de longè.* Vbi Bellarminus, *Cum docuisset Dauid, Deum cognoscere exteriora nostra, humiliationem, & exaltationem: nunc docet Deum cognoscere etiam interiora, cogitationes, & desideria. Intellexisti*, inquit, *cogitationes meas de longè, id est, multò antè quam cogitare inciperem, tu nosti, quid essem cogitaturus.* Quorsum igitur expetit interrogationem, & cognitionem inculcari? Vt respondeam vim verbi illius: *Interroga me*, expendam. Græcè quidem ἐτασίν, id est, *Quæstio quæ fit per tormenta.* Vt innuat Deum iudicis more interrogaturum. Tu, (ac si diceret,) ô Domine, me, meáque omnia nosti, priusquam gererentur: Sed nunc agens iudicem me reum inauditum haud condemnabis.

30. *Non sufficiunt testes, audiatur reus.* 1. Tim. 5. Theodor.

Paulus monuerat, *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus, aut tribus testibus.* 1. Tim. 5. Adsint duo, vel tres testes vel oculati: damnabitur ne Presbyter? Minimè nisi prius ipse audiatus. Theodoretus lib. 1. Hist. cap. 33. *Et doceam simul, non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus sit habenda fides; sed alteram aurem integram seruandam reo.*

31. *Vel barbari non audent etiam post reuelationē rei, eū damnare inauditum.* Apul. Ion. 1.

Apuleius profatur lib. 10. *Vt ritè, & more maiorum iudicio reddito, & vtrinsecus allegationibus examinatis, ciuiliter sententia promeretur: nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus.* Ab idololatris capite documentum. Pelago conturbato, nauique flagellata dirè, mittuntur sortes, vt nautæ causam furentis tempestatis edi-scerent: *Miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.* An illicò reuelato reo, eum mittunt ad pelagus afficiendum supplicio? Minimè verò. *Et dixerunt ad eum, indica nobis cuius causa istud malum sit nobis? quod est opus tuum? & quæ terra tua? quo vadis? vel ex quo populo es tu?* cap. 1. Haud fallibili forte expressa, quid ô nautæ interrogationibus indigetis, proiiciatur in vndas Ionas, & cessabit procella. Absit, vel à barbaris reum inauditum condemnari. Anselmus pulchrè, *Quem sors indicauerat, cogunt propria voce confiteri.* Quasi in Deum iudicem se delinquere iudicantes, si propter imminentis periculi instantiam inauditum reum pœnæ addicerent.

Anselm.

Observ.

Observat. V.

Ad illa verba:

Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.

Secretissimum dissipationis bonorum delictum vulgariter aperitur.

Quia nullum tam occultum facinus, quod non agnatum sit manifestationi.

32. Difficilè œconomi furta antè rationem redditam poterant vulgariter aperiri. Iubet Dominus villico reddere rationem villicationis, & quasi certus de dissipatione bonorum, asserit: *Iam enim non poteris villicare.* Si nondum reddita ratio est, cur quasi certum delictum supponit? Certè quia testibus fidem præstabat. Vndénam accusatores occultissimam bonorum dissipationem antè redditam rationem agnoscebant, vti possent asserere? An potest aliquod occultum piaculum latitare diu? Peccatum gestum est vel in cordis adytis? Proculdubio aperietur, euulgabitur.

33. *Occulta piacula vel delinquens ipse manifestabit, si desit accusator.* Quid magis occultum quam superba illa Nabuchodonosoris cogitatio, de qua Daniel, *Tu Rex, cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc.* cap. 2. Rex ipse non recordatur superbæ cogitationis, & Daniel reuelat iniquitatem. Certè si piaculum est, agnatum est publicationi. Si non adsunt accusatores, ipse delinquens prædicabit. *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream.* cap. 3. Quæ quidem existeret occultæ cogitationis superbæ documentum. Si non creditis Danieli diuinanti, credite reo profitenti. Rupertus lib. 6. de vict. verb. cap. 15. *Ecce qualiter Rex adiuuat implere veritatem Dei, verámque interpretationem somnij sui malus seruus Domini. Ecce causam propter quam in somnia designatus fuerat per aureum caput statua, dicente Interprete, Huius statuæ caput ex auro erat, & tu Rex caput aureum es. Grande caput idololatriæ re vera factus est.* Cogitatio illa nequissima, qua Rex sese idolum adorandum affectabat, ab ipso patratore euulgatur; quia iniquitas est obnoxia publicationi.

Dan. 2. Dan. 3. Rupert.

34. *Nec tempora alia operiunt delicta pristina.* Nullum velamen excogitari potest iniquitatis operimentum. Periander aliquando canebat,

> *Et virtutes & vitia temporis aliis*
> *Operiuntur.*

Periand.

Tempus ne poterit operire delicta? Sodomitæ vltricibus flammis dedere pœnas. Num temporis aliis operta tanta fertur iniquitas? Egesippus lib. 3. Excid. *Spectes illic speciosa poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem. Si carpas, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, fumúmque excitant, quasi ardeant.* Quorsum hæ flammæ, nisi vt peccatores edoceantur piacula perpetrata nunquam posse operiri. Sic Sapiens, *Fumigabunda constat terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, &c. Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt, vt ignorarent bona; sed insipientiæ suæ reliquerunt memoriam, vt in his, quæ peccauerunt, nec latere possent.* cap. 10.

Egesipp. Sap. 10.

35. *Vel tibi ipsi non committas secretum piaculum, quod proculdubio tu ipse proferes.* Latere ne poterit homo delinquens sub propriæ conscientiæ sigillo? Seneca epist. 3. eleganter scripsit. *Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum.* Quam audacter mecum loqui audebo? *Tu verò ita viue, vt nihil tibi committas.* Nihil committam amico, sed mihi quidquid egero cur non committam? Quia si delictum est, siue amico tradas, siue tibi committas custodiendum, illico publicabitur.

Senec.

36. *Iob asserit, nō posse operire delictum.* Ideò Iobus, *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* c. 9. Vbi D. Thom. *Os meum condemnabilem me reddet.* Os tuum? An non poteris proprium piaculum operire? Tam agnata est crimini perpetrato manifestatio, vt etiam si impensè delinquens studeat ream conscientiam obuelare, ipsemet quasi Sodoma delicta prædicabit.

Iob 9. Thom.

37. *Vel occultissima peccata præparātur ad manifestationem, dum operiūtur, vt theatrales ludi, qui Regi, & omnibus ciuibus oblectādo præparantur.* Monebat Anna, *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* 1. Reg. 2. Procurate, (ac si diceret,) ne vel cogitationes vestræ sapiant superbiæ, aut impudicitiæ iniquitatem, quia Domino præparantur. Quidnam, quæso, cogitationes Domino præparari? Respondet P. Gaspar Sanctius, *Præparatæ cogitationes tunc dicuntur, cum diuinis oculis exposita sunt; neque magis occulta, quam quæ Regiis oculis præparata sunt, vt illa contempletur, & illorum aspectu aut pascat, aut oblectet animum, vt ludi theatrales.* Nihil magis publicum, quam theatrale præparatum Regibus spectaculum. Sic tuæ cogitationes occultissimæ, instar ludi theatralis, & Regi, & cunctis ciuibus, vel vulgaribus aspectandæ exponuntur. Profectò crimina, (vt ex Gregorij mente loquar,) solummodo pœnitentiæ alis possunt operiri; quia postquam peccator venia donatur, veraciter iam nulla sunt piacula, quæ possint manifestari. Vnde clamante Dauide, *Peccaui Domino*, Propheta profatur: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Quonam translatum? Antonius Ghisliodus, *Translatum ob pœnitentiam ad obliuionis flumium.*

1. Reg. 2. Gaspar Sanct.

Solummodo alis pœnitentiæ delicta operiuntur. *Gregor.*

SECTIO II.

Villicus laudatur.

TEXTVS.

VERS. 5. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? 6. At ille dixit, Centum cados olei. Dixitque illi, Accipe cautionem tuam, & ſede, cito ſcribe quinquaginta. 7. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Ait illi, Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. 8. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. 9. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De ſyngraphis debitorum mutatis.

1. *Prudens villici conſilium.*

CONVOCATIS *itaque ſingulis debitoribus Domini ſui.*] Poſtquam apud ſe decreuit œconomus Domini debitoribus largiri debitorum partem, vt ſe officio priuatum ſua domo reciperent gratitudinis ergo: re præſtitit ipſa. Domini debitores aduocat, partem debitorum, mutatis ſyngraphis, largitus eſt, ex Dominique opibus ſibi fecit amicos. Exempli cauſa: debebat quidam centum cados olei: cados quinquaginta ille iubet ſcribi. Alius centum tritici coros debebat: is octoginta coros ſcripſit.

2. *An ſyngrapha mutata fuerit, an deleta?*

Num ſyngrapha mutata fuerit, an deleta? Potuit hoc præſtari aut ſyngraphis prioribus reſciſſis, aut ſumma priori deleta. Exiſtimo innui deletionem. *Accipe*, (inquit œconomus,) *cautionem tuam*. Græcè, σοῦ τὸ γράμμα, id eſt, *tuum ſcriptum*, ſiue *literam*. *Sede, cito ſcribe quinquaginta*. Et illi, *Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta*. Videntur ſignificare priorem numerum in eadem ſyngrapha deletum; deinde poſteriorem ſcriptum aliquibus additis verbis, quibus mutatio ritè facta probaretur. Vel fortaſſe Dominus intellexit reſciſſas priores ſyngraphas, & nouas ſcriptas. Vt ſenſus verborum ſit, *Accipe cautionem tuam, ſiue ſyngrapham tuam, & cito ſcribe quinquaginta*, in ſyngrapha videlicet noua, ne fraus deprehendatur. *Accipe literas tuas*, id eſt, ſyngrapham debiti, & noua in alia *octoginta ſcribe*.

Alius ſenſus probabilis.

3. *Quid cadus?* Hieron.

Centum cados olei.] Græcè βάτους ſeu *batos*. Hebræorum menſura eſt, de qua ſic Hieronymus ad cap. 25. Ezech. *Batus qui Hebraicè appellatur* בת *bath, eadem menſura eſt, qua Ephi; & in ſpeciebus tantum liquidis vini, & olei, & iſtiuſmodi.* Porrò Ephi eodem Auctore, menſura eſt aridarum rerum, ſiue frugum, vt tritici, hordei, & leguminum, continens tres modios. Continet ergo Batus in liquidis tria ſata, vel tres modios. Epha in aridis tres item modios habet. Hieronymus citat. *Decima pars cori in his, quæ modio menſurantur, appellatur Epha, id eſt, tres modij: & decima pars cori in ſpeciebus liquidis appellatur Batus: vt eiuſdem menſuræ ſit Epha & Batus.*

Hieron.

4. *Quid corus?*

Centum coros tritici.] Affirmat inibi Doctor, Corum triginta modios continere, & in vtraque menſura, hoc eſt, tam aridarum rerum, quam liquentium tenere principium. *Salomon præbebat Hiram viginti millia Coros tritici in cibū domus eius, & viginti coros puriſſimi olei.* 3. Reg. 5. Ergo corus tam liquidarum, quam aridarum rerum erat menſura. Cados ſeu Batus Hebraicè כד *cad* dicitur hydria ab Interprete. *Rebecca habens hydriam in ſcapula ſua.* Hebraicè, *vecaddah hhal ſchichemach.* Id eſt, *& cadus eius in humero eius.* Gen. 24. In Syriaci Euangelij verſione Batus vertitur in Metretam, quæ מתר *matar* appellatur.

3. Reg. 5.

Gen. 24.

§. II.

De Villici commendatione.

5. *Eraſmi ſententia reiicitur.*

ET laudauit Dominus villicum iniquitatis.] Putauit Eraſmus, dominum hîc appellari Chriſtum, eſſeque hæc verba Euangeliſtæ hoc ſenſu: Et laudauit Chriſtus villicum illum iniquum, quod prudenter ſibi conſulere sciuiſſet. Non approbo, dominus enim hoc loci dominus ipſius villici dicitur, de quo ſupra villicus rogat debitorem: *Quantum debes domino meo?*

6. *Auctoris expoſitio.*

Verba itaque ſunt Chriſti parabolam proponentis, & quid egerit dominus villici cognita fraude, narrantis. Ac ſi dicat, Dominum villici fraus latere non potuit, ea tamen cognita pro ſua munificentia, cordiſque magnitudine, villicum extulit, quod ſagaciter conſilium iniiſſet, ad ſuſtentandam vitam accommodatum.

7. *Quonam modo filij ſæculi huius prudentiores lucis filiis.*

Quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.] Laudauit dominus villici ſagacitatem, prudentiam Oeconomi; addit Chriſtus villicum fuiſſe prudentem, quia filius erat huius ſeculi. Etenim huius *ſeculi filij prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt* ſuperant enim ſagacitate, & ſolertia ad caduca bona comparanda, filij ſeculi filios lucis. Quinam filij ſeculi, & lucis filij? Filij ſeculi dicuntur homines ſecularia bona diligentes. Filij autem lucis appellantur hi, qui fidei, charitatiſque ſunt luce illuſtrati. Illi profectò his præcellunt prudentia ſeculari *in generatione ſua.*

Quænam

8. *De duplici generatione filiorũ lucis, ac sæculi huius.* *Psalm. 23.*

Quænam hæc generatio? Duplex planè, altera sæcularium, & impiorum; altera iustorum, siue filiorum lucis. De hac Dauid, *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.* Psalm. 23. De altera est illud: *Generatio quæ patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit. Generatio, quæ sibi videtur munda, & tamen non est lota à sordibus suis. Generatio, cuius excelsi sunt oculi. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet.* Prou. 30. Sic igitur sententiam expendo. Filij huius sæculi prudentiores sunt prudentia, & sagacitate sæculari, quâ res terrenas quærunt, & caducæ vitæ prouident; quam filij lucis. Filij quidem lucis prudentiores sunt prudentia cœlesti, quâ res quærunt æternas, æternæque vitæ prospiciunt. Filij verò sæculi prudentiores sunt in generatione sua inter similes filios sæculi, quia sagacius & solertius sæcularia tractant negotia, sæcularique vitæ consulunt. Sic Bonauentura, *Non dicit, quod simpliciter sint prudentiores filij sæculi; sed in his, quæ ad carnalem spectant generationem. Sicut feles clarius vident nocte, quam homo, non ad legendum literas, sed ad mures capiendos. Sed est prudentia spiritus, quæ est in filiis lucis, excellentior, quam prudentia carnis quæ est in viris carnalibus.* Adhæret Caietanus, Barradius, & alij.

Prou. 30. *Expono sententiam.* *Bonau.*

§. III.

De amicis faciendis è Mammona.

9. *Quid Mammona.*

FAcite vobis amicos de mammona iniquitatis.] En parabolæ scopum. Curat Dominus hominibus persuadere, vt eleemosynam largiantur, amicósque sibi acquirant ex opibus, à quibus in superis recipi valeant. *Mammona* verbum est Syriacum, vt docet Hieronymus epist. 151. ad Algas. *diuitias* significans. Dicitur *mammona iniquitatis*, id est, mammona iniquum. Sicut *villicus iniquitatis*, id est, iniquus appellatur. Hebraïcè *matmon Thesaurus* dicitur. Augustinus lib. 2. de serm. Dom. In monte, cap. 22. lingua punica lucrum *Mammon* dici affirmat. Elias Hebræus, *Lucrum siue quæstus, & substantia, & diuitiæ Chaldaicè significantur per mammon, aut mammona.*

August. *Elias.*

10. *An ex iniquis comparatis diuitiis Dominus facere eleemosynas præcipiat.*

Suboritur quæstio, Num ex Iniquis comparatis diuitiis Dominus eleemosynas facere præcipiat? Ait planè, Facite vobis amicos ex diuitiis iniquis. Diuitiæ autem iniquæ illæ sunt, quæ iniquè & iniustè comparantur. Congruitque parabolæ: nam villicus ex iis, quæ iniquè largitus est, amicos sibi fecit. Affirmanter itaque nonnulli & imperiti, & iniusti hæc verba intellexere, quos corrigit Augustinus serm. 35. de verb. Dom. *Hoc quidam malè intelligendo, rapiunt res alienas; & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere, quod præceptum est. Dicunt enim, Rapere res alienas, mammona est iniquitatis: erogare inde aliquid maximè egentibus sanctis, est facere amicos de mammona iniquitatis.* Adiicit, *Intellectus hic corrigendus est, imo de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligatis. De iustis laboribus facite eleemosynas, ex eo, quod rectè habetis, date.*

August.

11. *Auctoris sententia.*

Assero igitur Christum docere, ex opibus iustè possessis eleemosynam donandã. Nam aliena bona dominis sunt restituenda. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Eccli. 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Ibid. Zachæus, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Dedit pauperibus bona sua, & restituit aliena. Obiicis Chrysostomum hom. 5. in Matth. *Quod dicit Christus, huiusmodi est: Acquisitisti malè, impende iam benè, collegisti hactenus iniquè, disperge nunc iustè.* Et Augustinum serm. 35. de verb. Dom. *Qui habetis de malo, facite inde bonum. Qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo.* Respondeo, ea, quæ ex fraudibus, ac rapinis parta sunt, si Dominus reperiri potest, illi esse restituenda: si non reperitur, pauperibus eroganda, id quod simul eleemosyna ac restitutio est. De huiusmodi eleemosynæ genere vera est Chrysostomi, ac Augustini sententia.

Eccli. 34. *Luc 19.* *Obiectioni fit satis.* *Chrysost.* *August.*

12. *Cur appellatur mammona iniquitatis.*

Si non est eleemosyna ex iniquis opibus elargienda, cur Christus *mammona* appellauit *iniquitatis*, id est, opes iniquas eas, quæ iustè, & non iniquè possidentur? Certè iniquæ, & iniustæ dicuntur diuitiæ ab effectu, quia iniquos efficiunt & iniustos suos possessores, nisi caueant sibi. Pariunt enim superbiam, auaritiam, & alia vitia, quibus materiam suppeditant. Concupiscentia peccatum appellatur à Paulo: *Quod habitat in me peccatum* Rom. 7. Tum quia peccatorum est causa, tum quia peccati originalis est effectus. Haud aliter diuitiæ iniquæ appellantur, & quia iniquitatis sunt causa, & quia à peccato originali ducunt originem. Ambrosius, *Pulchrè dixit Christus iniquum mammona, quia variis diuitiarum illecebris nostros auaritia tentat affectus, vt velimus seruire delitiis.* Chrysostomus hom. 7. de Pœnit. *Opes sunt luxuriæ occasio, malitiæ schola, animæ corruptela.* Et Gaudentius serm. ad Germin. *Terrenæ facultates iniquitatis plerumque materiam suggerentes.*

Rom. 7. *Ambros.* *Chrysost.* *Gaudent.*

13. *Pauperes efficiendi amici.*

Quinam, quæso, amici faciendi de mammona? Pauperes. Pauperes in terra versantur, multi etiã improbitate laborant: ergo homines non possunt æterna recipere in tabernacula. Hinc Hieronymus adu. Vigilant. *Numquid illi pauperes, inter quorum pannos & illuuiem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura?* Respondeo pauperes recipere eos, qui eleemosynam exhibent, in æterna tabernacula metaphoricè; quia eleemosyna, siue misericordia in pauperes cœlestem meretur gloriam, dummodo cum charitate & gratia sit copulata. Vtitur autem Dominus hoc more dicendi, vt nobis parabolam accommodet. Haymo, *Quomodo recipient pauperes benefactores suos in æternam gloriam? Christus recipit vice illorum; quia quod pauperibus datur in terra, à Christo recipitur in cœlo. Ipse enim dicit, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Gaudentius, *Recipient vos non ipsi pauperes per semetipsos; sed per eum, qui in illis obedientia, ac fidei nostræ fructu reficitur, suscepturus ministros pietatis huius in æterna tabernacula Regni cœlestis.*

Hieron. *Haymo.* *Gaudent.*

14. *Alia expositio reiicitur.* *Ambros.*

Scio Ambrosium amicos per eleemosynas faciendos non pauperes: sed Angelos, & Sanctos asseruisse. *Ait Dominus, Facite vobis amicos de iniquo mammona, vt largiendo pauperibus, Angelorum nobis, cæterorúmque Sanctorum gratiam comparemus.* At Dominum de pauperibus locutum parabola indicat. Quemadmodum enim villicus illos, quibus de diuitiis Domini

tribuit, fecit sibi amicos, vt in tabernacula sua, id est, domos illum reciperent: Sic nos *amicos* facimus ex diuitiis pauperes, quibus eleemosynas largimur. Angelis autem, & Diuis, qui in cœlo assident, non donamus. Non tamen abnego per nostras eleemosynas Angelos & Sanctos nobis specialis amicitiæ vinculo copulari.

§. IV.

De parabolæ accommodatione.

15. *Faciendi amici, qui nos recipiāt deficientes.* VT *cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*] Quemadmodum villicus fecit sibi amicos, vt eum reciperent in domos suas cum deficeret à villicatione, id est, cum administratione diuitiarum Domini sui priuaretur. Sic oportet nos efficere amicos, qui nos in domos excipiant æternas, cum à nostra defecerimus villicatione, dum morimur.

16. *Aliorū minus apta interpretatio.* Aliqui sic sensum eliciunt: *Vt cum defeceritis* à gratia Dei, eleemosyna vos in gratiam restituat. Porrò expositio hæc à verbis sequentibus refutatur: *Recipiant vos in æterna tabernacula.* Homines enim non recipiuntur in superos, cum deficiunt à gratia.

17. *Parabolæ scopus.* Ergo huiusce parabolæ scopus est docere, eleemosynam pauperibus esse donandam. Homo quidam diues villicum habebat. Et Deus ditissimus homines veluti villicos ac dispensatores habet diuitiarum. *Parabolæ similitudines.* Diffamatus erat villicus apud Dominum, quod dissipasset bona ipsius. Diffamati plerique homines apud Deum, quod bona & opes à Deo acceptas dissiparint. Vocauit œconomum diues. Vocat in morte homines Deus. Rationem à villico diues repetit, Deus ab hominibus rationem reposcit. Priuatus est munere villicus. Homines diuitiarum administratione in morte priuantur. Quæsiuit ex Domini sui diuitiis amicos œconomus, vt villicatione priuatum in domus suas exciperent. Quærendi à nobis sunt amici ex diuitiis, quibus à Deo donati fuimus, vt cum earum administratione in morte priuabimur, recipiant nos in æterna tabernacula. En similitudines in parabola: hæ sunt quoque dissimilitudines. *Parabolæ dissimilitudines.* Villicus vocatus est, reddit rationem, in vita à villicatione amotus est. Homines vocantur, reddunt rationem, amouentúrque ab administratione, & possessione diuitiarum in morte. Villicus fraudulenter & iniustè ex bonis Domini sui sibi fecit amicos. Homines iustè & sanctè ex bonis & diuitiis Domini sui, id est, quas à Deo accipiunt, amicos sibi acquirunt. Laudauit diues œconomum quod filius sæculi prudens in gerenda fraude extitisset. Laudat Deus filios lucis, quod prudenter agant, non fraudulenter, dum ex opibus suis eleemosynas largiuntur. Villicus debitores Domini sui vocat, & dimittit eis debitorum partem. Viri misericordes pauperes aduocant, & eleemosynam illis largiuntur. *Parabolarū exponendarum ratio.* Aptè Theophylactus, *Theophyl.* *Non oportet omnes huius parabolæ partes curiosius inquirere; sed quatenus apparet proposito vtiles. Reliqua enim sinenda sunt quasi parabolam contexentes, & nihil ad propositum conducentes.* Gaudentius villicum diabolum interpretatur, qui Dei bona, id est, homines dissipat. Alij aliter allegoricè.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.

EX VILLICO LAVDATO.

OBSERVAT. I.
Ad illa verba:
Conuocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, &c.

Villicus nullum habebat debitorem, nec priuatus munere, vnde posset vitam traducere. Vndenam misero penuria tanta? Certè ex ipsa iniusta bonorum Domini dissipatione.

Etenim res iniustitia possessæ iniustum illico fugiunt possessorem.

18. MIRARIS villicum, cui Domini cuncta bona diuitis commissa fuerant administranda post tam diuturnam rapinam ita euanuisse ex iniusti possessoris manibus, vt vocatis debitoribus Domini sui, nullum suum vocarit debitorem, nec vnde posset vitam transigere post villicationem ablatam inueniret? Ego quidem non miror, si recolo eum ex iniustitia bona illa acquisiisse. Nam quæ rapina, aut iniuria possidentur, illico è possessorum manibus elabuntur. Monebat Nazianzenus Iulianum tributorum exactorem orat. 9. *Naziant.* *Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus, neque cum aliorum lacrymis misceamus: à quibus tanquam à rubigine, ac tinea consumentur.*

19. *Diuitiæ propria deperduntur, accedentibus alienis, violenter exacto vomitu.* Preme particulam: *Neque cum aliorum lacrymis misceamus opes nostras.* Si nostræ sunt opes iustè possidemus. Certè si opibus nostris lacrymæ misceantur, id est, opes alienæ, hæ elabuntur, & nostræ eneruantur simul deperire. Ideo œconomus hic nec ex diuitiis Domini ablatis, nec ex proprio penu licitè acquisito habebat subsidia viuendi. Quam verè Iobus! *Iob.*

Diuitias,

Diuitias, quas deuorauerat, euomet: & de ventre illius extrahet eas Deus. cap.20. Aptè Nicetas ad orat. citat Nazianz. *Vt enim qui noxium aliquem cibum sumpsit, vna cum eo probos etiam euomit: sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam quas prius iure possidebat, plerumque amittit.*

Nicet.

20. Nazianzenus orat.25. scribens de opulentia malè congesta, loquit, *Non aurum, hoc est, occultus tyrannus.* Quare aurum iniustè acquisitum occultum tyrannum appellauit? Respondet doctus ac acutus Societatis Interpres. *Quia sicut tyranni negotium est vi, & potentia diripere malè subditam prouinciam dira exactione, cruenta & auara tyrannide: Sic aurum furto possessum occultus tyrannus est per vim extorquens non tantum quod iniustè habet, sed etiam quod iustè possidet.* Qui aliena abripit fouet occultè tyrannum, qui omnem censum dissipet, & diripiat.

Ideo aurum tyrannus appellatur. Nazianz.

21. Appositè Vates, *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Psalm.103. Quinam leonum hi catuli? Hugo Card. *Sani Principes, qui rapiunt bona Dei, id est, pauperum hominum.* An raptis bonis abundant? Certè rapientes extrema consumuntur inopia; ideò postquam rapuerunt, quærentes sibi escam obiiciuntur: *Vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Cur ex propriis non comedunt redditibus? Quia qui aliena rapit, tyrannum occultat, qui omnem censum dissipet, & diripiat. Pulchrè Bellarminus, *Catuli leonum rugientes præ fame in rapinam incumbunt, & hoc modo, id est, quia aliena rapiunt, quærunt à Deo escam sibi: Se veen obligados à pedir limosna,* quemadmodum villicus iniquitatis, qui post tot rapinas cogitur ad domos pauperum properare, *vt quærat escam sibi.*

Qui rapit, eget. Hugo Card. Bellarm.

22. Ponderat Cardinalis diuinæ prouidentiæ munificentiam ad cunctis creaturis subueniendum. *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.* An despectum adest alicubi animalculum, quod benedictione cœlesti circa victum non donetur? Profectò diues raptor alienorum, qui quidem adeò inops, adeò fame laborans obiicitur, vt à prouidentia diuina deseri quodammodo videatur. *Fures, & latrones,* (inquit,) *& quicumque insidiando, decipiendo, rapiendo vitam ducunt, ordinem diuinæ prouidentiæ quantum in se est, perturbant.* Quonam modo conturbant diuinæ prouidentiæ ordinem? Profectò quia rapientes, tanta inopia ac fame laborant, vt videantur quodammodo à munificentissima Dei prouidentia deseri: quæ quidem nulli despecto animalculo vnquam non succurrit.

Qui rapit aliena, ità propriis priuatur, vt videatur quodammodo destitutus esse à communi Dei prouidentia cunctis animantibus parante cibos. Bellarm.

23. Aiebat Zachæus, *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc.19. An diues ille voluntariè reddebat quadruplum pro re qualibet suffurata? Fortassè necessariò talis fiebat diuitiarum imminutio, vt excederet admodum ablatorum quantitatem. Audi D. Saluianum lib.1. ad Eccles. *Lucro pecuniæ damna sua ementes; vt acquirant, quæ non sunt sua, prodigunt, quæ sunt sua, mandantes terræ thesauros luctuosos, hæredibus breue gaudium, auctoribus longum mœrorem allaturos; condentes profundis specubus infernas opes: fraudantes vsu rerum præsentium tam alios, quam se ipsos.* Cur breue gaudium hæredibus? Quia diuitiæ malè partæ dilabuntur, ac simul proprij census cum illis euanescunt.

Zachæus quadruplū propriorum bonorū reddidit pro ablatis, quia propriis priuatur qui abripit aliena. Luc.19. Saluian.

24. Eliphaz Themanites, *Si reuersus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. Eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.* Iob 22. Vatablus legit, *Aurum tuum erit omnipotens.* Addit Caietanus, *In thesauros tuos,* id est, *contra thesauros tuos.* Aurum dicitur omnipotens aduersus proprios thesauros, quia malè acquisitæ diuitiæ proprias opes imminuunt, & disperdunt. Cassiodorus lib.4. epist.39. *Auaritia tali sorte punita est, vt cum multa rapiat, semper egeat.* Quia scilicet aurum ipsum quod rapina acquiritur omnipotens est ad proprias diuitias disperdendas. Et certè posita est mihi in miraculum raptorum fortuna. Vidi prædiuites censu tanta inopia laborantes, vt cum mendicis possint computari. Quis potuit tam potentem opibus hominem sic nudare? Equidem auri iniustè acquisiti omnipotentia.

Aurum ablatum omnipotens est, ad efficiendum, vt auctor egeat. Iob 22. Vatabl. Caietan. Cassiod.

Observat. II.

Ad illa verba:

Conuocatis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo, &c.

Beneficio & tritici, & olei exhibito, prudens villicus cogit homines gratitudinis ergò se constituere illius in domos receptores.

Et quando beneficia accepta non cogunt homines ad gratiam referendam?

25. Cogit villicus debitorum animos, vt postea eum munere priuatum suas excipient in domos, eis beneficia exhibendo. Remittit olei, remittit tritici debita. Quomodo non eos ad gratitudinem cogeret referendam?

26. Fatur Dauid. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum.* Psalm.21. Quonam modo poterant accipere panem, quo saturarentur, & non illico peragendis gratiis operam exhibere. Dices, Pauperes facilè quolibet beneficio afficiuntur. Quid si beneficium diuites, ac potentes Principes ad gratitudinem cogit? Addit Vates, *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.* Vbi aptè Cardinalis meus Bellarminus, *Quia dixerat, edent pauperes, & laudabunt, ne quis putaret, solos pauperes, & plebeios conuertendos ad laudandum Dominum: adiungit diuitibus, & potentibus, Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, id est, ipsi etiam pingues terræ, qui abundant terrenis bonis, ipsi Principes, Imperatores, Reges manducabunt, ac adorabunt, & laudabunt communem Dominum.*

Et pauperes, & diuites accipiendo panem, redduntur promti ad gratitudinem. Psalm.21. Bellarm.

27. Vel potus aquæ acceptus cogit hominem ad gratias referendas. *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan. 4. Accipit quis potum aquæ frigidæ cum siti æstuat, haurit; fit planè in eo fons saliens in superos, quia Dei laudator exhibentis exsurgit. Ruritius Episc. lib.2. epist.33. *Planè aquam si quis fidelis sorbuerit, protinus in laudem Domini*

Vel aqua vnda accepta nos reddit gratos. Ioan. 4. Rurit.

omnipotentis erumpet: & hoc incipiet eructare, quod biberis. Quasi infidelis est, qui vel calicis munusculo non afficitur ad gratitudinem exhibendam.

28.
Infidelis, ac barbarus, qui accepto pane, non gratus exhibetur.
Exod. 14.

Accipere panem, aut quidpiam simile, & non præparari ad gratitudinis retributionem infidelis prorsus animi est. De Pharaonis clade Moyses profatur, *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis.* Exod. 14. Vndénam Ægyptio Regi tam miserandæ ruinæ, qui sæpè in Hebræos desæuiens non fuerat à Domino lethaliter vulneratus? Gregorius Turo. respondet lib. 1. hist. *Super ripam Nili non Babylonia, de qua supra meminimus: sed Babylonia ciuitas collocatur, in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris, & cæmento ædificauit: ita vt ad fundum capaciora, ad summum verò constricta sint, vt per paruulum foramen ibidem triticum iaceretur. Quæ horrea vsque hodie cernuntur. De hac ciuitate Rex ad persequendos Hebræos, cum exercitibus curruum, ac multa pedestri manu directus est.* Visis horreis è quibus à Iosepho accepit annonam Regnum illud, non excitatur ad gratitudinem, vt pateat Hebræis, barbarus est, dignus, qui in profundum properet quasi lapis.

Greg. Tur.

29.
Iudas traditur diabolo, quia accepto pane, ingratus extitit.
Ioan. 13.
August.

Iudæ Dominus panem exhibuit. *Cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariothæ, & post buccellam introiuit in eum Satanas.* Ioan. 13. Cur Satanæ traditur? Quia accepto panis beneficio non illico se gratum præstitit recedens à proditionis proposito. D. Augustinus tract. 62. *Hominis ingrato intrauit panis in ventrem, hostis in mentem.*

30.
Accepti panis vel particulæ nostram exigit gratitudinē.
Ioan. 6.
Bernard.

Ideò Dominus pane Discipulos cum refecit, admonet, *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, nè pereant.* Ioan. 6. Vbi Bernardus serm. 51. in Cant. *Iubemur*, inquit, *colligere fragmentā, id est, nec minima beneficia obliuisci.* Tritici tot coros accepistis? Non solum de toto conuiuio, sed de panis singulis particulis vos gratos exhibete.

31.
Christus dat Regni cælestis domum pro panis particula.
Matth. 25.
Iansen.

De mammona Dominum inopem amicum fecere, qui eum pane satiarunt. Ideo eos in æterna tabernacula recepturus, ait: *Percipite Regnum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Matth. 25. Ad quæ Iansenius cap. 126. *Vbi mira relucet Christi benignitas, quod tantilla charitatis opera & recensere, & Regno rependere dignatus est.* Ergo villicus prudentissimè curat beneficio panis amicos efficere, qui quidem memores satietatis, non possunt non gratitudinis ergo suas in domos recipere largitorem.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.

Quam prudens villicus, qui vt iniquitatis verè notas dilueret elemosynis elargiendis dedit studium.

Etenim eleemosyna conducit ad pœnitudinis vera affectum, veniam impetrat.

32.
Si post pœnitentiā, pauperum ablutionibus accedas, probabiliter te dignum Eucharistia ostendis.
Beda.

Ait Beda apud D. Thom. in Cat. *Postquam murmurantes de pœnitentium receptione tribus parabolis Saluator redarguit: quartam mox de eleemosyna danda subiungit. Quia & ordo prædicandi aptissimus est, vt post pœnitentiam eleemosyna subiungatur.* Eleemosynæ enim operibus studens, confirmat se verè pœnitentia fuisse affectum.

33.
Post pœnitentiam ad Eucharistiā deposci et simul pauperum pedes abluere.
Ioan. 13.
Elig.

Cum Christus inuitaturus esset Apostolos ad sacrum epulum, *misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum suorum.* Ioan 13. Quorsum Eucharistia reficiendos diluere satagit? D. Eligius hom. 13. asserit pedes ablui dum conscientia pœnitudine diluitur, & dum pauperis subleuatur inopia. Probat itaque eleemosyna pœnitentiam, num homo dignus sacro epulo possit interesse. *Videas summopere, vt sacramenta corporis, ac sanguinis Domini dignè recipere queas. Lauet prius lacrymis pedes corporis*, seu vitæ anteactæ gressus: & postea pedes pauperis. Addit appositè, *Quia peccatorum vita iam indigna esse non potest*, scilicet ad Eucharistiam recipiendam. Quare? Quia pœnitentia eleemosyna confirmata, probatur verè ex corde produsse.

34.
Pœnitentiæ fructus est eleemosyna.
Matth. 3.

Saducæis Ioannes Baptista proclamat, *Progenies viperarum, quis demonstrabit vos fugere à ventura ira? Facite ergò fructum dignum pœnitentiæ.* Matth. 3. Non iam ad pœnitentiam excitare curat, sed post pœnitentiam probare aliquo opere veracis pœnitudinis affectum. Vndénam ergo ostenderetur illos vera pœnitentia fuisse affectos? Certè operibus eleemosynæ studentes probabiliter innuerent, se verè pœnitentiam egisse. Sic Augustinus serm. 50. de Temp. *Pœnitentia mutat hominem in melius, nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testatur hoc veritas per Ioannem, qui venientibus ad se dicebat: Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Quos sint isti fructus ipse consequenter ostendit dicens: Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.*

August.

35.
E conuiuio Eucharistico deturbatur, qui eleemosyna nuptiali veste non ornatur, quasi non se probarit verè pœnitentem?
Tob. 12.
Laur. Nou.

Ei, qui non indutus Nuptiali veste ausus est sacro epulo interesse, Dominus ait: *Quare huc intrasti non habens vestem Nuptialem?* Obmutescens autem *in tenebras* detruditur. Profectò hic non se probauit verè pœnitentem. Quidnam defuit? Ab operibus eleemosynæ abstinuit. Tobias ait, *Eleemosyna de morte liberat, & non permittit intrare in tenebras.* cap. 12. Quia scilicet approbat ineuntem sacrum epulum iam pœnitudinis affectu indutum veluti stola Nuptiali, vnde non deturbatur in tenebras D. Laurentius Nouar. hom. de eleemos. *Radix omnium malorum quid est? Auaritia. Radix omnium bonorum quid est? Eleemosyna. Et qui nunc vulneratus es per auaritiam, cura te per eleemosynam. Mortuus es per auaritiam, te viuum ostende per eleemosynam. Audisti enim monitionem iusti, Eleemosyna de morte liberat, & non permittit intrare in tenebras* eum, qui ad sacrum epulum accurrit. Qui ergo non ornatur eleemosynæ Nuptiali vestimento in tenebras mittitur, quasi non probarit, se verè pœnitentem quodammodo, qui fructibus pœnitentiæ vacuus obiicitur.

Zachæus

36. *Zachæus se pœnitentem probat, ad Christũ pedibus excipiendũ, dum fructus pœnitentiæ profert, dimidium bonorum litando pauperibus.* Luc. 19. Titus Bostr.

Zachæus cum Domino excepto hospitio dulciter epulatur, quod quidem conuiuium salutare Eucharisticam mensam halabat quibusdam Interpretibus. Quonammodo se ad sacrum epulum præparauit? *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Luc. 19. Ac si diceret, vulgariter, *Desde luego consagro a los pobres la mitad de mi hacienda.* Vndénam tam studiosus eleemosynæ diues? Ex Tito Bostr. vt reciperet digne Christum hospitio, & se probaret de præteritis iniquitatibus veraciter pœnitere, fructus pœnitentiæ proferre curat, dum eleemosynæ dat operam *Zachæus hic* (ait ille) *inter publicanos principatum tenebat, si quidem ad summam auaritia, fitisque pecuniaria fastigium peruenerat. At non perstetit Zachæus in illis sordibus: consecutus est namque à Christo ante conuiuium peccatorum veniam.* Vndénam ostendit se venia donatum, præmissa vera pœnitudine? Quia fructus pœnitentiæ illicò protulit, non differens eleemosynæ propositum, sed mox litans dimidium bonorum pauperum subleuationi.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Facite amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Necessarium obituris Diuorum patrocinium illustratur.

Prudens ergo, qui procurat nunc obsequiis piis sibi amicos in diem illum comparare.

37. NOn dixit, *Vt recipiam vos in æterna tabernacula,* facite vobis amicos: sed *vt ipsi recipiant vos*; quasi ad Diuos factos nobis amicos, pertineat, nos in æternis tabernaculis collocare. Hinc collige, necessarium tibi obituro esse piis operibus amicos comparare.

38. *Absaloni necessaria fuit vt Regio tabernaculo donaretur, Ioabi interceßio: sic tibi ad superos anhelanti.* 2. Reg. 14. Bachiar.

In Christum optimum parentem deliquisti. Audebis ne immediatè ad ipsum accedere, vt te Regio throno rursum addicat? Amicos inire cura, qui patris præcordia possint emollire. *Mansitque Absalon in Ierusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit. Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad Regem.* 2. Reg. 14. Ipsa in Ierosolyma pacifica manet Regis filius, & sine ope amicorum non donatur patris aspectu; & tu præsumis cœlesti throno donari, si amicos comparare non satagis? Bachiarius epistol. ad Ianuar. de recip. laps. *Ecce Absalon, qui fratrem occiderat, per amicorum suffragia Regis veniam promeretur: ita vt etiam osculum pacis, & præsentiam non desperet exposcere. Et tu erga quos amicos David (hoc est Christi) esse nosti, qui quondam pater tuus, quando non peccaueras fuit: humilis esto, & acclinis; vt quod à te non poteris, per illorum suffragia merearis.*

39. Specialissimè Messias ad Israëlis salutem acquirendam aduentauit, iuxta illud: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Matth. 15. Vndénam ingratissimo populo tam ineffabilis beneficij vis? Sæpe audiui Deum specialissimo dilectionis vinculo Abrahamo, Isaaco & Iacobo fuisse illigatum: *Ego Deus Abraham, Isaac, & Iacob.* Igitur ob Diuorum horúmce intercessionem à Deo Israël hoc munus obtinuit. D. Theophylus, lib. 3. in Euang. *Et quid est, quod non venerat nisi ad oues, quæ perierant domus Israël? Quia inter reliquas vsquequaque Nationes specialim Israël vnum Deum coluit? Idolis sæpè litauit obsequium. Vt ita dixerim, peculiaris illum ob merita Abrahæ, & cæterorum Patriarcharum.*

Ingratissimi Hebræi à Iesu specialiter requiruntur, ob Diuorũ intelarũ intercessionẽ. Matth. 15. Theophyl.

40. *Iniqui in venditione Ioseph fratres benignè excipiuntur ob Beniaminum, peccatores à Iesu ob Paulum.* Gen. 42. Gen. 43.

Iosephi fratres post venditionis crimen, ad Ægyptum accedunt frumenta petituri. *Et Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur: Exploratores estis.* Genes. 42. Abeunt ad patrem, secum referunt Beniaminum. *Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis; & adorauerunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis, interrogauit, &c.* Gen. 43. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Vndénam durus in suauissimum est conuersus? Certè ex Beniamin innocentis dilectissimo Iosepho intercessione. An non Benjamin Pauli Apostoli præferebat imaginem? Ob vnum Paulum ingratissimi, & nequissimi Hebræi mitissimè excipiuntur à Christo. Pulchrè Ambros. lib. de Ioseph, cap. 9. *Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Pauli veniunt typo, & loquitur illis mitia, atque mansueta, vt pariter cibum sumant. Supra autem, quia sine Benjamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab eis se auertebat. Pauli autem merito profecerunt, quem Dominus* IESVS *tanquam iuniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat.* Ambros.

41. *Vel Iustus Loth indiget Abrahami intercessione.* Genes. 19. Chrysost.

Dices Hebræos peccatores aptè vsos esse Diui intercessione: at iustos quosque non indigere. Profectò vel iusti, vel amici Diuorum intercessione fulciuntur. Loth iustus ex Sodomiticis flammis liberatur. An ex propria innocentia? Recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Loth è media subuersione. Genes. 9. sic legit Chrys. illud: *Recordatus est Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione.* An non sufficeret Diuo iustitia? Certè sanctitas Lothi ad intercessionem Diui alterius aufugit, vt securiori liberatione niteretur. At Doctor homil. 4. in Genes. *Cur igitur, (dicet aliquis) propter orationem Patriarchæ iustus seruatus est, & non propter suum iustitiam? Ita certè ob orationem Patriarchæ. Quando enim quod ex nobis est simul afferimus, & accedit intercessio Sanctorum, plurimum nobis confert.*

42. *Vt pietas Burdigalensis vrbis adstrueretur, in Ara Dei collocatur Stephanus intercessor.* Martial.

Burdigalensis Franciæ vrbs deliciæ Domini ob ciuium pietatem. D. Martialis Aram hoc titulo apud vrbem inuenit, *Ignoto Deo.* Profectò addidit Aræ S. Stephani Protomartyris simulachrum. Quare hominis imago additur throno? Certè vt amicus Dei in eius conspectu semper pro Burdigalensibus piis precaretur. *Dum altaria dæmonum* (ait Diuus epistol. ad Burdigal. cap. 3.) *in puluerem redigerentur, Aram ignoti Dei ad consecrationem reseruare iussimus: quæ dedicata in nomine Domini Dei Israël, & testis ipsius*

Stephani, qui pro eo passus est à Iudæis, non hominis cultum, sed Dei in ea frequentatò. Stephanus enim non Deus, sed amicus Dei fuit. Necessariam æstimauit Martialia Diui alicuius Dei amici intercessionem ad veri Dei cultum in pijssima vrbe conseruandum.

43. *Ipsa sponsa sanctissima intercessores adit, ad dilectum inueniendum.* Cant 5. Philo.

Ipsam testor sponsam, quæ ad quærendum Dominum properat, nec inueniens, addit sociarum intercessionem. *Quæsiui, & non inueni illum. Adiuro vos filia Ierusalem, si inueneritis dilectum, vt renuncietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. An putas filiarum Ierosolymæ intercessione consequuturam te, quod sponsæ fiducia ac iustitia non assequeris? Audiendus Philo Carpat. *Cum prudens, casta, & simplex anima, atque sponsa intellexerit, eos Pastores sanctos, & vigiles Christi seruos: omnes adiurare, & obsecrare non desinit; per quos sese in dies chariorem sponso reddi non dubitat.* Si sponsa intercessores quæritat, quid peccator?

Observat. V.

Ad illa verba:

Et ego dico vobis: Facite amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos, &c.

Cum deficimus à gratia Dei, eleemosyna comparandi amici, qui nos gratiæ efficiant restitui.

O quam efficax eleemosyna ad veniam de iniquitatibus assequendam!

44. PArticulam, *Cum defeceritis* vidimus & de morte, & de defectu à gratia explicari posse. Cũ defeceritis à gratia Dei eleemosynia studium impendite, quæ vos rursũ ad recuperationem gratiæ adducant. Et quidem ad veniam assequendam apprimè conferunt eleemosynæ.

45. *In iudicio poterit quis iniquum cũ fuerit, per pecunias iustificari?* Matth 25. Cyrill. Ierosol.

Fatur Dominus, *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Matth. 25. Cur non memorat Dominus alia virtutum facinora puritatis, humilitatis, obedientiæ? Contemplatur D. Cyrillus Ierosol. hîc Regno donatos solummodo exprimi eos, qui nulla virtute ornati, potius multis fœdati criminibus eleemosynæ tandem vi ad Dei gratiam rediisse. *Non ergo est malum argentum, tu tamen vtaris benè. Poterit sane aliquis per pecunias iustificari. Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare: omninò id per pecunias.*

46. *Iniquiori Regi aptatur eleemosyna medicamen, quia efficacius, & facilius.* Dan 4. Ion. 3.

Babylonio Regi iniquissimo, ac crudelissimo Daniel Medicus cœlestia ait: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Dan. 4. At Rex Niniuæ audita Ionæ comminatione, *Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* Ion. 3. An Niniuitæ iniquiores Babylonio Rege? Minimè. Cur ergo difficilior eis via præparatur ad veniam è Numine assequendam, facilis autem Babylonio Principi eleemosyna indicitur? Certè quia eleemosyna agnatum est ad extinguenda crimina, & ad veniam assequendam cœleste adinuentum. Vnde crudelissimo Regi Propheta præscribit vnicum facilis eleemosynæ opus. Theodoretus, *His inexplebilem illius crudelitatem declarat, quam sibi in subiectus exercuerat. Peccata tua eleemosynis redime. Ita enim iudici persuadere poteris, vt minas extinguat.* Maior iniquitas fortiori medicamine propellenda est. At eleemosyna facilis quidem medicina, sed fortior ieiunio, sacco, ac cinere ad veniam impetrandam.

Theodor.

47. *Opponitur immẽso vitiorum ponderi vnica eleemosyna.* Isai 28.

Ex ore prophetico Deus, *Ponam iudicium in spem, et misericordia in statera.* Isai. 28. Sic legunt Lxx. illud: *Et ponã in pondere iudicium*, &c. Quonammodo poterit iudicium seuerissimum spem immittere peccatoribus, si vel iustus deprecabatur, *Non intres in iudicium cum seruo tuo?* Profectò tunc Dei iudicium spem ingerit peccatori, cum misericordia, aut eleemosyna apponitur stateræ, vt iniquitatum ponderi apponatur. *Pesara mas la limosna que todas las culpas?* Legi de Petro illo Telonario à iudicio Dei liberatum fuisse, quia custos Angelus immenso criminum ponderi vnicũ panem datum pauperibus opposuisse. Nazianzenus orat. 16. *Nec vlli alij rei potius, quam benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iustè remetitur, atque in pondere misericordiam ponit.* In pondere nempe peccatorum ponit misericordiam, vnica eleemosyna vt æqualitatem ponderis conciliet.

Nazian.

48. *Si diues offerat, vti Magi, aurũ, camelus per foramen acus transitum facilem inueniet.* Matth. 19. Matth. 2.

De difficili diuitis auari salute Christus profatur, *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum cælorum.* Matth. 19. An diuitibus desperata salus? Minimè verò, si memores camelorum Isaiæ ad Ierosolymam accedant onusti, & aurum, thus, ac myrrham pauperi Bethlehemitico puero litare satagant: *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. En camelos Madian & Epha salutaris viæ stricta foramina ineuntes. D. Hieronym. in Cat. D. Thom. *Si legamus Isaiam, quomodo cameli Madian, & Epha veniant ad Ierusalem cum donis, atque muneribus; & qui quondam curui erant, & vitiorum grauitate distorti ingrediantur portas Ierusalem;* hoc est, *Acus*, (sic porta quædam appellabatur) *videbimus quomodo isti cameli, quibus diuites comparantur, intrare possint per angustam viam, quæ ducit ad vitam.*

Hieron.

Observat. VI.

Ad illa verba:

De mammona iniquitatis.

Cur diuitiæ iustè acquisitæ iniquitatis mammona vocitantur?

Certè quia diuitia est fomes delinquendi.

49. SI eleemosynæ gerendæ sunt ex iustè acquisitis bonis, vt vidimus in commentar. quonammodo

nammodo Dominus eas diuitias mammonam iniquitatis appellauit? Respondet Ambrosius, ioiquum mammona, quia variis illecebris tentat, vt ei seruiamos. Et Theophylactus, *Nequitia opes dicuntur, quæ cum sint à Deo data ad necessitatem conseruorum, nos nobis itequiter retinemus.* Mammona itaque iniquitatis vocatur, quia diuitiæ assolent ad iniquitates validum fomitem ministrare.

50. *Iniqua pecunia, quia ad sui amorem homines allicit.* Saluian. Eccli. 10.

Saluianus lib. 4. ad Eccles. dioitias *materiam omnium voluptatum* appellauit. Fatur Sapiens, *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.* Eccl. 10. Vsus malus pecuniæ iniqoitas est, sed ipsa pecunia ineptè iniquitatis appellatur. Quam appositè *mammona iniquitatis* dicitur, oon iniqua, quia materiam omnibus voluptatibus suggerit: ac si *mammona* sit *iniquitatis* materia.

51. *Tota diuitiarum iniquitas in suum vertitur possessorem.* Saluian.

Tota ergo auri iniquitas in improbū recidit possessorem. Pulchrè idem Saluianus lib. 1. dixerat, *Auro nihil est scelestius, & pessimum, ac feralissimum morbi genus diuitia conseruata in malum Domini sui. Quid enim peius, aut quid miserius, quam si quis præsentia bona in mala futura conuertat.* En diuitiæ ipsæ iniquæ vocitantur, quia possessori ministrant improbi vsus occasionem: *Auro nihil est scelestius.*

52. *Nihil auro scelestius, & argento, quod inuitat ad Dei venditionem.* Luc. 22. Chrysost.

Iudas Dominum tradere molitur ob nummorom promissionem. *Pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit, & quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis,* Luc. 22. Nondum pecunia tradita est Iudæ, & sola spe accipiendi immane facinus patrare promittit? Chrysostomus (apud D. Thom. in Cat.) *Tales auaritia generat passiones.* Ergo *nihil auro,* & argento *scelestius.*

53. *Abūdas necessariis? Difficile à piaculo liberaberis.* Matth 6. Ambros. Maldon.

Dominus oos docuit orare: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. Cur post acceptá dieculi annonam paruam, petimos à culpis liberari commissis? Scio Ambrosium scripsisse lib. 1. de Interpel. Iob. c. 5. *Magna illecebra dilinquendi est rerum affluentia.* At panis necessaria refectio quonammodo potest homines ad piacula excitare? Maldonatus asserit panis appellatione omnia ad vitam sustentandam necessaria exprimi. Necessariis abundas? Consequenter postulanda est venia delicti. Pulchrè Chrysostomus in Cat. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra. Post subsidium cibi, petitur & venia delicti.*

Chrysost.

54. *Thesauri iniquitatis vocitantur, quia diuites iniquitate repleti sunt.* Mich. 6.

Propheticum illud testor: *Ignis in domo impij thesauri iniquitatis. In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate.* Mich. 6. En thesauri seo *mammona iniquitatis* appellatur, quia in ea diuites iniquitate repleti dicuntur. An semper diuitiæ ad iniquitatem afferunt possessores? Minimè, sed plerumque ex dioitiis iniquitas seqoitur, prauo ex vsu possidentium. Vnde acutè D. Chrysostomus lib. 1. *Quod nemo læditur, &c.* profatur, *Diuitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia, superbia, omnisque irrationabilis motus.* Rara auis diues iustus.

Chrysost.

55. *Rarus diues, qui iniquus nō fuit.* Eccli. 31. Arist.

Hinc Sapiens, *Beatus diues, qui inuentus est sine macula.* Eccli. 31. Non est terræ huius, sed cum cœlestibus aoibus computandus diues iustus, & immaculatus. Aristoteles lib. 5. de Repub. cap. 7. *Qui opes nacti sunt, & libidini consequenter seruire volunt.* Consequenter seruire libidini vult, qui dioitias acquirit? Certè *sequela diuitiarum est luxuria.*

56. *Diuitias sequuntur vitia.* Florus.

Vis huiosce sequelæ vim obiiciam? Lucius Florus lib. 3. cap. 2. scribit, *Nescio, an satius fuerit P. Romano, Sicilia, & Africa contentum fuisse, aut iis etiam carere: quam eo magnitudinis crescere, vt vitiorum consequentia conficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit. Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergamenai Regis hæreditas. Illæ opes atque diuitiæ afflixerunt seculi mores, mersamque vitiis suis quasi sentina Rempublicam pessum dederunt. Iam, vt speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iisdem diuitiis incitatus est? Atque inde Mariana, inde Syllana tempestas, aut magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio nonne ab opulentia paritura mox egestatem.*

LIBER

LIBER QVINTVS.

COENA MAGNA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumquartum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vitæ, seu IESV locuti in Parabolis, FRVCTVS QVINTVS.

CVM à quodam mentio ingereretur de pane in Regno Domini manducando, Christus assumpta Parabola de homine, qui ad cœnam paratam inuitatis sese excusantibus, iussit pauperes vndecumque collectos introduci: latenter significauit, superbis Iudæis exclusis, qui toties inuitati obstinato animo varias errori causas prætexuerunt: ad cœleste conuiuium humiles ac gentiles admittendos. Elegans Richardi lib. 2. de laud.virg. do testimonium. Dominus Discipulis profatur, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, Regnum.* Luc. 22. En prædiuitis hominis cœnam magnam. *Tanguntur octo,* (ait ille) *quæ laudabile faciunt conuiuium. Primum nobilitas inuitatoris, vbi dicit* Ego. *Secundum ordinata positio ferculorum, vnde* Dispono. *Tertium honestas conuiuarum, vnde* Vobis, *Apostolis enim, & iustis omnibus loquebatur. Quartum hilaritas vultus, vnde* sicut disposuit mihi Pater meus Regnum. *Quintum authoritas inuitantis, vnde* Pater meus. *Sextum fœcunditas mensæ, vnde* Vt edatis, & bibatis super mensam meã. *Septimum loci amœnitas, vnde* In Regno. *Octauum securitas, vnde addit,* Meo. *Conuiuium istud erit cœna illa magna, quam fecit homo quidam Luc.14. id est, Deus Pater, quando cœlestem iucunditatem, vel suæ Diuinitatis fruitionem electis suis ab æterno præparauit. Ad hoc conuiuium æternitatis homo redit per Mariam.* Imò ipsa (authore Andrea Cretensi) *est Mensa intellectualis*, qua nobis electis cœlestis satietatis fercula apponuntur.

Luc.22.
Richard, Laurent.

LVCAS CAP. XIV.

VERS. 16. HOMO quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

17. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent; quia iam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare: Primus dixit ei, villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum.

19. Et alter dixit, iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.

20. Et alius dixit, vxorem duxi, & ideo non possum venire.

21. Et reuersus seruus nunciauit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cœcos, & claudos introduc huc.

22. Et ait seruus, Domine, factum est, vt imperasti: & adhuc locus est.

23. Et ait Dominus seruo, Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

PARAPHRASIS.

16. H*OMO quidam prædiues cœnam magnificam exhibere constituit: ad quam plures cœnæ fama, & amicitiæ necessitudine, & scripto, & nuncio conuocauerat.*

17. *Cúmque iam instaret cœnæ tempus, seruum suum immisit, qui nunciaret omnibus inuitatis iam omnia esse fercula præparata.*

18. *Hic cum frui liceret expectata diu cœna, cœperunt simul omnes excusare alius alio prætextu. Primus enim intentus rei domesticæ agendæ, ac prius habens lucrum terrenæ possessionis, quam æternæ felicitatis, vrgenti famulo respondit: Prædium mercatus sum in agro, necessum est eò proficisci, vt inuisam, quod emi. Rogo te habeat me Dominus tuus excusatum.*

19. *Itum est ad alterum. Ille simili morbo laborans, respondit: Iuga boum emi quinque. Eundum est, vt ea probem, an feliciter emerim. Rogo te efficias, vt dominus tuus me excusatum habeat.*

20. *Ad tertium accedit, qui se excusauit, fatus: Vxorem duxi; scis, quam sit res operosa, quot curas secum trahat: & idcirco si maximè velim, non licet nunc venire.*

21. *His, atque aliis prætextibus tum se omnes excusassent, seruus reuersus Domino suo nunciauit. Dominus indignans quod vltro vocati, ad tam honorabile conuiuium ob res friuolas excusarent: quo magis vererentur in posterum, seruo dixit inuitatori: Abi celeriter in omnes plateas, & vicos ciuitatis, & quoscumque habueris obuios pauperes, debiles, cæcos, & claudos ad meum conuiuium adducito. Etiam si inurbani illi oblatum contemnant honorem, erunt qui sacro epulo perfruantur.*

22. *Peractis, quæ mandarat paterfamilias rediit seruus, & ait: Domine, adduxi quoslibet, & tamen adhuc aliqua pars tui conuiuij vocabit. Apparasti etenim copiosissimum, & innumerabilium capax conuiuarum.*

23. *Dominus autem cupiens apparatum conuiuium quamplurimis esse vsui. Abi, ait, rursum, abi vel extra ciuitatem in vias ac sepes, & vndecumque collige mendicos, hospites vel ignotissimos: qui si grauentur venire, vel improbitate compelle, vt veniant ad me, & domus mea tandem impleatur.*

24. Illud

24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.

24. Illud autem affirmo, quod nemo virorum illorum quibus id honoris habitum est, vt primi vocarentur, & fastidierunt: gustabit cœnam meam. Fortasse pœnitebit eos olim cum splendorem conuiuij viderint; & his, quibus ipsorum fastidium locum fecit, inuidebunt: sed frustra tunc cupient ingredi, qui cum liceret, excusarunt.

SECTIO PRIMA.

Inuitatorum ad cœnam Excusatio.

TEXTVS.

VERS. 16. HOmo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos. 17. Et misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt omnes simul excusari. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum. 19. Et alter dixit, iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. 20. Et alius dixit, vxorem duxi, & ideo non possum venire.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De cœna magna, seu conuiuio cœlesti.

1. *De contextu.*

QVANAM occasione oblata Dominus arripiens ansam hanc parabolam protulerit? Accumbens Dominus mensæ Pharisæorum Principis præexcelsa tradidit de humilitate, ac eleemosyna documēta, quæ quidem hac periodo circumclusit: *Cum facis conuiuiū, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris; quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Hæc cum quidam ex discumbentibus audisset, diuinæ retributionis desiderio commotus, exclamat: *Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei!* O illum fælicem, qui diuinam consequetur remunerationem, quique non in hoc terreno conuiuio, sed in Regno Dei diuinis epulis satiabitur! Tunc Christus dictis addit parabolam ex ipso conuiuio, in quo aderat, deproptam: qua ostendit Iudæos non manducaturos in Regno Dei panem, sed foras pellendos: Ethnicos verò vocandos, & cœlesti epulo æternùm fruituros.

2. *Quæ sit magna cœna?* Tertull.

Homo quidam fecit cœnam magnam.] Quænam, precor, hæc magna cœna? Æternum conuiuium, quod Deus in cœlo hominibus præparauit. Tertullianus lib. 4. cont. Marc. cap. 31. *Cœna paratura vitæ æternæ saturitatem figurat.* Cur cœna dicitur Gregor. homil. 36. in Euang. *Quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit, vt hoc non prandium, sed cœna vocaretur.* Et Euthymius, *Cœnam magnam ineffabilem Regni Dei fruitionem vocauit Dominus: quam ideo cœnam appellauit, quod finem nesciat.*

Gregor. Euthym.

3. *Cur magna?*

Cur autem *Magna*? Quia præclarissimo apparatu omnis generis epulæ magnis cœli Principibus exhibentur. Deus autem præparans potentia sua ferculorum suauitatem quid non magnum exponat?

4. *Omnes multi vocati ad cœnam.* Ambros.

Vocauit multos.] Quinam illi? Ambrosius apud D. Th. in Cat. Gentiles, Iudæos, & hæreticos esse dixit. Alij omnes Auctores solos Iudæos interpretantur. Et quidem minimè obscurum est, contra illos potissimum parabolam Dominum proposuisse, vt significaret Iudæos inuitatos in Regnum cœlorum venire noluisse: venisse Gentiles.

5. *An intelligendus locus de omnibus Iudæis?* Hilar. Origen. & alij.

An de omnibus Iudæis, an de iis solum, qui post Christi Incarnationem vixerunt, id sit intelligendum? Hilarius eos tantum inuitatos fuisse dicit, quos Christus ipse factus iam homo, aut Apostoli, eorumque successores vocauerunt. Origenes vero Tract. in Matth. 30. & Athanasius q. 45. Hieronymus, Beda, Euthymius, & Theophylactus de omnibus Iudæis, etiam qui ante Christi Incarnationem fuerunt, intelligendum putant. Id equidem cum Maldonato probabilius reputo, quia illi proculdubio fuerunt, qui seruos à Rege missos, id est, veteres Prophetas contumeliis affectos occiderunt.

Auctoris expositio.

6. *Obiectioni fit satis.*

Quonammodo illi à Christi aduentu tam remoti ad eius cœnam inuitari potuerunt? Certè epulum cœleste cunctis fuit fidelibus præparatum & ante Incarnationem degentibus, quia seruantes legis ac Prophetarum dogmata cuncti ad cœnam cœlestem peruenere. Gregorius hom. 38. in Euang. & eos, qui ante Incarnationem Christi, & eos qui post Incarnationem fuerunt, Deum inuitasse asserit, quia cœleste conuiuium celebrandum in superis per Prophetas, Patriarchas, ac legem dixit, & per Apostolos confirmauit.

Gregor.

Et

6. *Quinam seruus inuitans.* Theoph. & alij. Strabus. & alij. *Auctoris sententia.* Barrad.

Et misit seruum suum.] Quinam fuerit ille seruus ambigitur. Theophylactus, Euthymius, Titus Bostren. Cyrillus, ac Salmeron noster Christum esse aiunt. At Christus se Filium vocare assolet, seruum nunquam appellat: *Misit ad eos filium suum.* Matth. 21, Strabus, Anselmus Fuldens. Gregorius, Beda, Haymo Prædicatores nomine serui asserunt indicari. Hoc quidem similius vero existimo. Vocauit enim Deus Iudæus ad Cœnam per Apostolos, aliusque Discipulos. Addiderim cum Barradiu nostro, & aliis, Christum, id quod fieri solet, in parabola proposuisse. Solent enim per seruum vocari inuitati: Sed intelligi voluisse, Iudæus vocatos esse non solum per seruos, sed per Filium, Porrò seruus vocans ait omnia iam præparata. Cum verò Christus Iudæos vocabat, nondum erant parata omnia; deerat enim passio, ac sanguis Christi; quamobrem de seruis solum intelligendum locum Barradius affirmat. Haud congrue tamen venia viri, quia Patriarchæ, Prophetæ, ac Moyses qui ante Christi incarnationem Iudæos ad gloriæ epulum inuitauere, etiam parata esse omnia inclamitaruor, quia ex virtute profundendi sanguinis IESV quicumque ad Abrahæ sinum descendebant, postmodum mensæ æternæ decubuere.

Barrad.

7. *Quænam hora cœnæ.* Gregor. & alij.

Hora cœnæ.] Quænam dicitur hora Cœnæ? Strabus, & Anselmus, *Hora Cœnæ finis seculi.* Gregorius hom. 36. Beda, & Haymo consentiunt. Ego tamen expositionis meæ contextui conuenientius, assero horam Cœnæ dici, cœnandi horam, qua quidem exprimit bene operandi opportunitatem, ed fruendum post vitæ terminum cœlesti conuiuio. At noster Barradius non sentiens Iudæos antè Christi aduentum inuitatos, existimauit horam Cœnæ esse tempus aduentus Christi, & legis gratiæ, quo hora conuiuij cœlestis aduenit. Nam ante Christi aduentum non erat hora id est tempus Cœnæ, seu gloriæ cœlestis, quoniam cœli fores obseratæ erant: nullúsque hominum ad cœlestem Cœnam admittebatur. Fateor nondum fuisse horam antè incarnationem actu accumbendi cœlesti epulo; sed horam esse operandi conuiuium, sicut de cœlesti pane Christus asseruit. *Hora est Cœna*, id est, tempus instat cunctis inuitatis, operibus se se cœlesti conuiuio futuro dignos efficere. Nunc fide & operibus celebratur, postmodum gloriæ possessione.

Barrad.

8. *De excusatione inuitatorum.*

Et cœperunt omnes simul excusare.] Sensus est, Quemadmodum illi, qui inuitati ad Cœnam propter caduca bona venire renuerunt, alius propter villam, alius ob iuga boum, alius propter Nuptias: sic etiam Iudæi propter terrena bona cœlestem cœnam repudierunt. *Simul* Græcè, *In vnum*, quasi aduersus propriam salutem conspirantes. *Villam emi.* Græcè, *Agrum*; sed ager dicitur villa. *Iuga* boum, siue *paria*.

9. *Obiectioni respondetur.*

Obiicis à cœna cœlesti solum peccatum lethale penitus hominem excludere. At in hisce excusationibus nullum mortiferum inest piaculum; ergo immeritò hi homines à cœlesti sunt exclusi conuiuio. Villæ conductio, boum emptio, ac probatio, vxoris ductio licitæ actiones. Respondeo hæc omnia licere; verum tamen posse multorum peccatorum grauium causam existere. Si ob villæ ac boum emptionem, vxorisque ductionem illi cœlestem cœnam contempsere: nónne se graui piaculo contaminarunt? Certè etsi excusationes prima fronte licitæ videantur, illicite tamen caducarum rerum indicatur cupiditas.

§. II.

De Cœna magna, seu Mensa Eucharistica.

10. *Magna cœna Eucharistia.* Plini.

HOmo quidam fecit Cœnam magnam.] Eucharisticum conuiuium Cœna aptè appellatur, quoniam in Cœna à Domino est institutum. Magnáne Cleopatræ cœna, in qua (Plinio scribente lib 9. cap. 35.) sponsione facta cum Marco Antonio affirmauit se centies sestertium consumpturam: vnionemque præclarissimum mersit aceto? An magna cœna Clodij, qui (eodem auctore) singulos vniones singulis conuiuis dedit absorbendos? Christianus cibum capit, qui omne quamuis immensum pretium, quod mente potest concipi, superat. Riuulos dulcedinis magna mundiale conuiuia mox exhauriendos propinat. In hac cœna (ait D. Thomas hom. de Euchar.) *spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* Quia non riuulum excipis, sed toto immenso fonte potamur. Manna ciborum dulcissimum? *Panem de cœlo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Sap. 16. Eucharistici panis substantia Dei dulcedinem, quam in filios habet, ostentat.

Thom.

Sap. 16.

11. *Inuitati recusant accedere.* Matth. 28.

Et misit seruum suum hora Cœnæ dicere inuitatis.] Vita præsens cœnæ Eucharisticæ est hora, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28. Iam parata sunt omnia, iam paschalis est Agnus occisus, iam Assuerus cœlestis interminabile amplius conuiuium apparauit. Porrò Christiani vocati ad cœnam terrenorum bonorum amore, peccatísque irretiti venire recusant, quamobrem fame miseri discruciantur. Corpus cibo carens macie afficitur; Sine Eucharistico cibo animus sine robore procumbit. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius, facti sunt Principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis* Thren. 1.

Thren. 1.

12. *Vocantur defectuosi, sed vt à defectibus prius expediantur, quā Cœnam ineant.* August. Chrysost.

Pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc.] An hisce defectibus affecti cœnæ Eucharisticæ accumbent. Minimè, nam indigni *iudicium sibi manducant & bibunt.* Cur ergo vocantur? Vt prius gratiæ robur, charitatis opes, oculorum, pedumque recipiant sanitatem: mox epulum ineant. *Mutet vitam* (ait August. ser. 1. de Temp.) *qui vult accipere vitam, id est, Eucharistiam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium vitam accipiet.* Et Chrysostomus hom. de trad. Myster. *Quemadmodum esca, quæ vtitur corpus, cum in ventrem humores habentem corruptos deiicitur, inualetudinem auget: non quidem natura sua, sed propter imbecillitatem ventris. Sic sanè in mysteriis spiritualibus euenire solet: hæc enim cum in mentem iniquitate plenam inciderint, eam potius vitiant, & perdunt, non propter naturam suam, sed propter imbecillitatem animæ suscipientis.* Ait Malachias, *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* cap. 1. Barradius, *Mundissima oblatio est Eucharistia, mundissimos flagitat pro sua munditia conuiuas.*

IN IESVM LOCVTVM In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX INVITATORVM EXCVSATIONE

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Homo quidam fecit Cœnam magnam.

Beatitudinis magnum Epulum illustratur.

Vbi stultum innuo mundi amatorem, qui hærens fallacibus bonis, tanta felicitati nuncium remittit.

13. Tertull.

TERTVLLIANVS libr. 4. cont. Marc. *Cœna magna paratura vitæ æternæ saturitatem figurat.* Et quidem solummodo magnum illud conuiuium, quod beatis interminabile omnibus cœlestium epularum dulcedine redundans apponendum est.

14. *Ex temporariis delitiis, ac diuitiis arguitur, beatitudinis felicitas quanta.* August.

Augustinum præmitto soliloq. cap. 21. *Si tāta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Cum enim sint hæc omnia valde bona, & delectabilia, quæ bonis pariter, malisque tradidisti, qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondidisti: Si tam innumera & varia sunt bona tua, quæ nunc amicis pariter & inimicis tribuis; quam magna, & innumerabilia, quam dulcia & delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis: Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die Nuptiarum.* Fælicitas mundi tartatus, si eum beatitudine cœlesti comparetur. De quo inferius num. 22.

15. *Cum hyperbolicè cures gloria cœlestis pondus exprimere, nec attinges veritatis particulam.* 2. Cor 4.

Paulus exprimit huiusce epuli apparatum. *Quod in præsenti momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Vt opponat leui tribulationis pondus æternum, hac vtitur metaphora. Iob de tribulationibus, queis premebatur, ait: *Pondus eius* (tribulationis) *ferre non potui.* cap. 31. Immensum intolerabile hoc temporalium tribulationum pondus leuissimum, momentaneum est, si eum æterno beatitudinis pondere comparetur.

Theoph.

Theophylactus. *Gloria æterna est, & pondus æternum habet, hoc est, magnitudinem excellenter excellentem. Hoc enim est, quod ait per hyperbolem ad hyperbolem.* Hyperbolicè tribulatio nostra quid momentaneum & leue vocitatur, hyperbolicè beatitudo *æternum pondus* appellatur, hoc est, *immensum*; vt exprimatur & tribulationis temporariæ leuitas, & beatitudinis æternæ magnitudo. Hoc Doctor. Attamen non aptè, me authore, hyperbolica hæc locutio ad tribulationem, aut ad beatitudinem applicatur; quia verè cunctæ tribulationes quid sunt leue & momentaneum, beatitudinis autem verè est, pondus æternum.

16. *Non inuenit Paulus, quonā modo posset propriis verbis exprimere beatitudinē.* Caiet.

Vnde acutè Caietanus visos sibi Paulum non plenè beatitudinem descripsisse, ait: *Metaphora ponderis coactus est Paulus vti.* Quia scilicet non inuenit quonammodò posset propriis verbis æternæ beatitudinis describere magnitudinem. Cunctæ, ait, tribulationes, quibus homines cuncti pergrauantur, momentaneum quid est, quælibet autem gloriæ particula illis respondens æternum est pondus.

17. *Requiem nō habēt beati, quia sustinent pondus beatitudinis in summa illa requie.* Apoc. 4. Rupert.

Quatuor illa animantia, quæ trisagium illud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* Domino decantabant, sunt Alcasari nostro Angeli Principes. De his Ioannes, *Et requiem non habebant die, ac nocte dicentia,* &c. Apocal. 4. Rupertus, *Requiem non habebant id est otium.* Si beatitudo summa est quies, si beati homines ad consortium Angelorum vocantur, *vt requiescant à laboribus suis*: quonammodo Proceres spirituum cœlestium requie minimè potiuntur? Profectò Angelicis humeris gloriæ immensæ pondus sustinebunt. Vndè requie ineffabili dum fruuntur, ex ponderis æterni metaphora sine requie scribuntur, instar illorum, quorum humeri graui pondere pergrauantur.

18. *Non sciunt damnati quid agatur in cælis; ne ex cognitione illa quodammodo bearentur.* August.

Ponderó pulchram D. Augustini sententiam lib. 20. de Ciu. cap. 22. *Qui erunt in pœnis, quid agatur in gaudio Domini nescient; qui verò erunt in gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient.* Cur Deus aperiens beatis damnatorum supplicia, non manifestat damnatis beatorum gloriam? Certè quia tanta est gloriæ beatorum vis, vt aspectu gehennæ minimè possit imminui. At præcauet Deus ne sit damnatis beatitudinis notitia, ne ex tanto gloriæ pondere per notitiam aliqua in damnatos exundet leuaminis stilla.

19. *Auditio sola beatitudinis potens est in valle lacrymarū beare.* Prou 8. Rupert.

Etenim auditio sola beatitudinis, potens est quodammodo beare eos, qui extra cœlestem aulam commorantur. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei* Prou. 8. Quonam modo potest esse beatus, qui foris assidet? Respondet Rupertus lib. 3. in Ioann. *Vnde contigit illud Sapientiæ prolatum beatitudinis præconium. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.* Quodnam hoc elogium beatitudinis? Nempe beatitudine frui non solum qui in aula cœlesti commoratur; sed & qui postibus ostij hæresceit audiens vel gloriæ tractatum, *Beatus homo, qui audit me.*

20. *Si beatus quodammodo, qui gaudia cœlestia somniat, quid erit, qui vigilãs contemplatur ad postes.* Gen. 28. Damia.

Iacub apud cœlestis beatitudinis postes mutabatur somnu pressus & somuians gaudia cœlestis Ierosolymæ, clamans euigilat: *Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen. 28. Vbi multi Doctores asseruut, Patriarcbam ex abundantia gaudij locutum. Tanta est cœlestis gaudij vis, vt non solum ad postes ostij vigilare, sed & dormire ineffabilis gaudij pondus incomportabile humeris hominis apponat, quod non valens sustinere, clamitet: Quam *terribilis est locus iste!* Petrus Dam. de beatitudine scribens, ait: *Iam stamus in atriis Ierusalem, iam è vestibulo magnæ ciuitatis gaudia somniamus.* Ergu si beatus qui ad postes ostij cœlestis dormit, quantu beatior erit *qui vigilat ad fores quotidie*, & obseruat ad postes ostij cœlestis beatitudinis circunstantias?

21. *Solum nomẽ beatitudinis cœlestis potens nos à mœrore abstrahere.* Ioan 13.

Et quis nun perfundatur gaudio vel à longè audito beatitudinis nomine. Tristitia maxima affecti fuere Apostoli audientes, *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Ioan. 13. Vt autem Dominus eos à tristitia abstraheret, profatur. *Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite, in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ac si diceret, credite vera nuncianti: in dumo Patris multas esse mansiunes; vnde à tristitia recedite. Domine, facilius Discipulos à mœrore abstraheres, si prumitteres hisce mansiouibus esse collocandos. At memorari solummodò mansiones cœlestes, mœroris erit excitatiu, non medicamen. Profectò tanta beatitudiois præstantia vt vel numen solum valeat nustris mœstis mentibus ineffabile gaudium ingerere. Quæritant. Interpretes, quorsum Duminos, asseueratit, multas esse in cœlo mansiones? Maldonatus, *Videbat Christus, tristes esse Apostolos, & turbatos: consolatur ergo eos.* Quam rustica præcordia eius, qui à tristitia nun liberatur vel solo beatirudinis, quæ præparata est iustitiæ, nomine exaudito!

Maldon.

22. *Secularis vita quamtumuis beata, velut tartarus est, si cõparetur cum cœlesti.*

Nescio, an possim vel particulam cœlestis gaudij contemplari hac excogitatione: Obiiciu menti in lacrymarum valle vitam, quam mundiales fælicem appellant. Gaudiis quis affluat, deliciis floreat, vita vigeat, voluptatibus lasciuiat, diuitiis upulenterur, libidinibus luxuriet, prusperitatibus delicietur. Certè tam beata secularis vita tartarus est, geheona est, si cum cœlesti gloria cumparetur. Ponite animam gloria fruentem, è cœlo rursum ad vitam qoam effinxisti beatam derudari: quasi in tartaro distorquebitur. Vodè Clemens Alex. lib. 1. Stru. ait, *Bonas animas, vt inquit, Plato, supercœlesti loco relicto, sustinuisse venire in hunc tartarum.* Nimirum beatos quosdam spiritus reliquisse cœlum, & ad terras descendisse. Nun quidem à gloria recedant, sed gloriusæ animæ bonæ descendant ad terras. Adhuc agnuscent vitam illam, quam mundi cultores beatam existimant, tartaream esse habitatiunem, si cum gloria qua fruuntur cœlesti cumpunatur.

Clemen. Alex.

Observ. II.

Ad illa verba:

Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, quia iam parata sunt omnia.

Hora cœnæ, hoc est mortis articulo omnia bona cœlestia inuitatis iustis præparantur.

Vbi mortis iustorum beatitudinẽ exprimo.

23. Anselm.

Fatur Anselmus, *Misit seruum suum hora Cœnæ, id est, in fine vitæ.* Ao murs potest Cœuæ bona appellari? Quid mortis horroribus cum epuli voluptatibus? Profectò iustorum mors conuiuium est cœlestibus epulis præparatum. Vnde meritò sapiens, *Melius est ire in domum luctus, quam in domum conuiuij.* Quia conuiuia secularia vilescunt, si luctus, seu murtis iusti in domu contẽplere fercula præparata.

24. *Iosue sine lacrymis sepelitur, quia iusti mors est Cœna beata.* Iudic. 2.

Olim *mortuus est Iosue famulus Domini, & sepelierunt eum in finibus possessionis suæ.* Iudic. 2. Cur famulus Domini post centum supradecem annurum obsequia lacrymis profusis ab Hebræis non sepelitur? Siccis oculis terræ committitis ô ingrati, cadauer eius viri fortissimi Ducis, qui vos toties ab hostibus eripuit? Iacob dierum septuaginta planctu Aaron trigiota, totidem Moyses sepelitur. Cur Iusue sine planctu terræ committitur? Respondet Hieronymus in Epitaph. Nepoti. *Iudæorum luctus Christianorum gaudium est. Ad vesperam eis demorabitur fletus. Vnde & Moyses moriens plangitur*, IESVS *absque funere & lacrymis in morte sepelitur.* Ac si diceret Muysis mors exprimens Iudæorum ante IESV aduentum funera lacrymis obortis prosequenda erant, quia vespere illo cœna magna noo erat præparata. At iustis Christicolis in IESV figuratis vespere illu funereo Cœna magna apponitur. Vode eis *ad vesperum demorabitur exultatio.*

Hieron.

25. *Non vult Dominus, flere fœminas, cum ad Cœnã mortis properat.* Matth. 26. Luc. 23. Ambros.

Dominus Discipulis, *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Matth. 26. Quod de morte Duminica multi expoount Interpretes. Cum autem Christus magnam iret ad Cœnam filiis Ierusolymæ flentibus inquit: *Filia Ierusalem, nolite flere super me.* Luc. 23. Quursum fœminas iustissimo curat Duminus à luctu prohibere? Ambrosius ad Psalm. 118. *Nolebat fleri, qui dicebat ad filias Ierusalem, Nolite me flere. In passione aut morte propria futura instar beatitudinis cõuiuium lætissimum exhibebat.* Non decent lacrymæ luctuosæ Cœuam hanc magnam.

26. *Mors nõ lectus, sed lectum conuiuale, ad Cœnã magnam.* Luc. 5. Ambrof.

Paralyticu Duminus, *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Luc. 5. Vbi D. Ambrosius mysticè cuntemplatur motis iustorum epulum Mors figuratur in lectu conuiuali. *Iam non lectus doloris, sed quietis, & conuiuij. Miseratione etenim Domini cœpit quies & Cœna esse, quod mors erat, qui nobis soporem mortis vertit in mensam voluptatis.*

27. *Ideo Mors gustatur, vt Cœna.* Matth. 6. Hilar.

Apposite Dominus. *Sunt de hic stãtibus, qui nõ gustabunt mortem.* Matth. 6. Quidnam quæso morti cum degustatione? Hilarius, *Ex conditione gustatus dulcem quandam fidelibus*

liberationem mortis ostendit. Quam dulcis iustorum mors, quæ gustationis exprimitur aptè metaphora; quia mors iustorum Cœna magna est gustui exhibens omnium ferculorum suauitatem.

OBSERV. III.

Ad illa verba:

Quia iam parata sunt omnia.

Inuitat Dominus, imò cogit ad conuiuium, hoc est, ad amoris in ipsum suauitatem, exprimens dona, quibus homines affecti sunt.

Quia quasi cogit homines ad amorem diuinum, donorum à Deo acceptorum recordatio.

28. Thom.

ASserit Doctor Angelicus Cœnam hanc signare dilectionem seu amorem hominum erga Deum, ad quem inuitantur. Ait seruus à Domino immissus, *Iam parata sunt omnia.* Scilicet omnia incitamenta amoris, omnia charitatis in Deum illectamenta. *Parauit Pater in Christo* (ait Thomas) *bona collata mundo per ipsum, peccatorum amotionem, Spiritus sancti participationem, adoptionis splendorem*, Ac si diceret, En amoris præparatum conuiuium; quia tot adsunt ad amandum Deum nobis excitamenta, quot ab eo accepta extant beneficia. Vis diligi? Beneficia præbe.

29. *Magdalena dilexit uberiùs, quia multa à Iesu munera accepit.* Luc. 7. Thom. Ambros.

Magdalenam testor, de qua Dominus, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Luc. 7. Si dilexit Magdalena multum, quia multa ei crimina dimissa sunt, cur Dominus adiicit, *Cui minus dimittitur, minus diligit*, innuens Magdalenæ dilectionem secutam esse veniam, non præcessisse? Certè dilexit pœnitudinis actu, quem ex opportunæ gratiæ vi enixauit elicere. Mox videns se tot dona à Domino accepisse, & *peccatorum* (vt loquor cum D. Thoma) *amotione, & Spiritus sancti participatione, & adoptionis splendore*: cogitur multum vlterius diligere. Dona enim accepta cogunt homines ad amorem. Ambrosius, *Non est dubium, quod plus debet, qui plus accipit. Et ideo, quoniam nihil est, quod dignè Deo referre possumus, væ mihi & si non dilexero. Reddamus ergò amorem pro debito. Amplius enim diligit, cui donatur amplius.*

30. *Ad memoriam Petri reuocat Dominus, quæ ei peccata dimiserat; vt muneribus illigatus vberius diligeret.* Ioann. 21. August.

Simoni Petro Christus, *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine tu scis, quia amo te.* Instat iterum, & tertiò repetit: *Dicit ei tertiò, Simon Ioannis, amas me?* Ioan. 21. Cur trina vsus est interrogatione? Augustinus tract. 123. in Ioan. *Tertio, vtrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat; redditur enim negationi trinæ trina confessio.* Curans igitur Dominus Petrum allicere imò trahere ad necessariam feruentissimam dilectionem ad oues pascendas, ad agnos custodiendos: eis memoriæ immittit peccatorum dimissorũ recordationẽ: vt cui plus dimissum erat magis diligeret. *Reddamus ergo amorẽ pro debito.*

31. *Efficacissimè persuademur ad amorem diuinum, dum dona exundant nobis collata.* Ioann. 19. August. Chrysost. Daniel Maloni.

Christi infixi *vnus militum lancea latus aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua* Ioan. 19. id est, omnium sacramentorum munera, testantibus Patribus, profluxerunt. Augustinus, *Non dixit, Percussit, aut vulnerauit: sed aperuit, vt ibi quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ manarunt, sine quibus ad veram vitam non intratur.* Et Chrysostomus, *Quoniam inde habent ortum sacra Mysteria, cum accesseris ad tremendum Calicem ita accedas, vt ab ipso bibiturus Christi latere.* Iam pulchram Danielis Malonij in cap. 20. Paleot. de S. Syon. adiectio asserentis Christum cunctas vitæ actiones direxisse in vnum illum scopum, nempe vt homines ad sui amorem fortiter alliceret. *Efficaciora ad persuadendum argumenta in perorationis epilogum reiiciunt oratores. In Epigrammatis calcem maiorem carminis energiam Poeta. Christus in hoc vulnere velutí in sua vita ac passionis epilogo, ac lacrymosi carminis fine vim sua passionis inclusit*, ad persuadendum scilicet, vt tantum Principem diligamus. Quænam vis in epilogo? Profluunt Sacramenta ad hominum vitam, cœlestia exundant munera? O quam efficaciter allicimur, imo trahimur ad dilectionem?

32. *Christus diligitur, cum à nobis accipitur munus cœleste.* Cant. 2. Bernard.

Iam clamat Sponsa, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Cant. 2. Quandónam Deus est sponsæ dilectus? Cum pascitur, cum sponsæ præparat alimenta, cum donis cœlestibus eam efficit redundare. Bernardus serm. 10. in Cant. *Donec ad lilia descendis, & pasci inter lilia compertus est, nec amatus est, nec factus dilectus.* Particulam *Pascitur* hoc sensu *comeditur* à Doctoribus nonnullis explicatur.

33. *Maria probatur, plus quàm reliquæ matres Christũ dilexisse, quia plus ab ipso munẽris acceperat.* Amedæ.

Amadæus hom. 5. de laud Virg. curat ostendere Mariæ dilectionem in Christum cunctarum matrum amorem superasse. *Quæ mater dilexit filium suum vt illa?* Vndénam probabis? Adiicit præstantissimi huiusce amoris excitamentum. *Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres, sed vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate Matris visceribus influxit, hoc est, vnde magis diligebat.* Ac si diceret, Quid mirum Mariam plus omnibus matribus Filium suum dilexisse, si plus cunctis illi debebat, à quo electa charissimam in parentem?

34. *Paulus immobiliter dilectioni hæresit, quia beneficiis est illigatus.* Rom. 8. Saluian.

Proclamat Apostolus, *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo* Iesu. Rom. 8. Vndénam tam insuperabilem te, ô Paule, existimas, vt nulla creata vis valeat te à dilectione diuina submouere? Certè quia donis sum cœlestibus affectus. *Qui proprio Filio*, (præmiserat Diuus,) *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Concludit, *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Donati sumus tot muneribus: ergo quasi necessario dilectione flagramus. Saluia. l. 4. de gub. Dei. *Agnoscentes vtique dona sua, ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro Domino tã bono facere cõueniret: hoc quod Apostolus dicit, vt neque tribulatio, neque angustia, &c. posset nos separare à charitate.*

35. *Tepida sponsa ardet amore, dum cogitat munera sibi irrogatam.* Cant 5. Nyssen.

Quanta tepiditate laborabat sponsa, cum pulsanti ac clamitanti è lectulo respõdebat, *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa, &c.* At postquam sponsus *misit manum suam per foramen.* Id est, ad nostrã humanitatem descendit, fante Nyss. *Conditrix illa omniũ rerũ manus quasi peregrinatione suscepta, in hominum vitã exitũ ac*

nullius

nullius momenti (*en foramen*) *se ipsam velut arctius contraxit*: Illico clamauit sponsa, *Adiuro vos filia Ierusalem, si inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. Vndenam tanta tepiditas ad tantam ascendit conflagrationem? Crediderim, quia Dei ad lacrymarum vallem descensum meditatur. Et quonam modo posset non ardenter amare, quæ tanto se oneratam beneficio profitetur: *Misit manum suam per foramen; Dicite ei, quia amore langueo.* Aliter, *Quia vulnerata charitate ego sum.* Philo Carpat. Indissolubili iam charitatis vinculo sponso Christo IESV copulata permanere studet, illique soli semper adhærere deprecatur: nec vllo temporis puncto de eo sanctè loqui, cogitare prudenter, meditarique desistit: eum ipsius ineffabilem charitatem, qua mortalis homo pro se redimenda fieri non *dubitauit, recensit.* Nulla etenim maior ad dilectionem inuitatio, quam præuenire, munera largiendo

---

Observat. IV.

Ad illa verba:

Et cœperunt omnes simul excusare, &c.

Illi inuitati, quos Dominus allicere curat ad Cœnam, exposito epularum apparatu, probant se non esse ex amicorum numero.

Nam amicos suos Deus ad se allicit, non dulcedine exposita, sed laborum verbere.

36. INuitatis illis omnia parata esse Cœnæ fercula dulcissima annunciatur. Attamen tanta laborare tepiditate exponuntur, vt à futilibus impedimentis illigati detineantur, séque sacerrimi epuli faciant indignos. Profectò dum viderem à Domino dulcedine expressa aduocari, existimaui illos haud inter Dei familiares adnumerandos, quos quidem Dominus tunc arctiori vinculo sibi assolet colligare, quo acriori eos verbere vulnerat.

37. *Abraham amicum verbere allicitur, non Cœna exposita.* Gen. 22. Hilar.

Aduocat ne Deus Abrahamum ad Cœnam, an ad luctum? *Tentauit Deus Abraham.* Iubetur vnigenitum filium immolare, pergit in montem visionis, vbi Dominus expectabat profaturus: *Nunc cognoui, quod timeas Deum.* Gen. 22. Ad quod Hilarius in Psalm. 1. *Nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur.* En amicum veracem, qui ad montem Domini verbere allicitur, non epularum Cœna.

38. *Non amici, sed inuitatis hisce similes Iudæi, qui solum obsequuntur eò cœnæ assident.* Ioan 6. Basil.

An Iudæi illi, qui exposita apud desertum Cœna inuitantur cum Dei amicissimis annumerandi sunt? Minimè; tempore enim Cœnæ curant ei veluti Regi obsequium litare: recedentes autem à mensa impetunt maledictis. De his Basilius, *Donec in ore cibum habent, benedicunt, admirantur. Mensa vero parum pernegata, quem paulo ante ob voluptatem velut Deum adorabant; maledictis tanquam saxis petunt, ac lacerant.* Similes planè Iudæi hisce inuitatis, quos Cœna exposita Christus nititur aduocare.

39. *Quam innocens ostenditur, qui bonus inter aduersa persistit.*

Arguebat Diabolus, *Numquid Iob frustra timet Deum?* cap. 2. An putas laudabilem virum in prosperis? Gregorius, *Ac si apertè dicat: Qui tot bona in terra recipit, quid mirum, si pro eis innocenter se gerat; Innocens verè esset, si bonus inter aduersa persisteret.*

Iob. 2. Gregor.

40. *Non ostenditur Iob amicus in Cœna, sed in sterquilinio.* Iob. 2. Chrysost.

Adiicit Aduersarius, *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* cap. 2. Ad quæ D. Chrysostomus in Cat. Comit *Quod verò dicit eiusmodi est: Externi obsequij custodiam ab eo amoue. Neque eius enim est nobilitata virtus, quamdiu illum a qualibet impugnatione tueris Da mihi, vt tabe carnes eius, medullasque conficiam. Solita enim calamitas probare eam mentem, quæ cum non sit virtutum erudita disciplina, vnam epuli voluptatem tanquam sibi famulandi causam complexa est.* Haud Iob ostendendus amicus in Cœna, sed in sterquilinio, actus laboribus.

41. *Qui de se aliquid offert Deo, probatur verò diligere.* Iob. 2. Hieron.

Tange, inquit, *os eius, & carnem, & videbis.* Si vallasti eum, si bonorum abundantia impinguasti, si Cœnæ accumbere fecisti: quid non obsequeretur; surgere à mensa coge, princeps clypeum arripiat, cogatur de se aliquid offerre, *& videbis, nisi in faciem benedixerit tibi.* c. 2. Hieronymus ad Iuli. *Audacter Dei renuit prædicationem, & dicit nequaquam eum debere laudari, qui nihil de se, sed totum ex se dederit; qui pro corio suo coria obtulerit filiorum; deposuerit marsupium, vt fruatur corporis sanitate.* An commendabilis amicus, qui abundanti obsequitur in Cœna: & non dum è Cœna in sterquilinium translatus est?

42. *Multi diliguntur propter oleum. imperfectè quidem. Verus amator diligit inter cruces.* Cant. 1. Bernard.

Sponsa fatur, *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Cant. 1. Quam adolescentulæ, quam infirmæ virtutis animæ, qui ob olei suauitatem, accepta ob munera diligunt. *Tange, ô Domine, os & carnem eius, & videbis.* Bernardus lib. 2. epist. 2. *Adolescentulæ dilexerunt te propter oleum, ego autem, vt verum fatear, etiam sine oleo. Effusum est oleum, & exarsit ignis; quia nouus erat ignis, oleo indiguit: in me incensus est antiquus ignis, non indiget oleo. Propter suauitatem, propter dulcedinem adolescentulæ dilexerunt te: ego autem inter cruces, inter labores, inter medias mortes noui diligere te. Quærunt illæ dona tua, ego autem te ipsum.*

Gloriatur Paulus in tribulatione verò amicus. Rom. 5. Chrysost.

Romanis Apostolus, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed gloriamur in tribulationibus.* cap 5. Vt scilicet veraces nos Dei filios probare possimus. D. Chrysostomus, *Vides animam fortem, altam mentem, sensum inuictum, qui non ob coronas tantum gloriatur; sed in certaminibus quoque lætitia perfunditur. Qui non iam ob præmia gaudet, sed ob luctas sibi placet.* Imperfectos itaque expositis epulis aduocauit, & nec ad Cœnam dulcissimam venire festinauere. Nullus perfectus adducitur, quia hi iam laborum illustri sustinentia Domini in domo commorantur.

Observat. V.

Ad illa verba:

Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo videre illam; rogo te, habe me excusatum.

Agricola cum esset inuitatus hic villæ emptor, superbia laborans ostentatur.

Quàm agnatum assolet esse abiectis hominibus, superbiæ morbo laborare.

43. *Contra pauperes superbos.* Thom.

DOctor Angelicus *In villa empta dominatio notatur. Ergo superbia castigatur vitium primum.* In villa dominatio superba? Quid cum villano possessore superbię piaculum? Multum planè. Inanitas enim superbiæ plerumque in abiectioribus hominibus reperitur: *In villa empta dominatio notatur: ergo superbia castigatur vitium primum.*

44. *Villanus Adam piaculo superbiæ infestatur agnato rustici ani.* Thom. Gen. 2.

Vitium primum superbiam apellauit, quia Adamus superbiæ crimine infectus est. Adiicit D Thom. *Primus enim homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit,* Qui nam ille nisi villæ possessor? Aptius dixeris fuisse operariū ad villam alienam excolendam, custodiendam. Positus enim in paradiso est, *vt operaretur, & custodiret illum.* Gen. 2. Vndenam ô agricola, superbia intumescis? Crediderim villanum agnato piaculo gessisse morem; superbia enim vitium est abiectorum: *Villam emi.*

45. *Discipuli nō superbia laborant in Principatu, sed in abiectione.* Luc. 9.

Permisit Dominus suos discipulos superbiæ gladio vulnerari, vt possent experti chirurgi nostræ vanitati adhibere medicinā. At verò quandonam Discipuli elationis fouerunt affectum? An cum potestatem accipiunt dæmones abigere ex corporibus? An cum Ecclesiæ Principes assignantur? Minimè verò; nec enim sublimitati agnata superbia, sed inopiæ. Pater voici filij à dæmone vexati Domino sistitur. *Ecce, ait spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, Et rogaui Discipulos tuos, vt eiicerent illum, & non potuerunt,* Liberatur filius, pater exultatione perfunditur, Christus laudibus exaltatur. Tunc *intrauit cogitatio in Discipulos, quis eorum maior esset.* Luc 9. Preme aduerbium *Tunc.* Id est, cum se impotentes ad miraculi patrationem viderunt. Theophylactus, *Videtur autem, hanc passionem ex eo ortam fuisse, quod dæmonia non curare non valuerant.* Differte ô Proceres cogitationis vanitatem in tempus prosperitatis; Præsules, Principes Ecclesiæ dum fueritis, facilior ad superbiam hostis aditum inueniet. Absit; nunquam enim diabolus non aptiores ad superbiam aspicit contrahendam, quam cum inopes potentia & fastu contemplatur. Superbia enim vinum est abiectorum. (Theoph.)

46. *Superbia Adami prodiit ex eo articulo quam ex villa habebat, sive ex carnis rusticitate.* Gen. 2.

Redeo ad Protoparentem. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2. Corpus, seu carnem ex limo terræ, ex spiritu Dei animum homo traxit Liceat vulgariter explicare: *En el alma es hidalgo de solar conocido, en el cuerpo es villano.* Iam verò videamus ex qua hominis portione superbia exposita est. An ex animi ingenuitate prodiit? Non equidem, sed ex carnis rusticitate. Audi pulchram Damasceni sententiam in Cat. Lipom. *Fecit igitur Deus hominem purum, bonis omnibus ornatum, veluti quendam secundum mundum in magno quidem mundo paruulum, Angelum alterum, adoratorem mixtum terrenum, simul & cælestem, temporalem & immortalem, medium magnitudine & humilitate, eundem spiritum & carnem; spiritum propter gratiam, carnem propter elationem.* Proxima verba preme: *spiritum propter gratiam*, quia superbia non potuit primum spiritui publicare certamen. *Carnem propter elationem.* Ad carnem rusticam accessit, cui agnata superbia, spiritus veritus hostis ingenuitatem *Entro la soberbia por lo que tenia el hombre de villano.* (Damasc.)

47. *Agnatum vili paruulo se contracto affectu superbia extendere, vt quodammodo Deo ipsi, cui agnata humilitas, necessarium fuerit se expandere non contrahere.* 3. Reg. 17. Raban.

Vt Elias recens mortuum filium viduæ suscitaret, *expandit se, atque mēsus est super puerum.* 3. Reg. 17. Quænam vidua, quinam Propheta, ac puer? Rabanus, *Vidua apud quam hospitabatur Elias, & cuius benedixit farinæ & oleo, Synagoga est Iudæorum, quæ Moysis morte viduata filium nutriebat paruulum, hoc est carnalem populum Iudæorum. Hic ad ingressum Eliæ, hoc est, Saluatoris nostri febre infidelitatis infirmabatur, &c.* Igitur Elias Christum Dominum figurabat, paruulus autem carnalem populum exprimebat. Notant Interpretes impropriè appositam prima specie particulam illam: *Expandit se ac mensus est super puerum*, cum aptius debuisset Textus dicere, *Contraxit se* Elias. Certè si mysterium attendamus pulchrè id expressum. Populus enim vilis, luteus adeò superbiæ extendebatur affectu, vt gygantea statura exponeretur Vnde Christus quia Rex, quia magnus ex agnata contractione prosiliens, quasi expanditur vt valeat mensuram paruuli superbi adæquare. Hac exaggeratione innuitur, quam agnata sit magnitudini humilitas, ac vilitati superbia.

48. *Rustici superbia immodici sūt.* Sallust. Aurel. August.

Scio Sallustium de bello Iugurt. scripsisse. *Superbia commune nobilitatis malum.* Sed respondet Aurelius Vict. de Cæsarib. *Compertum habeo, humillimos quosque, ac rusticos superbia, atque ambitione immodicos esse.* O quam Reipublicæ, aut communitati molesti! Augustinus serm. 19. *Si vix toleratur diues superbus, pauperem superbum quis feret?*

Observat. VI.

Ad illa verba:

Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excusatum.

Qui

Qui conuiuium iniens, poterat vni iugo suauissimo hærescere, renuens ad Cœnam accedere, multa sibi iuga importabilia parat.

Difficilius planè diabolo seruire, quam Domino; vnde extrema damnatorum dementia taxatur.

49. Bernard.

MIserrimum appellaro inuitatum, qui vocatus ad Cœnam, hoc est, ad iugi Euangelici vnici suauitatem, plurimorum iugorum importabilium voluit grauissimum pondus sustinere. Bernardus, *Cum sine iugo homines esse non possint, quale hoc ipsum est, eligere potius quinque, quam vnum? Qui enim potest seruire quinque dominis, ne dum quinque tyrannis, quinque prædonibus?*

50. *Vnum mansuetissimũ Dominum relinquit impius, vt hareat multis tyrannis.* Iudic. 2.

Filij Israel vni Domino seruire renuentes, qui vnius Cœnæ iugo suauissimo illos alligabat, & in vincolis Adam trahebat vltroneos: diabolo obsequium præstare curauerunt. *Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus.* Iudic. 2. Plures dominos subeunt & tyrannos, qui vni Domino Patri optimo seruire renuerunt. Preme particulam *Diripientium*, & *Hostibus.* Quam miseri, qui & in manus diripientium traduntur, & ab his ad hostium manus raptantur. Diripientium manus quam crudeles! Testor illum qui incidens in latrones, semiviuos relictus est plenus vulneribus. Hostis autem quam dire ferit! Periander Græcus Comic. *O si hostili vulnere periisses! Et vix dares criminis tanti pœnas.*

Periand.

51. *Distantia seruitutis Dei, & seruitutis mundi.* 2. Par. 12. Lyran.

Deus olim Roboam, ac Principes Iuda delinquentes in manum Sesac Regis Ægypti tradidit. *Seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis Regni terrarum.* 2. Par. 12. Si vnius domini terreni iugum tam molestum est, vt possit distantiæ seruitutis documenta exhibere: quid quinque iuga hominum? Lyranus, *Seruitus Dei suauis est, & consolabilis: seruitus autem humana, dura & quasi, importabilis.* Si importabili humana seruitus, quidnam innumeræ seruitutes?

52. *Seruiens sensibus quinque totidem subit iuga boum importabilia.* August.

Ego, ais, non extraneis dominis obsequium paro, sed meorum sensum oblectationi. D. Augustinus apud Saa. *Iuga quinque, quinque sensus carnis, ea quibus iuga. Nam duo oculi, duæ aures, gemina nares, & gustus lingua, & palati: & carnis voluptas tactu fit foriasecus & intrinsecus.* Existimas dominos suaues, ioga leuia, quia sensus proprij? iuga sunt sensus tui importabilia planè. Quis valeat tyrannidem sensuom recensere? Oculorum, gustus, ac tactus historiam euolue. Quot tibi tragœdias excitarint recole, vt memor iugi vnius Dominici, cum Bernardo clamites. *Quantu benignior, & dulcior est diuina clementia quolibet homine: tantu suauius esse certum est iugum eius cæteris omnibus.*

Bernard.

53. *Quam dementes, qui emis iuga quæ gratis nequeunt sustineri.*

Quid de insipientia hominis ementis tyrannidem iugorum, contemnentis autem iugum suauissimum, quod gratis offertur, dum ad Cœnam cœlestem inuitamur, attexam? *Iuga boum emi quinque.* Pretio accipis id, quod gratis oblatum, contemnere debuisses. Vis vulgariter expediam? *El iugo del mundo de valde es caro.* Addit Abbas Claræuallensis, *Quid enim iuga emit, & iuga boum, cui iugum suaue gratis offertur? Nam iugum Christi iugum hominis: si quidem & Christus homo. Nec modo gratis tribuitur, sed etiam copiosa his, qui tulerint, remuneratio est.* At iugum boum, seu Dæmonis tam molestum est, *vt à nemine non dico emi, sed gratis sustineri queat.*

Bernard.

54. *Prodigus ideo fugit à tyranno domino, vt iugum Patris suauissimũ intret.* Luc. 15. Chrysol.

Hinc adolescens prodigus in se reuersus post intolerabilem quinque iugorum, seu sensuum seruitutem proclamat, O pater, *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. Ad quæ D. Petrus Chrysologus serm. 2. *Hoc petit, quia qui penes extraneum dominum, (id est libidinem) seruam senserat libertatem: penes patrem credidit sibi futuram liberã seruitutem.* Extraneus vnicus prodigi filij dominus vna erat luxuries, cui parabat obsequium, & libertatem seruã sentiebat: quid si omnium sensuum simul tyrannide premeretur?

55. *Vel Gentiles id agnoscunt.* Claudian.

Mihi credite tot vobis iuga importabilia comparatis, quot passionibus libatis obsequium. Vel Gentilis cecinit, siue lamentatus est.

Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia iura tenebis,
Si poteris Rex esse tui.

Non te podet Regnum pro seruitute commutare. Ausonius aiebat *genus esse dementia, seruum non curare iugum excutere.* Vides aoiculam rostro sæpè carceris, seu caueæ foramina recognoscere, an pateat egressio. Proh miserabile mancipium, qui nec curat ineundæ fugæ fouere desiderium. Plautus in Menæch.

Auson.

O demens qui non curas fugam arripere! Plaut.

Homines captiuos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitiuis indunt compedes,
Nimis stulte faciunt mea quidem sententia.
Namque homini misero si ad malum accidit malum,
Maior libido est fugere, & facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo,
Tum compediti annuum lima prorepunt,
Aut lapide excutiunt clauum.

Tibi misero ad malũ malum accidit per instantia singula, tot iugis replicatis: & tamen maior libido est dirioribus iugis, ac vinculis detineri. O dementiam!

OBSERV. VII.

Ad illa verba:

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire.

Qui vxorem duxerat, siue qui concupiscentiæ vitio mysticè laborabat, loquitur inurbanè, impudenter de luxuriei ingenio respondet.

Nam luxuries animos efficit inurbanitate, ac rusticitate laborantes.

56. August.

DIuus Augustinus de Verb. Dom. *Qui dixit, uxorem duxi, carnem amplexatur.*

Tribus hisce inuitatis signantur tribus præcipua vitia addicti.

Sunt verò hæc tria, de quibus Ioannes, Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, ac superbia vitæ. Concupiscentia carnis. Vxorem duxi. Concupiscentia oculorum, Iuga boum emi quinque; sunt enim in sensibus principales oculi, ideo per eos reliqui sensus significantur. Ambitio seculi, Villam emi. Igitur laborantes concupiscentia oculorum, ac superbia vitæ sic tenuunt ad Cœnam accedere, vt aliquali reuerentia, ac vrbanitate præmissa, se curant ab inuitatione eximere: *Rogo te,* (inquit vnus, & alter) *habe me excusatum.* At carnis concupiscentia pressus, nullum exhibens comitatis, reuerentiæ, aut vrbanitatis documentum, profatur, rusticè: *Non possum venire.* Quænam tantæ inurbanitatis causa? *Vxorem duxi*, id est, carnis concupiscentia laboro. Animos quidem luxuries efficit rusticitate laborantes. Basilius, Et ideo non possum venire. *Debilitant illecebræ intellectum*, cumque ad rusticitatem, & hebetudinem faciunt declinare.

57.

An manifestè comparatur luxuries ob inurbanitatem, à qua vel auspicis excidit. Pieri.

Hieroglyphicorum Ægypti obseruator ait: *Peruetustum fuit apud Hieroglyphicos Ægypti lasciuiam ex porci rusticissimi simulacro significari. Argumento est columna in æde Thebis Ægyptiis olim erecta, in qua plurima in Regem Menin execrationes inscriptæ erant, qui primus omnium Ægyptios e parsimonia ad luxuriam, a modestia ad intemperantiam, a virtute ad effœminationem illexit. Quapropter simulacrum eius porcum, rusticissimum animal, esse voluerunt.* Quid Regi in aula nutrito, vbi comitatis, & vrbanitatis magisterium, cum rusticitate? Erat lasciuiæ vitio maculatus, & consequenter rusticitatis fœditati addictus.

58.

Esau voluptatibus addictus ab ingenuitate in rusticitatem deturbatur. Gen 25. Caiet.

Esau vitij typus fugaces delicias aucupio studiosè captabat, dum Iacob frater vir simplex habitabat in tabernaculis. Coxit Iacob pulmentum, accedens autem Esau de agro lassus, ait: *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit, En morior, quid mihi proderunt primogenita? Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit.* Gen. 25. Vbi Caietanus, *Verba sunt turbati vehementi concupiscentia.* Aptè quidem concupiscentiæ carnis mysticè addictus à nobilissimis primogenitis deturbatur, vt cum rusticis Iacobo deseruiat, (sante Domino Iacobo fratri: *Esto Dominus fratrum tuorum.*) Nihil enim ita ingerit animo rusticitatem, & ab ingenuitate nobilitatis ac comitatis abstractionem, quam luxuriei voluptates.

59.

Voluptates faciunt mentem rusticitate laborare. Eccles. 2. Lorin.

Ecclesiastes profitetur, *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis* cap. 2, Lorinus, *His duabus dictionibus: Risus & Gaudium comprehendit omnium voluptatum genus immoderatum; indicia enim sunt perceptæ voluptatis.* Voluptates igitur *reputaui errorem*, Vetus translatio, *Amentiam.* Chaldæus *Derisionem.* Quam amentes sunt voluptatum amatores? quam derisores cœlestium! Quippe vt qui ingenuitate comitatis amissa ad rusticitatem fuere deturbati.

Arist.

Vndè Aristoteles l. 2. Ethic. c. 9. *In vniuersis cauendum est maximè à voluptate: non enim incorrupti iudicamus ac ipsa. Vt ergo Troianorum senes erga Helenam sese habuerunt, sic & nos ad voluptatem ipsam esse affectos in omnibus quæ illorum dicere vocem oportet.* Foris scilicet exeat quam *primum tam venusta fœmina, vt in eius causa incorrupti iudicemus.* Vel aspectus voluptatis nostrum hebetat intellectum, ac ad rusticum impellit consilium.

60.

Quàm rustica vox illa: Non seruiam, id est, Non possum venire! E luxuria prodiit. Ierem. 2.

Quam rustica, quam inurbana vox illa de qua Dominus, *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam.* Ierem. 2. Non fatur vrbanè, Rogo te habe me excusatum; sed rustico sermone: *Non seruiam* siue, *Non possum venire.* Vndenam ab ingenuitate comitatis deturbatus populus? Certè à luxuriei piaculis. Addit Propheta, *In omni enim colle sublimi, & in omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Ibid. Quam aptè Chrysologus serm. 132. *Hominum natura agresti luxuria dominante syluescit.*

Chrysol.

61.

Adamus inurbanus ostenditur ex nimia in fœminam dilectione. Gen. 3. Lipom.

Adami piaculum ortum habuisse ex nescio quanam erga vxoris dilectionem immoderatione nonnulli adnotarunt Interpretes, qui mysticè asserunt luxuriei extitisse simulacrum. Post patratum itaque delictum *abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei. Vbi es? Qui ait, Vocem tuam audiui in paradiso, & timui.* Gen. 3. Vbi Lipomanus adnotat Adami inurbanitatem & rusticitatem. Moyses narraturus præmittit, *Dominus Deus*, Adamus autem non præmittit, O Domine Deus, ô potentissime, ô clementissime! sed inurbanè clamat, *Vocem tuam audiui.* Vndenam hominum Principi rusticitas tanta? An non ex illo mystico fœmineæ dilectionis excessu?

62.

Cham ex nimia intemperantia rusticus ostenditur in parentem. Gen. 9.

Iacente Noë ab ebrietate denudato, à filio Cham afficitur iniuria. *Quod cum vidisset Cham pater Chanaam, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foris.* Gen. 9. Ponderat scriptura hominis incontinentiam, cum dicit: *Pater Chanaam.* Quonam iure pater Chanaam appellatur, si nondum Chanaam natus erat? Ex mente Chrysostomi iam erat conceptus, vt innuatur incontinentia Chami, qui diluuij tempore voluptati dedit studium, quæ debuerat tanto in periculo cohiberi. Quam immanis flamma, quam non potuere extinguere diluuia? Iam exponitur, vndenam tam inurbanus, tam agrestis, tam rusticus se se Cham ostenderit in parentem. Si voluptati immodicæ addictus, quid non rusticitate inurbana afficeretur. Doctor ait, *Quare dic mihi & hoc loco filij vocabulum assignat? Vt discas, illum fuisse intemperantem, & incontinentem. At mente, qua in tanta perturbatione procreandæ proli vacabat, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupit. Et nunciauit, inquit, duobus fratribus foras. Fortassis autem & irrisit, ac subsannauit patrem, turpitudinem illius nunciando.* Vndenam tanta rusticitas nisi è tanta incontinentia profluerct?

Chrysost.

SECTIO SECVNDA.

Pauperum Adductio.

TEXTVS.

VERS. 21. ET reuersus seruus nunciauit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas, & vicos Ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. 22. Et ait seruus, Domine, factum est, vt imperasti: & adhuc locus est. 23. Et ait Dominus seruo: Exi in vias, & sepes; & compelle intrare, vt impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De pauperibus inuitatis.

1. *Nunciatur inurbanitas inuitatorũ Domino.*

NVNCIAVIT *hæc domino suo.*] Parabolæ gratia adijcitur. Seruus enim immissus assolet domino, quid inuitati responderint, renunciare: deque aliorum negotiorum expeditione eum certiorem efficere. Aliàs Deus hoc nuncio non haberet opus, cui cuncta sunt exploratissima.

2. *Gentiles inuitantur.*

Exi cito in plateas, & vicos Ciuitatis.] Gentium vocatio indicitur, Iudæorum expulsione. Noluerunt Iudæi ad Cœnam vocati venire, eis repulsis, iussit Deus Ethnicos inuitari. Paulus & Barnabas sic, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æterna vita* (id est Cœnæ cœlestis) *ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ,* Act. 13. Iubentur Euangelij ministri in orbem terrarum exire, & debiles, cæcos, claudos, pauperesque, Ethnicos scilicet idolorum cultores ad Cœnam cœlestem inuitare.

Act. 13.

3. *Secũda vberior Gentilium vocatio typus interminabilis inuitationis.* Gregor.

Domine, factum est, vt imperasti, & adhuc locus est.] Gregorius, *Iudæi conuiuij locum non impleuerunt, sed vacat locus, vbi suscipi debeant Gentes.* Aptius asseruerim, repetitam, vocationem significare, quam plurimos ex Ethnicis esse vocandos, totoque orbe prædicandum Euangelium, vt electorum numerus impleatur. *Exi*, inquit, in loca remotiora, *in vias, & sepes.* Pauperes, claudos, & cæcos, qui sunt in plateis, ac vicis Ciuitatis, iam vocasti. Aduoca etiam pauperes, qui extra Ciuitatem adsunt, quique in vijs iuxta sepes accumbunt. Indicat, non solum Ethnicis, qui Iudæis propinqui erant, Samaritanis, Damascenis, Antiochenis; sed alijs quoque, qui longè à Iudæa distant, Euangelium esse prædicandum Romanis, Gallis, Hispanis, Germanis, Affricanis, Indis, Æthyopibus: quod rei exitus comprobauit.

4. *Prædestinatorum numerus implendus.*

Adhuc locus est.] Innuitur, numerum prædestinatorum implendum, nullumque ex locis, quæ Deus cœlesti præparauit in Cœna, vacuum relinquendum. *Vt impleatur domus mea.* Glossa, *Numero prædestinatorum fidelium, qui numerus inexpletus non remanebit.* Tandiu seruos Dominus immittet vocatum conuiuas, quandiu conuiuarum, id est, prædestinatorum numerus expletus non fuerit. At expleto numero conuiuarum mundi aderit terminatio.

Glos.

5. *Quonam modo salua libertate, homines cõpellantur in Cœnam?*

Et compelle intrare.] Nunquid Deus vim infert voluntati? Minimè verò, sed verbo, *Compelle* serui requirit in exequendo mandato diligentiam. Nullum non moueas lapidem, omnes contende vires, vt homines cœlestem adducas ad Cœnam, tam voce, quam exemplo, adeò, vt illis vim inferre videaris. An non exemplo homines quodammodo coguntur? Paulus Petro? *Quomodo Gentes cogis iudaizare?* Gal. 2. scilicet exemplo. Caietanus, *Cogis exemplo facti tui. Facta enim superiorum non tam inuitant, quam cogunt subditos ad imitationem.*

Gal. 2. Caiet. *Exemplum Præsulis cogit subditos.*

6. *Auctoris expositio.* Barrad.

Facilius tamen exposuerim homines compellendos prædicatorum terroribus auditoribus quidem horrenda, æternaque tartari supplicia exponentium. Gregorius, *Qui aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, compelluntur intrare.* Barradius, *Hic seruus compellit quodammodo homines intrare in Cœnam, qui homines precibus, concionibus, exemploque magno ad fidem per charitatem operantem, pro sua virili parte adducit; quique orci æternos cruciatus vehementi conatu ante hominum oculos constituit.*

§. II.

De conclusione Parabolæ.

7. *Cuinam hæc sententia tribuenda; an Christo, an domino serui parabolici?*

DIco autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam.] An à Christo in domini illius inducti persona verba hæc prolata fuerint: an in propria? Aliqui propria in persona expressa asseruere, quasi propositam parabolam sic concludat, Ego dico vobis, & affirmo, quod nemo illorum, qui aduocati sunt, mea cœlesti Cœna fruetur. Probant sententiam, quoniam dominus ille, qui seruum misit, cum seruo loquebatur, ergo si hæc verba illius sunt, diceret: *Dico autem tibi*, & non, *Dico autem vobis.* Attamen similius vero affirmo verba hæc domino, quem Christus cum seruo loquentem inducit, esse tribuenda, Dominus enim ille parabolicus cum

Auctoris sententia.

seruo

seruo loquens, conuertit ad alios, qui aderant, sermonem: *Ego autem dico vobis.* Adducor, quia Christus neque de Cœna sua fuerat hactenus locutus propria in persona, neque de inuitatis. An dixerat, se Cœnam præparasse? An asseruerat, seruum ad inuitandos Iudæos, aut Gentiles immisisse? Minimè planè. Non ergo propria in persona illa verba adiunxit: *Dico autem vobis*, &c. Profectò siue in persona Christi, siue in persona apparatoris Cœnæ verba dicta sint, sensum reor eundem.

8. Documenta ex Patribus.

Plura Patres ingerunt documenta. Ambrosius, *Pauperes aduocat*, &c. *Nullum corporis debilitas excludit à Regno. Remittit Deus per misericordiam peccatorum infirmitatem.* Gregorius, *Hos eligit Dominus, quos despicit mundus; quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad se ipsum.* Strabus, *Introducit Dominus bonos, vt augeat: malos, vt mutet. Exi in vias,* (ait Ambr.) *quia hi apti Regno, qui ad futura festinant. Nemo gustabit Cœnã* (Ansel.) *& si per serã pœnitentiã intrare quærãt. Vnde fatuis virginibus ait, Nescio vos.*

Ambr. Gregor. Strab. Ambros. Anselm.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX PAVPERVM ADDVCTIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Pauperes, debiles, cæcos, & claudos introduc huc.

Diuitibus dimissis, pauperes, in seculo debiles iubet Dominus aduocari.

Hi enim & facilius rationi parent, & efficacius à Deo inuitari assolent.

9. Gregor.

Recolo D. Gregorij sententiam. *Hos eligit Dominus, quos despicit mundus; quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad se ipsum.* Apta equidem ad salutis negotium paupertas, & despectio; quia hominem excitat vt efficacius vocetur, iuxta illud: *Compelle intrare;* & vt facilius rationi subiiciatur.

10. *Dominus apparet in rubo, quia aptior inopia vilitas ad fouendã cœlestem flammam?* Exod. 3.

Non apparuit Dominus Moysi in aula Pharaonis commoranti, sed apud deserta vili amictu, rudi munere degenti. Quia cœlestia secreta pauperibus assolent reserari. Vilitas paupertatis, ac nuditatis aptior cœlesti inuitationi exponitur. Id quod Dominus vili ostendit in rubo. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Et videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Cur flamma cœlestis arborem nobilem opimo stipatam fructu non adiit? Certè quia conditionis egenæ vilitas aptior cœlestibus coruscationibus obiicitur.

Basil. Seleuc.

Basilius Seleu. Orat. 9. *Ecce ignem monstrat in rubo ardentem ignis effectu seposito. Quippè flos igne coronatur, vilisque planta succensa flammæ obsistit.* O quam pulchra increata Maiestas relictis germinibus nobilioribus in rubi paupertate ostenditur.

11. *Aptior paupertas ad fidem virtutum necessariam electis.* Mat. 10.

Fatur Dominus, *Filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret: & daret animam suam redemptionem pro multis.* Mat. 10. Ex mente Cæsarij hæc ministratio Christi sub inopis indumento eò tendit, vt innuat aptitudinem paupertatis ad vitam æternam consequendam. Probat enim Dominus in pauperibus virtutum fidem, quæ ad salutem necessaria est. *Ego autem* (ait hom. 1.) *puto charissimi, quia ita Deus noster pauperes in hoc mundo esse permiserit, vt in pauperibus virtutum fidem probaret.* Cur non probat apparens diues in diuitibus? sed habitu inuentus vt pauper in pauperibus? Quia faciliores ad respondendum cœlesti vocationi pauperes experitur, & rationi nactus obtemperantiores.

Cæsari.

12. *Eligitur inops Dauid ad speculũ prædestinatorum simulacrum.* 1. Reg. 16.

Dauid secundum cordis Domini normam appellatus à Deo eligitur prædestinatorum typus, non electis fratribus potentioribus, vt minimus, vt pauper, vt abiectus aptior natus cœlestibus appareat. *Pascebat seruus tuus* (ait adolescens despectus Regi) *patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos.* 1. Reg. 17. Eum qui pro oue pugnabat pauperculum pastorem eligit Deus, dimissis Principibus, & proceribus Israel. Quare? Quia ad gratiam Numinis excipiendam aptiores illi, qui nullum cum seculo sortiuntur consortium, qui paruulis addicti, nihil æstimantur. Basilius Seleuc. Orat. 15. *Tales animas legere nouit gratia. Placet sibi Deus, abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus.* O paupertas plerumque attritis vestibus margaritum operiens.

Basil. Seleu.

13. *Pauperes cõuiuas suos vult Deus vt typus Agni salutaris verax probetur.* Leu. 7. Theod.

Pauperes mensæ socios Deus esse voluit, dum sancit, vt qui hostiam sponte offerrent, de illa ederent prima, atque altera die: si quid verò in tertiam diem superesset, igni mandaretur; alioqui irritam futuram, nec profuturam. *Quidquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet.* Leu. 7. Quare igni dicantur oblationis huiusce reliquiæ; Theodoretus quæst. 6. *Vt necessitate compulsi pauperes conuiuij sui socios habeant.* Noluit Deus sacrificij

sibi

sibi mensam apponi, nisi pauperes conuiuæ adducerentur.

14. *Pauper ex nuditate ac fame temporaria discit de aeternis donis, de interminabili Cœna cogitare acquisitione. Adam.*

Nam si sacrificiis salus æterna aquirenda memoratur hominum prouidentia: nullus ita memor est futuri subsidij ac ille, qui defectus molestia afficitur. Vnde Adamus, *Nullus*, ait, *diues de futuro subsidio cogitat; quia omnia redundant; solus pauper, qui omnibus nudatus apparet, de futuris commodis anxius est.* Diuus indutus futurum non cogitat æternam nuditatem: abundans cibo,& potu, non curat de inedia ac siti illa, qua Epulo æternum afficiendus est. At pauper omnibus carens,ad omnia quærenda accingitur. In cuius typum Iob clamat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* cap. 1. Vbi Interpretes afferunt verba hæc prolata à Iobo ad temporalium diuitiarum iacturæ consolationem. Quænam igitur hæc consolatio? Nudus sum, & nudus moriar. Profectò ex temporaria illa nuditate pauper effectus discit de indumento æterno cogitare, & eo comparando studere. Chrysostomus in Cat. Græca ait, *Nudus procreatus est homo, vt, eodem sinuo adhibito, videret, quemadmodum imbres declinaret, quemadmodum sapienter frigus arceret, quemadmodum ad repellendos æstus muniretur, quemadmodum terram coleret, quemadmodum feras, ac bellua metum incuteret, quemadmodum robustiora, ac valentiora se animalia domaret. Quemadmodum aqua madidus, pluuiaque perfusus tecta fabricaret; ictus ac vulneratus, thoracem inuenit; cum manus in agricolatione occupata spinis cruentarentur, rustica instrumenta quæsiuit. Nempe igitur aliam ex alia solertiam nuditas genuit.* Vt iam nuditas donum sit, Si donum Dei est nuditas, temporaria vt commoda acquirat, augustius donum est eo agnato studio ad æterna subsidia acquirenda: *Solus pauper, qui omnibus præsentibus nudatus apparet, de futuris commodis anxius est.* Tibi ergo Dei donum sit paupertas, non fortunæ supplicium, si facilius parens rationi, ex defectibus temporariis edisc is de æterna abundantissima cœna cogitare.

Iob. 1.

Chrysost.

Observ. II.

Ad illa verba:

Compelle eos intrare.

Iubetur seruus compellere homines ad conuiuium ineundum, exempli vi.

Præsulum enim facta non tam inuitant, quàm cogunt subditos ad imitationem.

15. *Caiet.*

Diximus ex Caietano exemplo serui, seu Euangelici ministri adducendos ad conuiuium pauperes quodammodo non vltroneos, sed vi actos: Compellunturque præcedentium exemplo. *Cogis* (aiebat Cardinalis) *exemplo facti tui. Facta enim superiorum non tam inuitant, quam cogunt subditos ad imitationem.* Si inuitaturus subditos exemplo præis: illa potius coactio (vltronea quidem) quam inuitatio est appellanda.

16. *Qui exemplo inuitat, homines vt ipse super humeros adducat voluntariè coactos. Prou. 9.*

Mittuntur ancillæ cœlestis Regis, vt homines inuitarent ad Cœnam. *Sapientia ædificauit domum, proposuit mensam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis.* Prou. 9. In Hebræo habetur, *Vocauit super humeros excelsorum Ciuitatis.* Id est, excelsi Ciuitatis super humeros arripuerunt inuitatos, & velut coactos vi traxerunt ad Cœnam? *Vocauit super humeros excelsorum.* Et quænam illa vis, ac vltronea coactio? Certe missorum ministrorum exempla, quæ magis cogunt quam inuitant subditos ad imitationem. Pulchrè Caietanus, *significat, quod virtutes missæ a diuina sapientia officium vocandi exercent, non prædicata, non scripta, sed portantes super humeros.* Non enim prædicatæ aut scriptæ inuitant: sed factæ arripiunt homines super humeros, vt vltroneè coactos deferant ad conuiuium.

Caiet.

17. *Deducuntur & velut trahuntur homines exempli intellectibus, seu admonitionibus. Psalm. 77. Caiet.*

Vnde Dauid, *In intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Psalm. 77. Quinam, precor, manuum intellectus? Vis planè. Intellectus sermonis vox est rationibus exundans ingeniosis. At manuum intellectus est vis, qua arreptos inuitatos seruus immissus ad Cœnam adducit. Caietanus, *In intellectibus manuum suarum adduxit eos. Facta exemplaria significat addendo manuum suarum.* Non dixit *Intellectu*, sed, *Intellectibus*. Multiplici enim intellectu pollet, qui ad adducendos homines ad conuiuium, exemplis vtitur, potius quam verbis. *Es grande arbitrio.*

18. *Exemplum syllogismo certissimo cogit rationo proditos. Auson.*

Aiebat Ausonius, *pecus quidem est, non homo, qui syllogismi vinculo non alligatur*, Si scilicet ad concludendum necessariis conditionibus vigeat. Namsi,

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

Vbi verba funibus sunt fortiora, quomodo poterunt homines expediri? Exemplum igitur homines ratione præditos illigabit, coget, trahet, quia euidens syllogismus est. Chrysostomus in 1. ad Cor. hom. 10. *Hic syllogismus certissimus, qui per opera efficitur.*

Chrysost.

19. *Arguit certissimo syllogismo, qui exemplum exponit pro verbis. Tit. 2. Anselm.*

Appositè Paulus, *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Tit. 2. Quid est cum omni imperio arguere, nisi syllogismo certissimo conuincere? At ille cum omni imperio arguit, qui expresso operum exemplo inuitat. Anselmus, *Imperij nomine non dominationem potentiæ, sed authoritatem suadet vitæ: cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur.*

20. *Christus missus à Patre ad inuitandos homines, adduxit ad conuiuium exempli vi. Ioan. 1. Matth. 4. Anselm.*

Ministros suos, quos mittit ad inuitandom homines ad Cœnam, suo Dominus à Patre immissus edocuit. Dum curat inuitatos quasi coegere ad veniendum, se proponit exemplum, fatus: *Venite, & videte.* Ioan. 1. Postmodum inuitat verbis, *Venite post me.* Matth. 4. Anselmus, *Primo se ponit nobis in exemplum, & postea inuitat ad veniendum post se.* Ac efficaciter! Addit pulchrè, *Venientes autem ad se vocat, vt reficiat, ne deficiant.* Inuitat vt veniant, venientes autem reficit. An non renuerunt inuitati friuolas prætendentes excusationes? Minimè, quia exemplum præmissum quasi coactio est.

21. *Exemplum tanta vim exerit ad trahendum, quantam voluptas. 2. Cor. 2.*

Ex mente Augustini, voluptate, ac appetibilitate trahimur. Exemplum tantam vim exerit ad trahendum, quantam voluptas allotet.

assolet ostentare. *Trahit sua quemque voluptas?* Vide an trahat exempli vis? Apostolus inquit, *Odorem notitiæ suæ Deus manifestat per nos in omni loco.* 2. Cor. 2. Vbi Caietanus, *Inter bonos & malos Euangelij Prædicatores hoc interest, quod mali notitiam Dei tantum tradunt, boni autem manifestant etiam notitiæ diuinæ odorem, hoc est, suauitatem, appetibilitatem, delectabilitatem. Suauitas enim diuinæ notitiæ consistit in operibus conformibus notitiæ.* Opera itaque, seu exemplum ita appetibilitatis, delectabilitatis, ac suauitatis Deificæ Cœnæ voluptatem manifestat, vt trahat homines, ad epulum iucundum.

Caietan.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Compelli iubentur pauperes, despecti, ac laboribus acti tribulationum irruptione

Quia tribulationis, ac laborum molestia homines trahit ad virtutis conuiuium.

22. Gregor. EX D. Gregorio in Commentario dedimos, *Hos eligit Dominus, quos despicit mundus; quia plerumque ipsa despectio hominum reuocat ad se ipsum.* Confirmo ex D. Anselmo fante, *sunt qui in hoc mundo prospera quærunt, & aduersa inueniunt: & quo magis voluptates, & opes, & honores appetunt: eo punctiones, & ærumnas, & abiectiones sentiunt. Hos igitur aduersa compellunt, vt ad Dei Cœnam veniant.* Anselm.

23. *Prodigus à se egressus, redit ad se pressus tribulationibus.* Luc. 15. Adolescens prodigus substantiæ dissipator à se ipso egressus est. Quanam vi poterit qui à se egressus fuerat, ad seipsum adduci? Certè fame, nuditate, ac laborum sustinentia. *Et abiit, & adhæsit vni ciuium Regionis illius & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quid plura? *In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. surgam, & ibo ad patrem meum.* Qui prosperitate affectus à se ipso recesserat, iam aduersitatibus agitatus cœleste paternæ domus trahitur ad conuiuium *in se reuersus.* Aptè Gregorius, *Plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad se ipsum.* Quem quidem prosperitas à se ipso attraxerat. Gregor.

24. *Sepit vias Deus spinis, vt peccatores compellantur venire ad Cœnam.* Ose. 2. *Exi*, inquit, *in vias, & sepes.* Quæ quidem spinis plenæ sunt, quibus compuncti homines ad cœlestis Cœnæ immunitatem properabunt. *Ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet. Et dicet, Vadam, & reuertar ad virum meum.* Ose. 2. Quid nam est, maceria sepiri viam, nisi spinis maceriæ repleri? Spinis viæ compuncta anima, amatorum despectione affecta, quasi ad quærendum Dominum compelletur. Gregorius lib. 34. Mor. cap. 2. *Eos quos voluntas praua peruertit, plerumque aduersitas corrigit.* Ad locum autem Oseæ sic Hieronymus, *Ego sepiam viam tuam spinis. Ex quo intelligimus quod prouidentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea, quæ cupimus, & variis calamitatibus huius seculi, ac miseriis ad Dei seruitutem redire cogamur.* Gregor. Hieron.

25. *Non trahimur inuiti, sed voluntarij, cum laboribus agimur.* An inuiti laboribus acti trahimur? Minimè (inquit Augostinus sermon. 33. de Verb. Dom.) *Foris inueniatur necessitas; nascitur intus voluntas.* Necesse est morbum à Deo immissum tolerare; inuenitur foris necessitas patiendi, sed ex huiusmodi necessitate intus bona voluntas oritur diuinis præceptis obsequendi. Exposuit Doctor epist. 50. ad Bonifac. *Dominus ad magnam cœnam suā prius adduci iubet conuiuas, postea cogi. Qui inueniuntur in viis, & sepibus coguntur intrare: non quia coguntur, reprehendant: sed quò coguntur, attendant.* Et lib. 2. coot. 2. Epistol. Gaudent cap. 17. *Quod vobis videtur, inuitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti. Coge intrare, inquit Dominus, foris inueniatur necessitas, nascitur intus voluntas.* August.

26. *Cæci peccatores ad Deum trahuntur, dū terra conturbatur peste, ac bellorum irruptione.* Psalm. 81. Agell. De peccatoribus nimium à Deo recedentibus ait Dauid, *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Quid ergo præstandum, vt adducantur ad Cœnam, & voluntarij compellantur? *Mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Psalm. 81. Id est, rerum euolutione, tribulationibus agantur, pestis, bellorumque vi trahantur ad conuiuium. Sic exposuit Agellius, *Deus terram ipsam, & eius habitatores, immissis calamitatibus subruit. Inde erunt & pestes, & bella, & fructuum, prouentuumque penuria. Vt terra, hominum sceleribus, & iudicum iniquitate contracta, his malis, atque piaculis expietur.*

27. *Ex necessitate solent homines cogi ad conuiuiū volētes.* Iudic. 3. Cass. Olim filij Israel *seruierunt Eglon Regi Moab decem & octo annis. Et postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod* Iudic. 3. Vbi Cassianus Collat. 3. cap. 4. premens illud: *Clamauerunt ad Dominum postea*, id est, post decem & octo annos seruitutis irremediabilis: tres statuit vocationis diuinæ modos, quorum tertius est *ex necessitate. Propter quam, ait, ad Dominum, quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem inuiti properare compellimur.* Vnde Hebræi necessaria seruitute pressi, ad vnicum Dei auxilij medicamen accurerunt, ad quod voluntarij compellebantur.

28. *Trahuntur homines in laboribus, ac simul voluntarij vinculis charitatis illiqantur.* Ose. Prado. Ipse profatur Dominus Oseæ ex ore: *In vinculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* cap. 11. Quænam Adam vincula? Prado ad cap. 6. Ezech. num. 9. *Traham in doloribus & afflictionibus, quas à parente suo Adam hæreditarunt; hæc enim sunt amoris mei erga illos vincula, quibus soleo ad me allicere.* Preme duplex verbū. *Traham, Allicere.* Si allicit quomodo trahit? si sunt Adami vincula, id est, labores, & tribulationes, quomodò erunt vincula charitatis, & dilectionis? Certè trahitur homo, sed allicitur voluntarius; quia labores ipsi compellunt nos in Cœnam properare.

29. *Iubet Domi-* Multis debitis seruus ille premebatur, quem Dominus iussit venundari. Matth. 18. An id ex

nus venundari ferui, vt territus, se ad pœnitentiam recipiat. Matth. 18. Chrysost.

ex crudelitate Princeps? Minimè, sed ex pietate, vt se à decem millium talentorum debito eximeret. Porrò his minis territus seruus ad preces accurrit, ad pœnitudinem properat: vnde rursum gratiæ Domini restituitur. Chrysostomus, *Non ex crudelitate id facit, sed ex incredibili in eum cura. Volebat enim, illum huiusmodi terreri minis, quo ad sibi supplicandum, ne venderetur, excitaret.* Ita necessitatum, & afflictionum quasi funicula nobis Deus inijcit, vt inuitos etiam, vltroneos quidem, ad se trahat.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Cum Dominus in omnes Iudæos inuitatos iratus admodum ostenditur, multos ex eis recipit ad cœnam.

Quia cum iræ igne succenditur, misericordiæ aura refrigeratur.

30. CVm iratum Deum contemplabar in Iudæos omnes ad cœnam cœlestẽ inuitatos, cum illud audiebam: *Nemo virorum illorum*, &c. iam putabam conuiuium dissoluendum, imo mẽsas ipsas euertendas, fores obserandas, vt cuilibet pulsanti, & clamanti, *Domine Domine, aperi nobis*, responderetur: *Nescio vos.* At cum video Saulum inuitatum post excusationes multas tandem cœlestem adductum ad cœnam, innumerosque ad Petri aliorúmque prædicationem Apostolorum ex Iudæis ad fidem adductos: agnosco, quam facilè amantis Dei iracundiæ ignis refrigerio afficiatur. (Matth. 25.)

31. *Quum iratus fueris*, (cecinit Vates) *misericordiæ recordaberis.* Non post iram, sed cum iratus Deus, memor pietatis agnatæ, accipit refrigerium. Delinquit Adam, à cœnæ cœlestis participatione excluditur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, qui ad epularum cœlestium voluptatem fuerat inuitatus. Pergit Deus iracundia affectus ad hominis exitium puniturus transgressionem: *Tunc iratus Paterfamilias.* An homines omninò exclusit à conuiuio? *Cum audisset Adam vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem.* Gen. 3. Explicat Abulensis, *Contra auram; quia qui contra auram, id est, ventum mouetur, tardus mouetur.* An non etiam qui contra ventum mouetur iracundia flagrans, ab ipso auræ flatu refrigeratur? Ita planè. Deus itaque iratus in homines delinquentes, refrigerio affectus rursum eos excipit iam inopes, iam nudos, iam ex viis, ac sepibus spinis vulneratos ad cœnam. Abulensis addit, *Contra auram, quia a calore iracundiæ refrigerari volebat.* Aura enim, quæ illum à puniendo tardabat, refrigerabat.

Iratus Dominus quæuit aurã ad refrigerium ignis iracundiæ. Genes. 3. Abul.

32. Audi Ezechielem. *Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis. Ab aspectu lumborum eius & deorsum ignis: & a lumbis eius & sursum quasi aspectus splendoris, vt visio electri.* c. 8. Inter ignem irati Numinis signum quasi visio splendoris visebatur. Quidnam ille splendor? Theodotion, *Quasi aspectus auræ.* Quid cum igne auræ? Porrò Dei iracundia refrigerio addicta innuitur. D. Hieronymus, *Pro splendore auram. Theodotion transtulit, vt in superna Dei irati refrigeria demonstrarentur.* Vix igne succensus ostanditur, cum refrigerio affectus obiicitur: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

Cum ignem ostenditur aurã refrigerantẽ cupiat iterum. Ezech. 8. Hieron.

33. Apparuit Deus Eliæ. *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominũ; non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio; non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis; non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis.* Eo Dominum 3. Reg. 19. An non Deus solet iratus apparere? Ita planè. Sed qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur, non annotatur præsens cum spiritus commouet montes, cum terra commotione concutiuit, cum igne cuncta succenduntur: sed cum ex auræ tenuis sibilo ignis iracundiæ capit refrigerium. Aptè Hieronym. *Non in ignis ardoribus, sed in adspectu auræ tenuis atque lenissimæ apparet Deus. Vt Dei omnipotentis, seu irati, mansuetudinem comprobaret.* Mansuetudo enim, ac misericordia Deum velut aura refrigerat.

Iratus Dominus contra peccatores apparuit Eliæ in sibilo auræ. 3. Reg. 19. Hieron.

34. Expressit experimento doctus Dauid, *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit.* Psalm. 104. Cum Deus iracundior ostenditur, obducens cœlum nubibus, tonans vndique, ardentibus iaculis terram exterret, montes vulnerat. An perdet omnia iracundus fulminator? Minimè verò. Fulmina enim in pluuiá facit; simul fulminator & rigator apparet; vt iræ fulmina imbrium aqua extinguantur. Chrysostomus ait, *Vide rursus diuersas naturas conuenientes. Neque enim fulgure est quidquam magis igneum, neque aqua est aliquid frigidius. Ea tamen miscentur.* Vt videlicet irati Numinis ignis refrigerio affici videatur.

Cum Deus fulminator apparet, eius ignea ira pluuia extincta ob[...]citur. Ps. 104. Chrysost.

35. Tribus adolescentibus Hebræis ad fornacem immissis, *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem, & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, & non tetigit *eos omnino ignis.* Dan. 3. Cur flamma incendens quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis, non prosiliens vltra terminos fornacis quæsiuit Regem Proceresque, cuius iussu, quorum ministerio Diui fuerant addicti fornaci? Certè quia flamma progrediente, mox aura rorans excitatur ignis vim comprimens, ne vlterius desæuire valeret. Basilius, *Quando fornax supra cubitos quadraginta nouem effusa, eos, qui circumstabant, combussit omnes, Dei præcepto recipit in se spirantem auram.*

Cum succenditur iracundia Dei ignis, paratur aura rorans ad eius refrigerationem. Dan. 3. Basil.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba :

Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Iudæi se excusantes à cœna cœlesti traditi sunt hostibus puniendi: non ab irato Numine flagellantur.

Domino enim Regi indignum proprias iniurias propria manu vindicare.

36\. *Diuinũ proprium ab iniuria vindicãda abstinere.*

CVm ad meas aures peruenit vox illa: *Tunc iratus paterfamilias*, existimaui satellites immissurum, vt impudentes comprehenderent puniendos: vel properaturum, vt mucrone configeret, aut flagello vulneraret. Haud sic, sed Romanis, aliisque hostibus postmodum tradidit Iudæos, vt variis cladibus facerent deperire. Indignum planè Numini omnium Dominatori esset, proprias iniurias propria manu vindicare.

37\. *Filios Israël, se excusantes à cœna, olim Deus tradidit iratus hominibus puniendos, ne propria manu vulneraret.* Iud. 3.

Filios Israël Dominus cœlestem inuitarat ad cœnam, illi autem habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi: & duxerunt vxores filias eorum, & seruierunt diis eorum. Iudic. 3. En inuitatos nostros & habitationis villam, & seruitutem iugorum quinque, seu plurium deorum, & vxores sibi aptantes. *Obliti sunt Dei sui, seruieruntque Baalim, & Astaroth.* Vnde à cœlesti epulo satagunt excusari. *Iratusque contra Israël Dominus.* *Tunc iratus* (ait Lucas) *Paterfamilias.* Quid fecit iratus? An gladium strinxit, vt occideret? Certè *tradidit eos in manus Chusamrasathaim Regis Mesopotamiæ, seruieruntque ei octo annis.* Ne iratus Dominus Paterfamilias cogeretur propria manu percutere, tradidit in manus hominis puniendos. Edocens, diuinum esse à propriis iniuriis vindicandis abstinere.

38\. *Semei inurbanum admodum in Dauidẽ Rex tradidit Salomoni puniendum.* 3. Reg. 2. Hieron.

Quam inurbanus Semei in Dauidem inuitatorum imitator! Hunc iratus Rex tradidit Salomoni post annos puniendũ. *Habes quoque apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra; tu noli pati eum esse innoxium.* 3. Reg. 2. Quænam illa pessima maledictio? Hieron. lib. de trad. Hebr. *Pessima Hebraicè Nimrezeth dicitur, quod quinque literis enunciatur. Id est* נ nun, מ mem, ר res, צ zade, ת thau. *In nun intelligitur Neeph, id est, Adulter; in mem, id est Moabita; in res Rasa, id est. Impius; in Zade Zara, id est, Leprosus; in thau Thoaba, id est, Abominatus.* Quærit Theodor. q. 5 Cum Dauid dedisset Semei veniam, cur Salomoni iussit, vt illum puniret? Respondet autem, *Filij sui prouidens saluti, eum docuit, quæ ausus fuit, vt viri caueret prauitatem.* Porrò vt Salomon agnosceret Semei ingenium, sufficeret maledictionis seriẽ exprimere. Cur addidit: *Tu noli pati, eum esse innoxium?* Existimo iniurias sibi à Semei irrogatas vlcisci noluisse iracundia affectũ, sed filio Salomoni meritã pœna retaliandas commisisse: existimans Rege indignum, semetipsum iniuriis suis vel grauissimis vindicem admiscere.

Theodor.

39\. *Si non decet, metipsos defendere: quid vindicare?* Rom. 12.

Monuit Paulus, *Non vos metipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam.* Rom. 12. Preme particulam: *vos metipsos defendentes.* Si defensio prohibetur, quid offensio? Non vos metipsos defendatis. Curat Apostolus abstractos admodum esse Discipulos à propriarum iniuriarum vindicatione, dum hortatur eos à propria defensione abstinere, cum iracundia succenduntur. Caietan. *Non vos metipsos defendentes. Ad significandum, quod prohibet hominem per se ipsum propriam exercere vindictam.*

Caietan.

40\. *Deus per se ipsum præmia largitur, per alios punit iratus.* Matth. 25. Matth. 22.

Vidisti sæpe Dominum per se ipsum præmia iustis largientem; cum autem iracundia flagrans dare operam curat vindictæ, seruis committit. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Matth. 25. Cum autem vidit hominem Nuptiali stola non ornatum, tortoribus tradidit puniendum. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras.* Matth. 22. Et cur sacrilegum non per se ipsum puniuit iratus? Rege reputauit indignum suas per se iniurias vindicare. Chrysost. hom. 43. in Act. *Quando beneficiis opus est, se ipsum benefactorem vocat: Venite benedicti. Et iterum, euge serue bone, supra multa te constituam: & hunc quidem ipse benedicit. Illum autem malum non ipse, sed serui ligant.*

Chrysost.

41\. *Abrahamũ muneribus per se afficit, Sodomitas per Angelos punit.* Plato Gen. 18.

Ad Abrahamum fidelissimum Deus accedit, cum ipso sermonem familiarem texit, præmio quidem maximo eum donans. Nam, Platone auctore, *beneficium est præstantissimum Deos se beneuolos homini exhibere.* Porrò in Sodomitas iracundia succensus cum ostentatur ex nimia peccantium impudentia clamoribus proferentium delicta: licet ipse descendit vt videat, *vtrum clamorem opere compleuerint*; non tamen ipse miseras vrbes succendendas Angelis committit. Gen. 18. D. Chrys. citat. *Quando loquendum cum Abraham, ipse adest: quando in Sodomam adeundum, seruos mittit.* Per se itaque Deus homines seruat, per alios punit, innuens, diuinum esse à propriis vindicandis iniuriis abstinere.

Chrysost.

SECTIO III.

Cœna Eucharistia.

TEXTVS.

VERS. 16. HOmo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. 17. Et misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia, &c. *Parabola ad Eucharistiam accommodatio in comment. sect. 1. §. 2.*

IN

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM.

EX COENA EVCHARISTICA.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Homo quidam fecit cœnam magnam.

Eucharistia est cœna magna, seu cœleste epulum vitæ cœlestis continens delicias.

Vbi assero, dignè ad Eucharistiam accedentes vita æterna refici, beatitudine cœlesti potari, salutis scilicet præstantissimo pignore accepto.

1\. SI cœna magna vita æterna est, ac cœlestis beatitudo, vt vidimus sect. 1. aptè ad Eucharistiam homines inuitatur. Quid enim mensa Eucharistica nisi cœleste epulum, quo beati saginantur?

2\. *Vita cœlestis in Eucharistia.* Psal. 71. Lorin. Burg.

Dauid cecinit, *Et erit firmamentum in terra in summis montium.* Psalm. 71. Lorinus ex Galat. lib. 10. cap. 4. *Erit placentula frumenti in summis montium* (Burgensi exponente) *seu in capitibus Sacerdotum.* Galatinus, *Erit placentula rotunda.* Cur Eucharisticus panis orbiculari figura comedendus apponitur? Certè quia panis hic cœlestis est, seu cœlorum compendium, quapropter debuit formari ea figura, quæ propria cœlorum est, seu firmamenti. Quo sensu Hugo Cardin. *Erit firmamentum, id est cœlum seu vita cœlestis.*

3\. *Nobis porrigens calicem, iam de nostra beatitudine gratulatur.* Matth. 26. Remig.

Vnde ad calicem nos inuitans, iam de nostra salute gratias agit: quasi cœlo potiamur, cum beatitudinis pignore fruimur. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis.* Matth. 26. Cur gratias agit, cum calicem Discipulis porrigendum ostentat? Profectò agit gratias (ex mẽte Remig.) seu de nostra salute gratulatur. *Accipiens calicem* (ait Pater) *gratias egit. In quo ostendit, quantum de nostra salute gratuletur.* Respicit proculdubio inuentæ ouiculæ parabolam: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Luc. 15. Iubet hic sibi congratulari de oue inuenta; at calicem accipiens, ipse gratias agit, seu gratulatur. Cuinam, precor? Aut Patri ob ouem è calice inueniendam, aut ipsi oui, cuius inuentioni Eucharistius calix præparabatur.

Luc. 15.

4\. *Hæc cœna magna, qua saginantur Angeli.* Psal. 77.

Hoc est cœleste epulum, quod cœlicolis apponitur æternùm, beatitudine potitutis. *Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia.* Psalm. 77. De manna ne, an de Eucharistico pane sermo propheticus? Certè de Eucharistia, qua cœlicolæ saginantur. Audi Rupertum lib. 3. in Exod. *Quis namque hic panis cœli, panis Angelorum? Numquid Angeli illo pane cibantur in cœlo, quem populus ille colligens mola frangebat? Absit. Ergo panis cœli, panis Angelorum ille est, qui in Euangelio suo dicit, Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi; si quis manducabit ex hoc pane viuet in æternum. Hic enim victus est, & vita Angelica substantia nam in eo desiderant Angeli prospicere. Quia quod contempsit Angelus, cecidit, & factus est diabolus, qui huius panis sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, & mors illum sequitur.* Angelorum cœlestis vita cœna Assueri melioris interminabilis beatitudinis pignus in hoc pane hominibus exhibetur.

Rupert.

5\. *Angeli ad Abrahami tabernaculum descendunt, typo huius cœnæ reficiendi.* Genes. 18. Strab.

Vnde cum Angeli ad terras descendunt si excipiendi sunt cœna æternum illud epulum est repræsentatura. Tribus Angelis apud Abrahami tabernaculum exceptis hospitio Patriarcha profatur, *Ponámque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrũ,* Gen. 18. Strabus, *Buccellam panis in vnum corpus Christi redasti.* Preme illud: *Idcirco enim declinastis ad seruum vestrum.* An huiusce panis desiderio Angeli ad Abrahæ tabernaculum declinatũt? Profectò dum typicè celebratur cœna Eucharistica, & nondum Christus adest, qui mensam præparet in Empyreo, Angeli ineffabili huius panis desiderio ad Abrahæ sanctissimi tabernaculum ideo declinaruut, quia inibi vitulus, panísque cœnam Eucharisticam magnam figuraturus erat apponendus.

6\. *Spiritibus reficiendis Eucharistica cœna est spiritus, & vita.* Ioan. 6. Tertull.

Quonammodo, ais, Angeli spirituales possunt Eucharistico pane vesci, carne Dominica saginari? Porrò caro Christi quodammodo accidentium carnis desuescens, spiritus dicitur ad spirituum aptam refectionem. *Spiritus est, qui viuificat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ioan. 6. Ad quæ Tertullian. lib. de Resurr. carn. cap. 37. *Præmisit, spiritus est, qui viuificat, atque subiungit: Caro nihil prodest, ad viuificandum scilicet, sermonem constituens viuificantem, qui spiritus, & vita. Eandem etiam carnem suam dixit, quia & sermo caro erat factus Verbum caro factum est. Proinde in causam vitæ appetendus, & deuorandus, & ruminandus intellectu.* Si intellectu Verbum caro factum potest ruminari, iam non solum hominibus, verum neque Angelis quodammodo durus ille sermo: *Hic victus est Angelica substantia.*

7. *Multi in cœna hac apponitur, quia quotidie quasi moritur Agnus in Eucharistia ad æternam redemptionem copiosam.* Hebr. 9.

Multi vocantur ad cœnam, quia magna ineffabiliter: *Et vocauit multos.* Pro multis effunditur calix Eucharisticus: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Omnibus redemptio Eucharistico in epulo præparatur. Æterna mensa? Æterna redemptio. Ait Paulus, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, nec per sanguinem hircorum, aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Hebr. 9. Si semel mortuus quomodo æterna redemptio inuenta est? Quia infinitudine pretij omnem temporis differentiam ad redemptionis sortem est amplexus? Ita planè. Attamen in Eucharistici panis encomium, ex mente Paschasij, æterna redemptio hac magna cœna præparatur, in qua Dominus *quotidie quasi assistitur, & quotidie veraciter immolatur.*

Paschas.

8. *In Eucharistia Agnus & stat, & quasi occiditur cœna magna exprimens durationem.* Apoc. 5.

Ideo in mensa sacratissima Agnus semper tanquam occisus præsentatur. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum.* Apoc. 5. Quonammodo stat, si occisus est? An potest cadauer stare, si quis cadit, cadauer est? Stat verè, quia *resurgens ex mortuis iam non moritur. Tanquam occisus* autem obiicitur, quia quotidie velut moritur in Eucharistica immolatione ad redemptionis copiosæ æternitatem. Strab. *Quod autem Agnus ille cernitur veluti occisus, hoc vitam, & speciem illius post mortem, & immolationem exprimit. In illa namque immolatione tanquam verè occisus manifesta perpessionis suæ vestigia ostendit: quæ post suam quoque resurrectionem in corpore suo reliqua esse voluit.* Apertius Lyranus, *Dicitur Agnus ratione immolationis; propter quod etiam dicitur stans, quia resurrexit ad vitã immortalem; & tanquam occisus, quia quotidie in Ecclesia immolatur.* Si igitur *magnum epulum efficit apparatus, conuiuarum numerus, & duratio conuiuij,* vti de Assueri cœna scribebat Adamus: Magna cœna Eucharistica omnibus cœlestium epularum exundans deliciis, Angelis & hominibus præparata, æternùm duratura ad æternæ redemptionis documentum.

Strab. Lyran. Adam.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, &c.

Hora cœnæ hora mortis est.

Tunc etenim dignè Eucharistica cœna hærent inuitati, cum ita dispositi accedunt, ac si illicò è vita essent discessuri.

9. Anselm.

ANselmus, *Hora cœnæ finis vitæ est.* Ergo non erat cœna Eucharistica, quia hora cœnæ hujus vitæ est instantia: *Qui manducat hunc panem viuet.* Profectò cœna Eucharistica vita est ad vitam æternam hominibus præparata; sed vt viuat qui comedit, opus est, vt hora mortis instante mensæ hæreat, hoc est, vt sic comedere studeat ac si illico post epulum esset moriturus. Tunc enim ad vitam hic cibus absumitur cum homo sic paratur ad epulum, ac si duceretur ad mortem.

10. *Hora cœnæ Eucharisticæ est, cum venit hora transeundi à seculo ad Patrem.* Ioan. 2.

Hora cœnæ mors est? Iam calleo sensum difficilis sententiæ Dominicæ. *Quid mihi & tibi est mulier,* (apud Nuptiale Canæ conuiuium Christus inquit Deiparæ conuersionem aquæ in merum postulanti.) *Nondum venit hora mea.* Ioan. 2. Si non venit hora ad miraculi illius patrationem, quare mox aquam suauissimum conuertit in merum? Si autem hora iam venerat, cur obiicit horam non aduentasse? Rupertus ingeniosè respondet duplicem conuersionem à Deipara postulatam, vnam aquæ in merum, alteram verò meri in Christi sanguinem, ad corruptionem nostræ mortalitatis reparandam. Christus ergo primæ conuersioni operam illico impendens circa secundam excusatur, *Nondum venit hora mea.* Et quænam, precor, hora cœnæ Eucharisticæ? Porrò illa, de qua Ioannes, *Sciens IESVS, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem.* Hora scilicet Cœnæ Eucharisticæ est, cum est Dominus de hoc seculo ad Patrem transiturus. Curat Christus adstruere appositam ad recipiendam synaxim dispositionem: Hora est recipiendi Eucharistiam, cum est hora è seculo recedendi; quia recipis panem ad vitam, cum ita dispositus accedis, ac si illico esses è seculo discessurus.

Rupert.

11. *Vt viueret vidua panẽ Eucharisticum fecit, existimans se post epulum morituram.* 3. Reg. 17.

Eliæ panem à vidua Sarephtana petenti illa ait, *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* 3. Reg. 17. Si scis te illico morituram, cur de paraodo pane satagis? Da pauperi & morere, Domino litans farinam sicut Dauid aquam. Profectò in pane viduæ Eucharistica cœna figuratur, ad quam pergere oportet hora cœnæ, id est, hora mortis. Vis comedere vt viuas? Sic comede, ac si ad mortem post epulum tibi sit properãdum. *Vt comedamus, & moriamur.* Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 11. *Vitæ modus farinæ pugillus nobis constitutus est.* Id est nobis illa farina modum vitæ seu viuendi præscribit. *Vnum, idemque cibi, & mortis tempus præstolamur. Post hanc escam mortis pabulum erimus.* Preme particulam: *Vnum idemque cibi, & mortis tempus præstolamur.* Planè cœnæ tempus, cum mortis tempus est. Quia tunc comedimus ad vitam, cum illicò morituri ad cœnam accedimus.

Basil. Seleuc.

12. *Tunc cœnæ tempus, cum Dominus tẽpus suũ prope esse cognoscit, vt transeat ad Patrem.* Matth. 26. Chrysost.

Discipulis Dominus profatur, *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha.* Matth. 26. Vbi Chrysost. hom. 82. in Matth. *Tu autem perpende, quomodo virtus eius apparet. Non enim solum dixit, Apud te facio Pascha; sed illud præposuit, Tempus meum prope est.* Cur præposuit, *Tempus meum prope est*? Certè vt ostenderet horam cœnæ Eucharisticæ iam venisse. Non celebraui hoc Pascha, quia hora cœnæ nondum aduenerat. Iam hora cœnandi, quia iam hora moriendi.

13. *Licet domi Agnum comederent, nisi aduentante hora cœnandi.* Exod. 12.

Vulgarem illum Paschalis Agni comedendi ritum speciali pondere efferam. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. Cur baculi in manibus ostentantur?

ostentantur? Vt innuatur post epulum esse transituros ex Ægypto in terram promissionis, è seculo in patriam. Porrò dum iussus est Agnus præparari, monentur Hebræi huius cœnæ conuiuæ: *Decima die mensis huius tollat vnusquisque Agnum: & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis.* ibid. Cur post tot dies asseruatur? Quia nondum cœnæ hora instabat. Quænam illa? Quarta decima dies mensis cum baculi ad exeundum arripiuntur, hora est cœnæ, tunc comedunt, cum necessario sunt exituri. Rupertus lib. 2. cap. 3. in Exod. *Ne sitis ô conuiuæ, immemores, vel imparati, quia transeundum est: dum Agnus tot ante diebus de profectione paranda vos admonet.* Paratus ille potius admonet de cœna. Equidem de cœna monens consequenter admonet de profectione, de transitu. Quia tunc cœna vitalis, cum adesse horam moriendi conuiuæ præsumunt.

Rupert.

14. Addit Rupertus, *Quoties Agnus balatum emittit, toties quasi tuba sonitus exituras castrorum acies excitat.* Quam periculosa certamina militibus! Existima te ad bellum moriturus currere, cum ad cœnam accedis. Ideo Domini inuitantis ancillæ mittuntur vt ad mensam vocent & ad mœnia conuiuas. *Proposuit mensam suam, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Prouerb. 9. Quid mensæ cum mœniis? Quid vitali cœnæ cum mortis discrimine? Multum planè. Nam qui cœnam ineunt, vt viuant iuxta illud, *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, & bibite.* ibid. opus est sic accedere ad cœnam, ac si properaret ad mortis discrimina.

Cum instat hora cœnæ, venit hora pugnandi, & moriendi. Rupert. Prou. 9.

15. Redeo ad Sarephtanam viduam. *Ea, inquit, collige duo ligna, vt faciam mihi, & puero meo.* 3. Reg. 17. Duo ligna crucem exponunt, ex aliquorum Patrum sensu. Quid Eucharistico pani cum cruce? Augustinus serm. 181. de Temp. *Hoc signo crucis consecratur corpus Domini.* Aptius tamen dixeris simul crucem esse parandam & cœnam Eucharisticam instituendam; quia hora cœnæ est, cum crucis subeundæ tempus instat. Vnde vidua cœnam illam parans, simul cœnæ horam haud obscure designat. Tunc enim hora cœnæ, cum hora crucis præsentatur: *Sciens* IESVS, *quia venit hora eius.*

Ligno crucis consecratur corpus Domini, vt panes, ad crucem pergere, cum ad epulum accedis. 3. Reg. 17. August.

16. Tu igitur ita panem absumere cura, ac si non panem sed crucem, qua esses illigandus, acciperes. Panis enim Eucharisticus non solum super duplici ligno torretur: sed cum ipso conspersus obicitur. Vulgariter liceat exponere: *Esta la Eucharistia amasada con la cruz, y muerte, para dar vida. Venite* (impij proclamant) *mittamus lignum in panem eius.* Ierem. 11. Vbi Tertull. lib. adu. Iud. cap. 10. *Itaque in corpore eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans.* Lignum igitur quasi cum pane Eucharistico commiscetur, vt qui pergit ad panem, se existimet pergere in crucem. Vitaliter enim accipitur, cum instantis mortis meditatio nobis exponitur.

Hora etenim cœnæ est,
cum hora est
moriendi.

Eucharistia cum morte est conspersa, ad vitam. Ierem. 11. Tertull.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Dicere inuitatis, quia parata sunt omnia.

Omnia parata esse verè nuncius affirmat, Eucharistica cœna exposita.

Quia hoc in epulo Regis cælestis omnes diuitiæ continentur.

17. D. Cyrillus expendens conuiuij huius abundantiam, ait: *Parata sunt omnia, scilicet peccatorum venia, donorum Spiritus sancti participatio, adoptionis splendor.* Hic enim diues panis continens diuitiarum Dei thesaurum.

Cyrill.

18. Asserit Tertullianus lib. 2. ad vxor. cap. 9. Deum homini tradidisse *censum suum. Cui Deus censum suum tradidit.* Quinam hic census? Cerda noster, *sacra Eucharistia*, quam Doctor post quam *censum* vocauit, appellat *oblationem*, qua sacramentum Matrimonij confirmatur: *Vnde sufficiam ad narrandum felicitatem eius Matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio.* Cur autem Eucharistica oblatio Dei census dicitur? Planè quia omnium Dei diuitiarum continet abundantiam: *Todas las rentas* [illegible] *Dios es la Eucharistia.*

In Eucharistia totus Dei census. Tertull. Cerda.

19. Cum Iacob rore cœli, ac pinguedine terræ donatur: *In rore cœli, & in pinguedine terræ erit benedictio tua*, ipsius Dei diuitias accepit, nempe Eucharisticum panem & vinum, iuxta Paschasij expositionem, *Frumento & vino stabiliui eum, id est, corpore ac sanguine Domini.* Quænam itaque in pane diuitiæ? Liceat vulgari idiomate exprimere, *Tiene Dios toda su renta en pan, y vino.* Iuxta abundantiam ergo panis, & vini Dei diuitiæ sunt computandæ? Panis abundantissimos annuos redditus exprimam. Emptis pecunia quinque panibus, iussit apud deserta homines discumbere, *Accepit ergo* IESVS *panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Ioan. 6. Vbi D. Basil. Seleuc. Eucharistici panis sic redditus expressit. *O quas tunc res videre fuit! Panes parturiebant panes, & mensæ alimento extemporario differta erant, panes absque rusticano sudore parti non de spicis, sed de Domini manu efflorescebant.* An cœlestes dapes fructus agri cœlestis, flores semper sunt, qui alios opimos fructus nobis spondent? Semper fructus opimi, & simul aliorum fructuum flores. O redituum Christi abundantia!

Totus Dei census est panis & vinum. Paschas. Ioan. 6. Basil. Seleuc.

20. Omnes Dei thesauros continet Eucharistia? *Ex omni ligno comede, ex ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Gen. 2. Ad quæ Rup. lib 3. in Exod. asserit particula *ex omni ligno comede*, vnum arborem vitalem annotari. Homines ex ligno prohibito comederunt ab omni ligno, id est, à vitali arbore abstinentes? Operæpretium est, vt prohibito ligno dimisso, redeant ad vitale lignum, hoc est ad Eucharisticum cibum, ex quo qui sumpserit non erit sicut Dij, sed Deus appellabitur. *Comedite, hoc est corpus meum, comedite, & eritis Dij. Credamus verbo eius plusquam oculis nostris carnalibus, quibus non nisi exteriorem panis & vini speciem*

Eucharistia in omni ligno exprimitur, quia omnes Dei continet delicias. Genes. 2. Rupert.

intuemur. Et ita iniquam credulitatem patrum nostrorum pia credulitate in nobis ipsis euacuemus. Si igitur vous panis Eucharisticus io vnico ligno vitali exprimitur, quare dicitur, *Ex omni ligno comede,* Planè quia vnicum lignum omnis cœlestis paradisi contioet abundantiam Dei diuitias, ae delicias: io typum vnici panis, qui continet omoium saporum suauitatem. Damasceous lib. 4. de fide cap. 15. Ex omni ligno Paradisi comede. *De omni ligno quod est in Paradiso escam comedite; nam ipse est omne, & per quem homo est omne.*

Damasc.

21. *Qui recipit Eucharistiā omne est, quia omne recipit.* Exod. 16.

Est *omne* qui *omne* comedit. At cum *omne* comederit & *omne* factus fuerit, plus in *omni* cootinetur booorum, quo homo posset amplius *omne* ostentari. Mentem expendo. Ex manna neqoe qui plus collegerat, habebat magis; neque qui collegerat mious, minus habebat: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat reperit minus.* Exod. 16. Cur non reperit minos, qui minus paraoerat? Planè quia io vno Eucharistico pane *parata sunt omnia.* Particula panis est? Omnia est. Profectò cum recipiens omne in omne conuertitur, adhoe pia accenditur inuidia, quia omne potest magis omne ostendi. Saluiaous lib. 2. ad. Eccles. *Quidquid Passione sua Saluator prastitit, sicut totum et debent vniuersi, sic totum singuli; quod tantum acceperunt singuli, quantum vniuersi. Vbi enim hoc vnus accipit, quod v[illegible]se, etsi par est mensura, maior inuidia est.* Preme particulam, *Maior inuidia est.* Si recipiens omnia io Eucharistico omne fit, qui conuiua conuiuæ, potest inuidere? Certè quia omne factus magis omne fieri potuisset quemadmodum alij qui maiori dispositione, ac cordis dilatatione acceperunt. Licet eoim omnes digne accedentes ad cœoam omnia recipiunt io pane, & omne fiunt Dij scilicet effecti: plus omne exsurgit, qui omne digniori dispositione accipit.

Potest quis magis omne ostendi accipiens magis omne? Saluian.

22. *Omnia in Eucharistia, sed augentur ex dilatatione & fame hominis accipientis, quia plus omnia est, qui dignius accedunt, ostentantur.* Psal 80. Hieron. Luc 9. Nyssen.

Cecinetar ex persona Domini Vates, *Dilata os tuum, & adimplebo illud.* Psalm. 80. Hieronymus, *Quantum dilataueris, tantum recipies.* Ergo magis omne recipiet (sic liceat expendere) qui plus ad recipiendum obtulerit vacuitatis. Qui igitur amplius fuerit è pane satiatus panem efficiet magis omne quodammodo reddi. Post cœnam deserti Lucas ait, *Et manducauerunt omnes & saturati sunt, & sublatum est, quod superfluit illis fragmentorum cophini duodecim.* cap. 9. Post saturationem panis superfluit? Imo saturitas fecit illum augeri. Nyssenus in Cat. *Manducauerunt omnes, & saturati sunt, & sublatum est, quod superfluit. Panis paratur factus in manibus ministrantium: necnon per saturitatem edentium augmentatur.* Quonammodo augmentatur per edentiom saturitatem? Quia qui plos ex omni accipit, vt saturetur: panem illum, qui omnia est, magis omnia esse manifestat. Integram do Hieronymi sententiam, *Dilatate ora vestra, ipse est Dominus & panis; ipse hortatur nos, vt comedamus: & ipse noster cibus est. Quantumcumque dilataueris, tantum accipies.*

Hieron.

23. *In Eucharistia omnia accipienti parari ostendo; ad vita æternalis vsum.* 1. Cor. 15. Nyssen.

O felix conuioa omnibus præparatis vnica in cœna potiturus. De triompho Christi disserens Paulus sobiicit, *Vt sit Deus omnia in omnibus.* 1. Corinth. 15. Quæ sententia de statu gloriæ à quibusdam exposita, de statu Christi in Eucharistia aptè accipio, in qua Deus omnia in omnibus ostenditur. Nyssenus orat. in hunc locum. *Tunc ipse Filius subiicietur dicens: Deus nobis fit omnia, quæ vitæ videntur necessaria cum per quandam conuenientiam vnumquodque sumatur, ac percipiatur diuinius adeò, vt Deus fit nobis cibus vt eum est comedi consentaneum, & potio similiter, & indumentum, aër, locus, diuitia, pulchritudo, sanitas, robur. Adeò vt per hoc discamus, quod qui est in Deo omnia habet, quod illum habeat. Nihil autem aliud est habere Deum, quam Deo esse vnitum. Qui est*, inquit, *in Deo omnia habet.* Ergo accipiens Eucharistiam omnibus abuodat, quia Christus ipse profatur: *In me manet, & ego in illo.*

24. *Eucharistia vnicum Dei bonum omnia bona continens.* Ierem. 31. Hieron.

Ieremias elamitat, *Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini super frumento & vino.* cap. 31. Cur non addidit, *oleo, lana, auro, argento?* Certè quia in pane & vioo omnes Dei diuitiæ continentur. Hieronymus, *Super frumento & vino, de quo conficitur panis Domini, & sanguinis eius impletur typus, & benedictio sanctificationis ostenditur.* Adricit Propheta, *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur.* Chaldæus, *satiabo animam Sacerdotum delicijs, & populus meus bono meo, quod dedero eis, saturabitur.* Cur noo dixit de bono meo, aut de bonorum meorum particula? Planè quia Eucharistia voicum Dei est bonum, vbi euocta infinita bona cootineotur.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit, &c.

Tribus hisce inuitatis ad cœnam Eucharisticam, peccatores cuncti exprimuntur, quibus Eucharistica medicina offertur.

Nam ad vitia ex animo ableganda, Eucharistia agnata est medicina.

25. August.

PRæmitto D. Aug. apud Eman. de Sà profantem. *Sunt hæc tria excusationum genera, de quibus Ioannes, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Concupiscentia carnis, vxorem duxi. Concupiscentia oculorum, iuga boum emi quinque; sunt enim in sensibus principales oculi, ideo per eos cæteri sensus significantur. Ambitio seculi, villam emi.* Aptè ne hominibus vitiosis affectionibus sauciis Eucharistica cœna offertur? Ita plaoè ad vitiosarum affectionum præsentissimum medicameo. Venirent illi ad cœnam pœnitudine præmissa, à cunctis ægritudinibus sanarentur Eucharistiæ receptione.

26. *Eucharistici calicis ebrietas vitiorum trium ablegat ebrietatem.* Psal. 22.

Canentem audite Daoidem. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes, qui tribulant me: & calix tuus inebrians, quam præclarus est.* Psalm. 22. Tribulant concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ? Ergo parasti mensam, cœnam magoam apposuisti, calicem

calicem præparasti. O quam incongruè. An non vinum est omnium iniquarum affectionum excitamentum? Arnobius lib.2.adu.Gent. *Quid Deo cum vino est Veneri re proxima, neruos omnium debilitante virtutum, verecundia, pudoris, & castitatis inimica; quod in insanias, & furores mentes sæpius præcipitauit excitas?* O quam agnatum vinum Eucharisticum ad affectiones vitiorum superandas? Liceat prophano apophthegmate rem exponere. Quidam Paliurus immodico Baccho seruiens ad omnia vitia ebrius vtique properabat. Ab amico vberiorem calicem vini accipiebat, cuius vi prima ebrietas superata, somno profundissimo è secunda immisso, soluebatur. O spiritualis Eucharistici calicis ebrietas quam præclara es! Ebrium hominem efficis à noxia ebrietate liberari. Pulchrè Nazianzenus orat.35. de Eucharistico poculo asseruit, *Vim esse vitiosarum affectionum consumptricem.* Ebrietate enim vitali profundiori mentis soporatione exitialem expellit ebrietatem vitiorum.

Arnob.

Nazianz.

27. De Agni sanguine sic: *Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtramque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Exod.12. Quidnam, precor, poste in vtroque signabatur, quod oporteret salutari sanguine muniri? Porrò concupiscentia carnis, & superbia vitæ in vno ac altero poste designatur. In limine autem quid nisi vitæ superbia? Hæ quidem concupiscentiæ sanguine Eucharistico superandæ sunt. Theodoretus q.24. *Hac autem vniuersa Mysteriorum nostrorum sunt ænigmata. Nam eo nos vngimus Agni nostri sanguine non solum limen, sed vtramque postem; purgantes, & sanctificantes exterius linguam, & labra; interius autem, & secundum intellectum pro limine rationalem partem; pro vtroque poste facultatem irascendi, & concupiscendi.* Particula *concupiscendi* vtramque, (carnis & oculorum scilicet,) concupiscentiam signat: *Irascendi* autem ad vitæ superbiam accommodatur. Ergo Eucharistici Agni sanguis trium vitiosarum affectionum est medicina.

Triplex concupiscentia Agni sanguine vincitur.

Exod.12.

Theodor.

28. E carnis, oculorúmque concupiscentia cuncta vitia promanant? Homini igitur Eucharistia impenditur, qua accepta, homo carnalis totus spiritualis fiat, omni superata concupiscentia. E Dominico latere lancea compuncto *continuò exiuit sanguis & aqua.* Ioan.19. In cuius memoriam, Patribus attestantibus, Dominico in calice vinum aqua diluitur. An non aqua sic vinum intimè peruadit, sic ei vnitur medullitus, vt si nuper duo, iam vnum appareat? Homo per Eucharistiam Deo hærescens iam non homo, sed spiritus est. Clemens Alex.lib.2.Pædag. cap.2. *Amborum autem temperatura dicitur Eucharistia, quæ bona est gratia. Cuius qui per fidem fiunt participes, sanctificantur & corpore, & anima. Et hoc est bibere* IESV *sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Commoderata itaque proportione, & conuenientia vinum quidem aqua, homini verò spiritus admiscetur.* Nemo valet agnoscere vini ab aqua discrimen post admixtionem? Post Eucharistiam dignè acceptam homo factus spiritus exhibet vel minimum concupiscentiæ carnis oculorum documentum?

Eucharistia accepta, homo vertitur in spiritum, vnde omnis carnis, seu oculorum concupiscentia abraditur.

Ioan.19.

Clem.Alex.

29. Aliquando Christo discumbente, *factum est, ecce multi Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum* IESV. *Et videntes Pharisæi, dicebant: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?* Matth.9. En inuitatos triplici vitio affectos, concupiscentia carnis, oculorum, ac vitæ superbia. Quare Dominus peccatores suam admittit ad cœnam? Certè vt possit eo facto epulo ab omni concupiscentia liberare. Beda ad cap.2. Mar. *Ecce multi Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum* IESV. *Ibat autem Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos; quod in Mysteriorum figuris congruit.* Epulum illud figura erat Mysterij Eucharistici, & peccatores discumbentes doctrinæ pabulo sanabantur? Quanto efficacior Eucharisticum ipsum conuiuium ad omnium prauarum affectionum medicinam?

Cum peccatoribus Christus discumbebat, vt Eucharistico typico epulo prauas eorum curaret affectiones.

Matth.9.

Beda.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Et cœperunt simul omnes excusare, &c.

Quam ineptè excusantur à conuiuio Eucharistico, qui poterant ad Cœnam venientes à mundo, à diabolo, à carne liberari.

Eucharistia enim è tribus animæ hostibus illustrissimum agit triumphum.

30. PRemo adhuc Augustini sententiam trium inuitatorum excusationibus tres animi hostes contemplantis. Aptè itaque hominibus sub trium animæ hostium, mundi, diaboli, ac carnis potestate commorantibus Eucharistica cœna offertur, ad hostes animi superandos. Præmitto D.Cyprianum serm.de Natiu. *Sacramentorum communicatio, per quam Christi corporis synceritati vnimur, in tantum nos corroborat, vt de mundo, & diabolo, & de nobismetipsis,* (id est, de carne,) *victoriam patiamur.* Non ergo aptè excusantur conuiuæ tribus hisce hostibus obsequium præstantibus, si ab eorum tyrannide potuerunt sacro epulo diripi.

August.

Cyprian.

CAPVT PRIMVM.

Aduersùs mundum inuicti Eucharistia muniti dimicamus.

31. PRimus inuitatorum ait, *Villam emi, rogo te habe me excusatum.* O imbellem militem, quem villæ vis illigauit, ne ad cœnam procederes, qui potuisses Eucharistico epulo munitus, non iam villam sed totum mundum animi hostem validissimum superare.

Mundus figuratus in villa emptione.

32. Vident milites somnium, quod alteri vigili refert profatus, *Videbatur mihi subcinericius panis volui, & in castra Madian descendere.* Iudic.7. LXX. *Mensam* pro pane scripserunt. Mensa voluitur? An rotunda? Caietanus, *Ex eo, quod describitur panis voluens sese, insinuatur, quod*

Panis Eucharisticus est gladius fortiorum Gedeonis ad mundum

Madian subigendū. Iudic.7. Caietan. Psalm.71. Galat.

huiusmodi panis erat orbicularis figura. Eucharisticus panis, seu mensa rotunda planè iuxta Dauidicum, *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Psalm.71. Galatinus lib.10, cap.4. *Placentula rotunda instar molæ manus.* Alij *Erit orbiculus panis*, seu *panis orbicularis.* Orbiculus hic aduersus Madian seu vt aliquis ex Hebræo *litigantem orbem*, siue pugnantem mundum instar gladij exeruitur. Quid orbiculo cum orbe litigante? Profectò orbiculus Eucharisticus dum solummodo ostenditur urbis totius, seu mundi huius muros comminuit, solóque æquauit. Gladius etenim est fortioris Gedeonis. *Non est hic aliud nisi gladius Gedeonis.* Ibid. Bernardus serm.5. de Assumpt. *Cibus ad sustentandum, munimen ad protegendum, arma ad repugnandum, Gladius Gedeonis.*

Orbiculus hic orbem animi hostē euertit.

Bernard.

33. *Vt contra mundum muniamur, frumentum osculamur.* Psalm.2. Cyprian.

Dauid cecinit, *Apprehendite disciplinam.* Psalm.2. Vbi Lutinus ad Eucharistiam carmen allicit iuxta illam ex Hebræo lectionem: *Osculamini frumentum.* Aliter, *Armamini frumento.* Contra quemnam hostem Eucharistico vtimur armamento? Planè contra mundum auctore Cypriano, *Ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela. Quos tutos esse contra mundum volumus, munimento diuinæ saturitatis armemus.* Quidnam mundus? Certè Principes Ecclesiæ hostes, *Rectores* scilicet *tenebrarum harum. Idoneus esse non potest*, (Pater adiicit,) *ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit.*

34. *In terra, seu in mundo nostrum aduersus eum firmamentū Eucharistia est.* Psalm.71. Galat. Apoc.2. Thomas.

Alibi Vates, *Erit firmamentum in terra.* Psalm.71. In terra homini firmamentum! In mundo securitas? Ita planè Galatinus citat. *Futurum est, vt triticum palmescat, & ascendat sicut palma, & hoc in diebus Messiæ.* Triticum in terra palmescit, cum Eucharistia de terra, seu de mundo triumphum agit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Apoc.2. D.Thomas, *Vincenti datur, iis scilicet qui triumphant de mundo*, &c. Et quonam modo vinces, nisi Eucharistiæ armamento protegatis?

35. *Sua ditioni Christus mundum submisit.* August.

Non est hic aliud, nisi gladius Gedeonis. Christus Eucharistico gladio mundum suæ ditioni submisit. Augustinus lib.1. ad Ianuar. *Sacramento corporis Domini subiugatus est mundus.*

36. *Vomer tritici est gladius belli.* Isa.2.

Ita aliqui explicant illud Isaiæ: *Conflabunt gladios suos in vomeres.* cap.2. Quidnam, quæso, gladios in vomeres conuerti? Planè vomerum appellatione Eucharisticum frumentum innuitur, quod ex vomeris opere assulet exsurgere. Gladius erit vomer; quia panis est gladius ad mundi subiugationem. Caietanus: Ad acquirendum mundum, ad propagandum, ac conseruandum Christianum populum instituit Sacramenta cum sua perpetua præsentia: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.

CAPVT II.

Contra diabolum Eucharistia muniti procedimus.

37. *Diabolus assignatur in iugis boum.*

SEcundus inuitatus obiicit, *Iuga boum emi quinque, rogo te, habe me excusatum.* Augustini ex mente diabolus innuitur bouis, seu vituli appellatione. Multiplici diaboli iugo premitur, qui seruit iniquitati. O miserum, qui potuisses Eucharistico gladio diabolum comminuere, vt iugis confractis, vero Domino obsequium rependeres!

38. *Sanguine Agni Eucharistici armamur aduersus exterminatorem diabolum.* Exod.12. Ambros.

Moyses Hebræos aduersus diabolum esu ac sanguine Agni typici communiuit, quem ante noctem illam, qua exterminator in primogenitos Ægyptiorum desæuiit, immolauit. Exod. 12. Ambrosius ad Psalm. 118. accommodat locum argumento. *Ideò sanctus Moyses, vt hoc praueniret tempus, ac sine Hebræorum fraude transiret; Agnum antè immolauit, hoc est, vesperi; vt manducantes eum non occuparentur exterminatoris insidiis; ne inermes, & vacuos spiritualis alimenti nocturna specula tenebrosi hostis opprimerent. Præueni & tu insidias tentatoris, instaura prius cæleste conuiuium.*

39. *Exercitus cælestis ad diaboli iuga comminuenda conuiuium Eucharisticum est.* Isa.25.

Isaias ad hæc, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium.* cap.25. Si exercituum Dominus, cur operam dat conuiuio pinguium? Quid Marti cum deliciis? An non aptius Dominus exercituum armamentarium faceret? Profectò conuiuium Eucharisticum armamentarium est roborans fideles aduersus Principes tenebrarum. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.* Id est, multorum iugorum colligationem, diabolo corruente. Ait Salmeron tom.9. tract.2. *Dicitur hoc conuiuium instructum à Domino exercituum, quia pro exercitibus Ecclesiæ militantibus corroborandis, & contra malignorum spirituum exercitus confirmandis instructus est. Nam ante Eucharistiam facilè vincebamur, post illam terrori sumus diabolo.*

Salmer.

40. *Angeli decertabant cum diabolo pro hominibus, prius quam Eucharistico Manna reficerentur, iam ipsi repugnant.* Exod.14. Exod.17. Origen.

Priusquam Israëlitæ manna suauissimo reficerentur, cum hostibus manus conserere non audebant, Angeli pro illorum incolumitate decertabant. Pharao diabolus Hebræos persequitur? Angelus Domini eius currus euertit. Exod.14. At postquam Manna refecti sunt ipsi audaciores effecti, quiescentibus Angelis prælia instituerunt. Exod.17. Origenes hom.6. in Iud. *Antequam panis cælestis*, (meo accommodat argumento,) *consequamur annonam, & carnibus Agni immaculati satiemur, tanquam paruuli sub procuratoribus, & actoribus agimus. Vbi iam militiæ cælestis sacramenta gustauimus, & pane vitæ refecti sumus, audi quomodo per Apostolicam tubam suscitamur ad prælium.* Ante Eucharistiæ epulum pueri imbelles eramus, Angeli procuratores tutelares ad litem, ad certamina cum diabolo instituenda. Post cœnam Eucharisticam ipsi fortissimi procedimus ad certamen. *Panem Angelorum manducauit homo.* Psalm.77. Io Hebræo, *Panem fortium.* Panem inquam, quo fortes Angeli pascuntur, & roborantur, iam homo absumit, & fortis redditur ad prælia committenda.

Panis fortiū contra fortem.

41. *Eucharistia nos reddit sapientes & fortes contra Amalech diabolum.* Exod.18. Cyrill.

Iethro holocausta, & hostias offerente, *Venerunt Aaron, & omnes seniores vt comederent panem cum eo coram Deo.* Exod.18. Cur cœnæ hærent seniores populi ex Ægypto egressi? Certè vt mystico exprimente Eucharisticum epulo aduersus Amalech diabolum possent roborari. Sic D.Cyrillus Alexand. lib. de iustif. in Christ. *Quid adeò sub Dei oculis, atque in conspectu quam mystica mensa, & hostia? Eius sacramentorum virtus cum sapientes nos efficit, tum verò morte fortiores ostendit: occultum illum, atque spiritualem Amalech Satanam expugnans.* Sapiens ac fortis miles quàm aptus certamini!

quem

quem nec hostis astutia, nec tartari potentia possit infirmare.

41. Cur sapientes nos efficit Eucharistia, cum roborat? Planè quia oobis certandum cum coluhro pugnandi astu prædito. Ergo Eucharistia refecti tartareum colubrum facilè & sapientes & fortes superabimus. *Sacramentorum virtus tum sapientes nos efficit, tum morte fortiores.* Audi Petrum Damianum lib. 2. epist. 11. *Sacrificij salutaris hostiam satage frequenter efferre. Vt dum ora tua Christi prosp exerit cruore rubentia, territus contremiscat, pra sto diffugiat tartari coluber.* Tortuosus ille prudens, & fortis? Eucharistia *tum sapientes nos efficit, tum morte fortiores.*

Quia cum serpente prudenti, & forti, Eucharistia efficit nos prudentes & validos. Cyrill. Damian.

43. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 1. *Cum hospitium tuum aduersarius viderit occupatum, cœlestis fulgore præsentia fugiet, ac recedet.* Recedet ex eo, quem viderit Eucharistia refectum? Valido documento expendam. Iudas Dominum cœnæ Eucharisticæ hæresceus indignè pectoris hospitio recepit. *Cumque accepisset ille buccellam, continuò exiuit.* Ioan. 13. Præcipitauit planè Iudam tartareus hostis, qui in illius corde morabatur, vt illicò traderet Magistruo, & æternùm in Iudæ præcordiis posset ipse morari. Quid timuit? Timebat sibi ab Eucharistiæ virtute, fore vt si diu Dominus in Iudæ vel indigno pectore moraretur, ipse expelleretur, & victus abscederet. Cyrillus lib. 9. cap. 19. *Nam & Iudam cum post panem separauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderet, & ad meliora pertraheret, magna præcipitem agit celeritate.* Sibi coram indigoo communicante diabolus timet ex mente Dioi: & non totis artubus contremiscet, cum dignum hospitiumuum diuinæ præsentiæ fulgore viderit occupatum? O quot ex Christi præsentiæ fulgore scintillæ, quot fulmina aduersus dæmonis potestatem contorquentur!

Diabolus timuit, ne Eucharistia vel indignè sumptum roboraret aduersus ipsum, vt è corde expelleret. Ambros. Ioan. 13. Cyrill.

44. Mensam diabolos hominibus præparat aduersus animi puritatem. *Qui ponitis fortunæ mensam.* Isa. 65. L X X. *Dæmonio.* Porrò Dominos cœnam Eucharisticam aduersus illam mensam apposuit, qoa fortitudo dæmonis frangeretur. Cyrillus Ierosol. cat. 4. *Quam Deus nobis mensam proposuit aduersariam illi, quæ nobis antea parabatur à dæmonibus.*

Cœna Eucharistica aduersus diaboli mensam. Isa. 65. Cyril. Ier.

45. Principem tenebrarum harum quis homo imbellis poterit debellare fortissimom? Profectò puerulus, adolescentula, è cœna Eucharistica assurgens. Clamat Isaias, *Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes, surgite Principes, arripite clypeum.* cap. 21. Hortator planè Propheta infirmos Ecclesiæ milites, vt ex Eucharisticæ cœnæ refectione in Principes aduersùm tenebrarum Principem conuertantur. Hieronymus, *Vt comedentes, & bibentes corpus, & sanguinem Domini, vertantur in Principes Ecclesiæ.*

Ex cœna Eucharistica exurgitur Principes Ecclesia aduersus Principem tenebrarum. Isa. 21. Hieron.

CAPVT III.

Carnem hostem horribilem cœna Eucharistica superamus.

46. Tertius denique inquit inuitatus, *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Horribilior animi hostis loquitur impudentior. Cur non potes venire ô miser carni obsequia præparans? An qoia impuritas tantæ auersatur puritati? Ideò puritas taota potens impuritatem facillimo marte delere. O quam validum Eucharistia præsidium contra luxuriei impuritatem!

In vxoris ductione carnis animi hostis. *Ab ſeruis tur.*

47. *Vxorem duxi.* An facilè mundialis ab amplexu abstinebit? Porrò Eucharistiæ deliciæ superant, absorbent mundi voluptates. Nónne suauiora oscula cœlestis sponsi in Eucharistico Mysterio? Proclamat Sponsa, *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. D. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 2. hæc verba adscribit sponso inuitaori sponsam ad cœlestis epuli voluptatem, quæ eam efficiat obliuioni mundi voluptates committere. *Te Sacramentis cœlestibus dignum iudicat, & ideò inuitat ad cœlestem cœnam, inquiens: Osculetur me osculo oris sui.* Duxi, ais, *vxorem*, id est, carnis pugnant aduersus spiritum illecebræ. Ideò osculum hoc validè erit aduersus carnis voloptates impugnatio. Ex Hebræo, *Armet me osculo oris sui.* Et quomodo noo illicò taota suauitas cœlestis mundiales ooo vinceret voluptates?

Oscula purissima Christi in Eucharistia voluptatum carnis ablegant impudentiam. Cant. 1. Ambros.

48. Daoid annueos, *Panem*, sit, *Angelorum manducauit homo.* Psalm. 77. Cur Angelorum panis dicitur Eucharistia? Quia infirmos ex carnis vi homines fortes efficit spiritus abstractos à carne. In Hebræo, *Panem fortium.* Qui fragilitate laborabant, iam carnem exuentes, Eucharistiæ epulo conoersi in spiritus ostentantur. Augustinus ad Psalm. 146. *Hæc est annona præliantium de horreis inuicta Dominica: Vnde pascuntur Angeli, quia panem Angelorum manducauit homo.* Aprius dixisset, *vnde pascuntur Angeli, quia Angeli manducauerunt.* Quomodo Angeli pascuntur, quia homines manducauerunt? Profectò dum pascitur homo iam manducat Angelos; quia hoc epulo homo in Angelum conuertitur, corpore quodammodo ablegato.

Panis hic Angelos facit puritate conspicuos. Psalm. 77. August.

49. Tres viri habitu militari apud hanc mensam Ezechieli obiiciuotur: *Ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum.* cap. 9. Quare? Vt discernerent Angelicos homines ab hominibus. Hoc est, vt Angelos factos homines admitterent ad cœnam; quia panis hic Angelorum est militum stipendium post detriumphatam scilicet carnem. Paschasius lib. de corp. & sang. Dom. cap. 9. *Per quod virorum præsens altare, quo librum vita, & stipendium militia nostræ sumimus, manifestissimè designatur. Ideò benè iuxta illud altare perhibetur Sacerdos Christus in medio sex virorum, vt milites ad stipendia vita accedentes diuinitus discernat.* Quósnam milites? Discernat vtrique Angelos ab hominibus, seu Angelicum à carnali. Algerus lib. 1. de Eucharist. cap. 21. *Simus spe, & conuersatione cœlestes; quia panis Angelorum non nisi Angelica vita est stipendium.* Itaque homines ad epulum Eucharistiæ accedere idem est ac Angelicam induere puritatem carnis mollitudine omninò superata.

Christus discernit Angelos ab hominibus, dùm acceptus in Eucharistia homines facit Angelos, discernens quid spiritale est, ab eo, quod carnem sapit. Ezech. 9. Paschas. Alger.

50. Cur existimas apud desertum panes Eucharistiæ typum viris speciatim appositos? Non meminit Euangelista mulierum, quibus carnis fragilitas, ac mollitudo signatur, quia Eucharistia mollium non est. Ioan. 6. Vbi Cyrillus lib. 3. cap. 16. *Omnibus*, (ait,) *qui viriliter probitatem amplectuntur, non imbellibus, ac mollibus cœlestis à Saluatore cibus præbetur.*

Non mollibus datur hic panis, sed Angelis fortibus à carnis fragilitate abstractis. Ioan 6. Cyrill.

51. Fatur Dominus, *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquila.* Matth. 24. Vel odor Eucharistici

Vbi odor esco

Corporis Dominici homines facit aquilas, seu cœlestes. Matth. 24. Chrysost.

Eucharistici epuli homines cœlestes conuertit in aquilas. Chrysostomus in 1. ad Cor. hom. 24. *Ibi congregabuntur & aquilæ, ait Dominus, ostendens, quod oportet, eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune.* Euthymius, *Aquilas nominauit iustos tanquam virtutibus sublimes & regios.*

52\. *Eucharistia homines facit lapides ex incorrupta integritate. Zach. 9.*

Ideò, inquis, quia duxi vxorem, *non possum venire*, quia aquilæ, seu Angeli non sum prædictus puritate. Excusatio friuola, si panis hic vim habet virgines efficiendi. Zachariam audi, *Lapides sancti eleuabuntur super terram eius; quid enim bonum eius, aut quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* cap. 9. Eucharistiæ receptione qui mollis est, qui fragilitate premitur, fit lapis fortissimus.

Ribera.

Ribera, *Non mirum est, tunc eleuandos esse lapides sanctos, quoniam donauit eis Deus bonum omnium maximum, quod habet: frumentum scilicet electorum, id est, panem cœlestem, qui eos nutriat, & confirmet, & quasi lapides faciat ad tentationes carnis ferendas; & vinum germinans virgines.* Discernit igitur Dominus spirituale à carnali, & inuitatos, qui se excusauerant aptos reddit suæ cœnæ celebratores, sancte Malachia,

Mal. 3.

Colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia. cap. 3.

53\. *Tres animæ hostes non potuerunt triumphare Eucharistia temulentis, quia Eucharistia est Sol, vbi Christus dimicat.*

Enim vero, si triplicem Eucharistiæ triumphum Quadragiota horarum solemni cures accommodari, vbi vita cuncta Eucharistico gladio superatur: Certè tribus hisce diebus olim impudicitiæ dicatis tres animi hostes mundus, diabolus, caro ab hominibus illustrissimas reportauere victorias. At postquam animus Sociatis IESV industria Eucharistico gladio protegitur, & militaris sapientiæ cœlestis mensa illa apponitur, cuncti hostes trium dierum circulo vulnerantur exitialiter, & omnino comminuuntur. Christus etenim est Iosuë dimicans ac simul Sol offerens militibus suis diem triplicatum. Dauid, *In sole posuit tabernaculum suum.* Psalm. 18. Hugo Cardin. *Tabernaculum dicitur caro eius, in quo sicut in tabernaculo dimicauit.* Caro Christi seu corpus sol est, in quo Dominus dimicauit? Ergò ad hostes horribiles mundum, diabolum, ac carnem superandos triplici in die pugnantes aderit solis opera, nec horum dierum tenebris Ægyptiacis aduersaria latitabit iniquitas.

Psalm. 18. Hug. Card.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum.

Quam demens inuitatus ille, qui cœnam Eucharisticam pro villa, id est, terrenis bonis commutauit.

In cœna enim Eucharistica cœlestium bonorum fruimur abundantia.

54\. *Quandoquidem*

QVidnam emere villam? Gregorius apud Sab. *Villa, terrena substantia, ad quam exit, qui sola exteriora cogitat.* Nec enim terrena substantia, (si substantia & non aptius accidens vocitanda sit,) intus plena poterit reperiri. Gentilem audi, *Bona mentis fundamentum quod sit quæris? Ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi, etiam culmen est. Ad summa peruenit, qui scit, quo gaudeat. Hoc antè omnia fac, mi Lucilli, disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui spes dulcissima oblectamenta deuitandas existimo. Imò contra, nolo tibi vnquam deesse lætitiam. Volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si intra te ipsum fit. Cætera hilaritates non implent pectus, sed frontes remittunt, leues sunt. Nisi fortè tu iudicas, illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus.* Sic Seneca epist. 23. Illud speciatim preme: *Nascitur, si intra te ipsum fit.* Profectò si ex Ambrosio, aut Chrysostomo hanc transcripsissem sententiam, existimarem duraturam Eucharistiam esse scriptori, Eucharisticus enim cibus intra nos est. Cuncta bona mundialia non implent pectos, sed frontem remittunt. De Eucharistico autem cibo Vates, *Dilata os, seu pectus tuum, & implebo illud.*

villa non ad diuitiarum augmentum, aut ad voluptatem desiderata, potest, habes in Eucharistia. Gregor. Senec.

55\. *Cœna hæc satiat, & qui implentur, maiori afficiuntur desiderio cibi. Exod. 16. Tertull. Chrysol. Damian.*

De Manna Israëlitarum sapiens, *Paratum panem de cœlo præstitisti illis omne delectamentum in se habentem.* Exod. 16. Tertullianus asseruit lib. de ieiun. adu. Psych. *Manna cœlum fragrare*, id est, cœlestes delicias redolere. De Eucharistia autem Chrysologus Manna suauiori serm. 1. ait: *Mensa Patris non aliis virtutis cibo, filialis epulo, deliciis honestatis, & gloriæ.* Saturitas meosæ mundialis vacua est, Eucharisticæ cœnæ vel fames est plena. Damianus serm. 32. *Quam deliciosa fame affligitur, qui cœlestis prompenarij dapibus saturatur, cui cœlum fit cellarium cœlestis promus exhibet ministerium.* Mundi mensa suos conuiuas vacuos mittit, & molesta saturitate plenos: Cœna Eucharistica plenos fouet, ac iucundissima fame retinet affectos, O beati, qui *esuriunt*, & saturantur. Satietas enim maius excitat cœnandi desiderium.

56\. *Villa abundat frumento & vino: cœna Eucharistica horreum ac torcular cœleste est. Zach. 9. Fulbert.*

Quidnam videre cupis in villa? An frumentum? an vinum? Proh Eucharistici frumenti, ac meri abundantiam! *Quid bonum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zach. 9. Si omnino à terrena villa recedis, apud cœnam Domini eam cœlestis horrei, ac torcularis experieris redundantiam. Fulbertus Carnot epist. 1. *Exere palatum fidei, dilata fauces spei, visceru charitatis extende, & sume panem vitæ interioris hominis alimentum non arte pistoria fermentatum, sed incarnata Deitatis vitale pulmentum. Sume vinum non sordido calcere calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta, inquam, cœlestis ferculi suauitatem; sed ne nausees terreni germinis saporem.* Omnino à villa recedendum, si expetis cœlestis hæreditatis germinibus satiari.

57\. *In villa mel. In redundantia? In Eucharistia de petra mella satiamur. Psalm. 80. Hieron.*

In villa mundi quid amplius expetis? Placétne post frumenti ac vini abundantiam redundantia mellis? Proclamat Vates, *De petra melle saturauit eos.* Psalm. 80. Vbi Hieronymus, *Ipse frumentum est, ipse petra, qui populum Israel satiauit aqua in deserto spiritualiter, melle & non aqua saturauit eum. Ve quicumque crediderunt, & acceperunt cibum, mel sentiant in ore suo Deinque Dominus noster post Resurrectionem propterea fauum comedit, & de petra melle saturatus est.*

Ergò

Ergò rem dico nouam, ipsa petra mel comedit, vt nobis mel tribueret, & dulcedinem. Vt qui in lego biberant myrrham, hoc est, amaritudinem: postea in Euangelio comedant mel.

58. *In villa requies, & relaxatio curarum? In cœna Eucharistica dulcior somnus, securior quies.* Cant 5.

Villa nè ad requiem post ciuitatis curas, ac sollicitudines captandam? Apud cœnam Eucharisticam securior quies, somnus suauior. *Ego dormio*, (clamat Sponsa,) *& cor meum vigilat.* Cant 5. Vndénam sponsæ tanta quies nisi post absumptum suauissimum cœnæ Eucharisticæ alimentum? Præmiserat fœlix, *Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Quid mirum somno dulcissimo potiatur ex fructibus villæ cœlestis conceptos Nyssenus hom.10. in Cant. *Post illud epulum sponsa tenetur somno. Qui dormit, non vigilat: & qui vigilat, non dormit.* Addit opportunè, *somnus est mortis similitudo. In eo enim soluitur omnis sentiens corporum operatio, cum nec visus, nec auditus, nec odoratus, nec gustus suo fungantur munere.* Post cœnam Eucharisticam, post sopor apprehendit sponsam mortis quidem imago; quia viuificum epulum eam reddit huic sæculo mortuam.

Nyssen.

59. *In villa ad gustum Agnus, Vitulus? In cœna Eucharistica quid vsq; innocentia victima.* Gen.27. Ambros.

In villa, ais, agnum, aut vitulum è grege seligo ad gustus synceram satietatem. In mensa Eucharistica solus panis ac vinum apponitur. Ita ne? An Agnus, an vitulus deficit vbi Abelis sacrificium, vbi prodigi reditus instauratur? Memor Iacobi pergentis ad gregem, vt patris benedictionem acciperet, accumbe Isaaci mensæ. *Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit.* Gen. 27. In victima & pane adumbratum Christi sacrificium, seu Eucharistiæ epulum. Ambrosius lib.2. de Iacob, cap. 2. asserit. *Accessit ad oues Iacob, & attulit innocentia partus; quia Patriarcha cibum nullum credidit dulciorem esse, quam Christum, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut Agnus ad victimam. Hunc communi parenti cibum videm indicabat, quo futura erat remissio peccatorum.*

60. *In villa agrorũ fragrãtia? Hac in cœna odor agri pleni.* Genes.27. Ambros.

Apud villam sensus oblectamento odoris afficimur. Si Isaaci spiritum æmulareris, toto clamitasses spiritu, *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen.27. Omnium virtutum halat gratiam, qui apud Eucharisticum plenum agrum commoratur. Ambrosius citat. cap.1. *In sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. Quam continens erat parsimonia! Quam pius erga parentes! Quam religiosus, vt fratrem recusaret lædere! Quam verecundus, vt patrem timeret fallere! Quam honorificus, vt matri, quod iubebat non posset negare!* Et quomodo non omnibus virtutibus emicaret, qui manibus Eucharistici Agni simulacrum deferebat, Isaaco mysticum epulum ministrabat in sacerdotalis muneris documentum?

61. *Falsò obiicit inuitatus sibi necessitatem esse vidẽdi villam, qui in cœna Eucharistica habet aduersus dominos villa armamentarium.* Psalm.22. Chrysost.

Necesse, demum, ais, *videre illam* villam, quam emi. Vndénam ista, quæso, necessitas? Cupiditates, delectationes, sæculi honores in me dimicaturi è mundiali villa exurgent, si à villa, seu à mundi recessero ditione. O friuola excusatio! Ideò cœna Eucharistica apposita est tibi aduersus villæ incolas mundialis, nè sit tibi necessitas seruiendi. Audi Dauidem. *Si ambulauero in medio vmbra mortis; non timebo mala, quoniam tu mecum es. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Psalm.22. Vbi Chrysostomus, *Hac cœna agnoscitur altaris Domini consecratio. Parasti in conspectu meo mensã,* &c. *Qui sunt isti, qui tribulant me? Suggestiones inimici, excogitationes, cupiditates, delectationes, honores* villæ *sæculi.* Fingis seruiendi diabolo villæ Domino, vti Prodigus, necessitatem, & renuis accedere ad cœnam, vbi inuenies aduersum hostes armamentarium.

Observat. VII.

Ad illa verba:

Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

Inuitatus infœlix, vt plurium dominorum seruitutem emat, Eucharistica filiorum mensa priuatur.

Quam à seruitute abstractus, qui cœna Eucharistica fruens, in Deum conuertitur!

62.

Ex mente Augustini, & aliorum vidimus plurimis submitti iugis importabilibus, qui animi noxiis seruit cupiditatibus. Quam miserè, vt tibi iuga emas, compares pretio seruitutem, à cœna recedis vbi Deus omnium dominator exurgis!

63. *Eucharistiã sumentes, Deifico nos à sanguine gloriamur.* Clem.Alex.

Seruire satagis, qui Eucharistico cibo assumpto, potes de Deifico sanguine gloriari? Clemens Alexand. lib.1. Pædag. cap.6. *Omni ergo ratione nos in omnibus Christo coniungimur, & familiares reddimur, & in cognatione per sanguinem eius, & in mutua affectione, & consensione per nutritionem, qua ex verbo efficitur. Vnicuique nostrum, qui infantes sumus, licet Domino gloriari, & eloqui: Patre bono, æquè bono me sanguine glorior esse.*

64. *Reddimur ex Eucharistico epulo aquila Regiæ, seu Deifici, à seruitute liberi.* Deut.32.

Deus aquila homines satagit in aquilas conuerti. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos.* Deut.32. Et quonam modo homines in aquilas Dei filios mutantur? Epulo planè Eucharistico, fante Domino. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila.* Matth.24. Congregabuntur homines inuitati ad cœnam corporis Dominici, & Regia aquilarum natura, iugis seruitutis abiectis, induentur, vt Dei in morem omnia sub pedibus obiecta possint aspicere. Chrysostomus hom.24. in 1. Cor. *Ad hoc nos induxit sacrificium illud formidandum, vt aquila facti ad ipsum cælum euolemus, vel potius supra cælum. Vbi enim cadauer, illic & aquila. Aquilas appellat, vt ostendat, ad alta eum oportere contendere qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi, & repetere, sed ad superiora semper volare.* Aquila es aquilæ magnarum alarum filius, Rex suprà cœlos, & expetis tot iugorum seruitutem?

Chrysost.

65. *Quos reficit Dominus Eucharistia materna miseri-cordia, quã Dei filij.* Psalm 30. August.

Dauid, *Propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* Psalm.30. Vbi Augustinus, *Enutries me, vt validus sim ad manducandum escam, qua pascis Angelos; hoc enim lacte nos nutriuit, qui nobis cælestem cibum promisit, & vsus est materna misericordia.* Preme illud: *Qua pascis Angelos.* Profectò aptius dixeris, *Qua pascis filios*, si

materna

materna oos Dominus misericordia pascit, eum Eucharistico cibo reficit. Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. *Lacte, Dominico scilicet nutrimento,* (id est, cibo, qui decet Dominum,) *statim postquam editi sumus, pascimur, simul autem ac regenerati sumus, honore sumus affecti,* filiorum Dei.

Cyril. Alex.

66. *Quasi plures Saluatores ex Eucharistia lacte procreantur.* Cant. 4. Chald.

Christus Ecclesiæ vbera commendat. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Cant. 4. Chaldaïcè, *Duo Saluatores tui, qui te saluaturi sunt, similes sunt Moysi, & Aaron, qui comparati sunt duobus hinnulis gemellis capreæ.* Moyses & Aaron Israëlitici populi vbera appellantur, quia suauissimo Manna refecere Hebræos. Quinam autem duo illi Saluatores Moysi ac Aaroni similes? De Zorobabele, & Iesv filio Iosedech interpretes exponunt. At dixero, verbo illo: *Duo saluatores tui,* non vnum & alterum Israëlitarum Saluatorem designari, sed pluritatem innui Saluatorum, qui ex Mannæ epulo nutriuntur. Potest ne homo ex vberibus Ecclesiæ verum Manna exugere, & non Saluator Christi frater exurgere. Tot ergo ex vberibus hisce Saluatores prodeunt, quot homines ad sacratissimam cœnam accedunt.

67. *Deus nos Eucharistia nutrit in Deus?* Ose 11. Hieron.

De Nectare, & Ambrosia reddente homines diuinos ac immortales confictionem audistis? Percipe veritatem. *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis: Et declinaui ad eum, vt vesceretur.* Ose. 11. Ad quæ Hieronymus, *Narrat quo Israël amore dilexerit. Ego, inquit, qui Pater eram, nutricius factus sum, & filium seu paruulum meum in humeris ipse portabam. Dedi eis escam Manna in deserto; pro quo interpretatus est Symmachus, & declinaui ad eum cibos.* Sapiens Manna *bonam escam* appellat. cap. 16. Græcè est, κρύς ταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς. Christallū, id est, *glaciale genus Ambrosianæ escæ.* Inde cœli panem ad Deorum cibum & potum Gentilitas transtulit. Dicitur Ambrosia, quod mortales non comedant; sed si eam comederent, fierent immortales. Nectar quoque dicitur, eo quod immortalium Deorum sit potus. Figmenta planè hæc, sola in cœna Eucharistica vera; nam qui comedit Ambrosiam corporis Christi, & sanguinis Nectare potatur, immortalis redditur, & diuinus.

68. *Morimur velut homines, ex Adamo, & ex Christo viuimus sicut Dens ob Eucharistiæ epulum.*

Iam Dauidici Carminis sensus facilis: *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini.* Psalm. 81. Si Dij, quomodo moriuntur, cum immortalitas competat Deitati? Porrò *sicut homines moriemini.* Quia Dij estis, non moriemini, quia autem homines estis morte estis afficiendi. Hebraïcè, *Vos autem sicut Adam moriemini.* Ad cœnam magnam Dei Adamus inuitatur, vt de ligno vitali comederet, vt Deus fieret immortalis. At quia cibum veritum mancipiorum sumere præsumpsit, amisit Deitatem, addictus est morti. Ex Adam igitur morieris, viues ex Christo. *Vos autem sicut homines moriemini,* sicut Dij & filij excelsi Deificam traheris immortalitatem.

69. *Fratres sumus Iesv nō morituri post cœnam Eucharisticā.* Matth. 28. Seuerian.

Fratres Christi, qui non moriuntur, erunt Eucharistia refecti. Post Resurrectionem Dominus piis mulieribus indicit, *Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matth. 28. Ab Euangelistis hactenus dicuntur Apostoli, aut Discipuli, aut proprio vnusquisque nomine designatur: nunc autem fratres Christi dicuntur. Cur ita? Seuerianus serm. de Pasc. *Vocat fratres, quos corporis sui fecit esse germanos. Vocat fratres, quos benignus hæres sibi præstitit cohæredes, quos Patris sui adoptauit in filios.* Apostolos itaque illustrissimo fraternitatis honorat elogio post cœnam Eucharisticam, vbi illos corporis sui fecit esse germanos. Fratres autem vocitat postquam resurgens à mortuis *iam non moritur,* vt innuat hominum ex Eucharistico epulo immortalitatem. Sicut enim homines moriuntur, sicut Christi fratres viuunt in æternum.

70. *Eucharistiā accipientes Patri conformamur Deo.* Marc. 2. Chrysost.

Pharisæis Iesvs, *Numquid possunt filij Nuptiarum, quandiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare.* Marc. 2. Vbi Chrysostomus hoc ieiunium pro abstinentia ab Eucharistia accepit. Ab hoc cibo non possunt Christi Discipuli inuitati ad cœnam magnam ieiunare. *Filij sponsi cum sponso coniunguntur in Nuptiis, Regalem semper comedent cœnam Patri conformati.* Reges erunt Dei filij nullius tyranni Domini iugo illigati.

71. *Hoc cibo ad Deitatem immortalem reficimur.* Luc. 22. Cyrill.

Accepto mystica in cœna pane, Christus *gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Luc. 22. Cyrillus apud D. Thom. in Cat. exposuit. *Virtus enim viuificatiua Dei Patris vnigenitum Verbum est, quod caro factum est, non desiuens esse verbum, sed efficiens carnem viuificatiuam. Conuertens oblata in veritatem propria carnis; vt corpus vita quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.* Semen nobis viuificum Eucharistia? Quidnam obsecro? Certè Eucharistia refecti, qui semen mortis in paradiso hausimus, quasi quodam viuificatiuo semine Dei vita ad immortalitatem reficimur, & ipsius Dei vita quodammodo viuimus.

72. *Hoc epulo refecti, Deū Regem induimus.* Luc. 22. Chrysost.

Addit Dominus, *Hic est Calix nouum Testamentum in sanguine meo.* Luc. 22. Ad quæ inibi Chrysostomus. *Hic enim sanguis operatur in nobis imaginem Regiam, nobilitatem animæ non permittit marcescere, protinus irrigans animam, magnámque aspirans virtutem. Hic sanguis effusus lauit orbem, & adibile fecit cœlum. Huius participes sanguinis, sunt supernis virtutibus amicti, Regio pallio, magis autem ipso Rege induti.* Rex esse potes ad cœnam accurrens: & expetis diaboli seruitutem? & exoras haberi excusatum? & petis permitti iuga boum videre, seu mundi seruitutibus tot implicari? Quam miser, quam cœcus, qui potens Deos effici in cœna, ieiunio pressus multiplicis seruitutis ambit vinculis implicari.

Observat. VIII.

Ad illa verba:

Vxorem duxi, & ideò non possum venire.

Nil magis repugnat cœnæ Eucharisticæ puritati, quam libidinis voluptates. Ideò se venire non posse affirmat, qui duxit vxorem.

Si non potest decenter cœnæ huic interesse,
qui licitis dedit studium voluptatibus;
quid Veneri iniquæ libans obsequium?

73. August. Gregor.

Avgustinus apud Saà. *Qui dixit, Vxorem duxi, carnem amplexatur.* Et D. Gregorius.

Bonam

Bonum coniugium, sed quidam per hoc voluptatem expetunt; ideò per rem istam non incongruè significantur iniusta. Qui ergo voluptati studebat non rogat, *Habe me excusatum*; sed asserit, *Non possum venire.* Tanta enim est huius cœnæ puritas, vt quasi impossibile sit voluptatum amatori mensæ sacertimæ hærescere. Imò exponentes locum de licitis Nuptiarum voluptatibus, ad illicitas validius surgit argumentum. Ac si diceres. Si qui licitis Nuptiarum deliciis studebat, quasi venire non poterat ad cœnam Eucharisticam: quid, quæso, prosateretur, si se luxuriei vulnere saucium inuenisset?

74. *Non potest excipi hospitio Christus nisi in pectore pudico, vnde impudicus non potest venire.* Matth. 8.

Certè pudicitia pectoris, seu castitas necessarius est accipiendi hospitio Domini apparatus. Si me saucium comperero impudicitiæ vulnere, haud dignum Deo præparo habitaculum, veracitérque potero inclamitare, *Domine, non sum dignus, vt sub tectum meum intres.* Matth 8. At si pudicitia, ornatum pectus præsensero, Altissimum casa stricta potero complecti. Dauid cecinit Dei in Eucharistica cœna altitudinem. *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Psalm. 11. Ex Hebræo Genebrardus, *Secundum altitudinem tuam epulatio filiis hominum.* Scilicet Deus altitudinem, seu maiestatem suam ostentat, cum epulum hominibus præparare dignatur. Totam contemplor Trinitatem per concomitantiam Christi corpori hærescere, vt hominis pectore recipiatur. Et quonam modo poterit tam angusta domus Deum secundum altitudinem infinitam recepiare? Planè pudicitia efficit pectus tuum tantæ altitudinis capacem. Concinit cum Dauide Prudentius Præfat. Psychomac.

Psalm 11. Genebr.

Castitas facit pectus tuum tantæ Altitudinis capacem. Prudent.

> *Mox ipse Christus, qui Sacerdos verus est,*
> *Parente inenarrabili, atque vno satus,*
> *Cibum beatis offerens victoribus,*
> *Paruam pudici cordis intrabit casam,*
> *Monstrans honorem Trinitatis hospita.*

Cor enim paruum ex pudicitiæ ornatu capax fit Christi cum Trinitatis comitantis curat monstrare honorem, seu altitudinis maiestatem. Quemadmodum ergò pudici pectoris domuncula totus Deus secundum altitudinem suam commoratur, pectus impudicum haud potest vllam Dei particulam, (sic liceat explicare,) excipere. Vnde Cassia, *Non potest Deum excipere immunditia.* Ergò vxorem duxi, & ideò non possum venire ad cœnam, quia non potest immunditia Deum excipere.

75. *Christus recens natus curat homines ex impudicitia brutalitate pressos rationales efficere ad Eucharistia epulum futurum.* Luc. 2. Hesych.

Qui habitaculum in hominibus præparabat futurus cibus, & potus, nihil prius curauit recens natus, quam homines voluptatum brutalitate laborantes ad rationalitatem adducere. Ideò Deiparens *peperit Filium suum primogenitum, & reclinauit eum in præsepio.* Luc. 2. Cur cœlestis panis in abiecto præsepio collocatur? Respondet Hesychius hom. 2. de Deip. *Libens reconditur in præsepi, vt qui sunt pecuini accurrant, & reperiant sermonem, & rationem in præsepi constitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem. Vt qui currunt ad paleas, frumentum nanciscantur. Vt bestiarum more festinent, arbitrantes se inuenturos in præsepi manipulos hordei: panem verum manducaturi, alimentum vitæ.* Igitur Verbum ponitur in præsepio vt qui manducaturi sunt aliquando frumentum electorum, Verbi manifestatione rationabilitate donentur. Non dixit, *Manducantes panem verum*, sed *Manducaturi.* Quia irrationalitate voluptatum pressus licet dentibus premat frumentum Eucharisticum haud verè manducabit, nisi prius Verbi natalitio rationem resumat: *Vt ex eo recipiant dignitatem rationalem, panem verum* postmodum *manducaturi*, cum Verbum clamet; *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum.*

76. *Prodigus ab prius fuerat pane pascitur, quam ab impudicitia exuatur brutalitate.* Luc. 15.

Dum Prodigus voluptatibus studebat, fame perire cogebatur, quia panis vetus haud poterat cum luxuriei affectibus vna in sede morari. In se reuersus clamitat, *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo.* Luc. 15 Cur Pater non illico eum pane refecit in tugurio, qui Eliam fugientem in deserto pauit? Particula, *Hîc fame pereo*, respondeat. *Hic* premor fame, in tugurio, in porcorum habitaculo, in luxuriei prostibulo. Redeat ad Patris domum pœnitens, turpitudinis nuditas ornetur stola, tunc vitulus saginatus magna offeretur in cœna: *Adducite vitulum saginatum.* Honestatis est epulum, puritatis est cibus. Chrysologus serm. 1. *Mensa Patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis.* Vnde inhonestæ voluptatum deliciæ necessario ablegandæ sunt, prius quam sacrum epulum ineamus.

Chrysol.

77. *Vinum virgines germinans puritatem à fœlia præparatur.* Zach 9. Paschas.

Zacharias requisiuit, *Quid bonum est eius, aut quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* cap. 9. Virgines germinat vinum Eucharisticum? Ergò agnatum ei erit pectora casta requirere. Vnde monebat D. Paschasius, *Exerce te in castitate, quoniam hic sanguis nihil magis diligit, quam in Christo virgines.* Nihil magis diligit? An non magis diliget charitate flagrantes, si charitas Regina virtutum? Porrò ad tepidos potest intrare merum, & eos feruore donare. At ad impudicos minimè potest ingredi, quia nec ipsi possunt venire ad cœnam, vt mero germinante virgines impleantur.

78. *Qui lilium puritate non est, haud poterit murum liliorum penetrare, vt triticum comedat.* Cant 7. Thom.

An non Eucharistica cœna *aceruus tritici vallatus liliis?* Cantic. 7. Diuus Thomas opuscul. de Sacrament. cap. 4. *A nulla corruptione, sed à virginitatis flore sumpsit exordium.* Venter Deiparæ Virginis purissimus aceruo tritici impletur, & liliis puritatis, velut muro impenetrabili vallatur, cingitur: vt nulli pateat ingressus ad triticum, nisi prius adnatorum liliorum pulset ostium, & ipsa amico permittant ingressum.

79. *Nisi aurea sit vrna, non proficit ad Manna excipiendum.* Hebr. 5. Thom.

Manna olim vrna aurea recludebatur. Hebr. 5. memorat Paulus. Vt innuat scilicet ad verum Manna Eucharisticum pectus requiri aurea puritate, ac castimonia fulgens. Citatus Thomas cap. 5. fatur. *Decet cor, quasi aurum esse purissimum, per magnam munditiam, quod capere debet cœlestem panem.* Magna munditia necessaria pectori, vt capiat Manna? Ita planè, nec enim capere potest pectus impurum. Ergo studens impuritati, non potest venire, quia capere non potest.

80. *Vas, seu pectus impuritate corruptum fictile est, plumbeum est, non potest excipere sanguinem.* Psalm. 29. Chrysost.

Dauidis ex ore. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Psalm. 29. Hispanè exponam, *Que aprouecha vaso de barro impuro.* Nullatenus accedas nisi pectus aureum sit puritate. D. Chrysostomus hom. 60. ad Pop. *Si vis honorare sacrificium offer animam, hanc fac auream. Si verò plumbo maneat, & testa deterior,*

deterior, quid vtilitatis? De quo sirue? Carpit eos, qui vasa aurea altari offerunt, plumbea verò, aut fictilia corde. Aptius illi, de quibus Bonifacius Mar. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur. Nunc Sacerdotes lignei,* lutei, *aureis vtuntur calicibus.* Hinc Malachias, *Colabit eos quasi aurum, & erunt Domino offerentes sacrificia.* Sic aurum colatum, nulla impuritatis particula misceatur ad sublime admodum excipiendi sanguinis ministerium.

Bonif.

81\. Aaroni Deus, *Pectusculum quoque, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filij tui.* Leuit.10. Si locus mundissimus requiritur ad cœnam illam celebrandam, quæ à longè Eucharisticum epulum signabatur: quid de pectoris excepturi munditie? D. Thomas vbi supr. cap. 4. *Pectusculum, quod scilicet optimum est, & dulcissimum animalis, significat dulcedinem corporis Christi, in quantum comeditur in loco mundissimo.* Preme τὸ *In quantum comeditur*, &c. Et si non comeditur mundissimo in loco, significabitur nè corporis Christi dulcedo? Minimè planè. Quæ enim vtilitas huius dulcedinis, dum descendit in corruptionem, dum in locum immundissimum recipitur? *Non possum venire* immundus, si dulcissimus hic cibus ostenditur *in quantum comeditur* à conuiua *mundissimo.*

Locus mundissimus requiritur ad Eucharistiæ simulacrum, quid ad ipsam magnam cœnam. Leuit.10. Thomas.

Observat. IX.

Ad illa verba:

Vxorem duxi, & ideò non possum venire.

Conuiuæ illi rusticitate nimia premuntur, quia ad cœnam Eucharisticam accedere renuerunt.

Panis enim hic intellectus mentem edocet, ac sapientes efficit homines.

82\. MVlti sunt Patres in ponderanda stultitia trium conuiuarum; quorum primus ob villam Regnum cœlorum dereliquit: secundus filiorum Dei libertatem perdidit augustam, vt se multiplici addiceret seruituti: tertius autem impossibile demens adiudicauit se disponere ad cœnam, qui tam facilè debuit delicijs perituris ouncium remittere, vt voluptatis cœlestis nunquam non duraturæ cœnam iniret. Quam stulti homines ante Eucharisticum epulum! Accederetis miseri, ad cœnam sacerrimam, *panis vitæ & intellectus* vos ab stultitiâ liberasset.

83\. Brutalitate laborabant Iudæi, qui inuitati ad cœnam, venire renuerant. In cuius typum Christus apud desertum panes hordeaceos apposuit, ac super fœnum accumbere iussit. *Facite homines discumbere. Erat autem multum fœnum in loco.* Ioan.6. Maldonatus ex Cyrillo, *Quinque panes illi hordeacei quinque libri Mosaï a legis significant, quibus Iudæi tanquam hordea sine vllo delicato gustu, sine sensu tanquam animalia bruta vescerentur.* Attamen illi panes in Saluatoris manu Eucharistici frumenti typum gessere, (de quo Tom. in cap. 6. Ioan.) Vnde Iudæi stulti tiam ablegantes iam æternum appetere conuiuium satagunt, Christum sibi Regem eligere procurantes.

Brutalitate pressos Iudæos Christus intellectu donat epulo Eucharistico. Ioan 6. Cyrill.

84\. O panem intellectus! Cum Dominus operam dedit Eucharistici epuli institutioni, *accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes.* Matth.26. Cur illæ præcesserunt actiones? *Benedixit, fregit, gratias egit?* Planè vt intelligentiæ documentis panis intellectus esse ostentaretur. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. *Propterea Seruator cùm panem accepisset, primum locutus est, & egit gratias: vt ex ratione comedamus. Cum scilicet actionibus rationalibus coli viderimus ab eo, qui instituit, Seruatore.*

Ostendit Dominus, actionibus [illegible], Eucharistiæ panem esse intellectus. Matth.26.

85\. Ideò monet Paulus abstrahendos à cœna, qui non diiudicant corpus Domini: *Iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Nam qui comedit non diiudicans, aut discernens, signum præbet se indignè communicare. Qui enim dignè absumit Eucharistiam, intelligit, diiudicat, & discernit vi *panis intellectus.* Chrysostomus, Documentum exhibet manducasse indignè corpus Domini *non diiudicans, non cogitans, non examinans, vt oportet, magnitudinem eorum, quæ sunt apposita.*

Qui Eucharistiam dignè sumit, necessariò diiudicat, & discernit, quia intellectus panis. Chrysost.

86\. Adueniente die Azymorum, in quo necessum occidi Pascha, Dominus *misit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret homo amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum,* &c. Luc.22. Ad quæ Laurentius Iustin. de Christi agon. cap.1. contemplatur mysticè per Petrum fidem, per Ioannem autem intellectum significari. Addit per hominem, qui Apostolis ipsis occurrit lagenam aquæ portans *scientiam* intelligi huic cœlesti epulo *ministrantem.* Cur scientia ministrat cœnæ Eucharisticæ? Quia scientia dans conuiuis ferculum cœleste, simul sapientiam, aut intellectum ministrat.

Minister Eucharistiæ [illegible] exhibet scientiam. Luc.22. Laur. Iust.

87\. Ideò cum sapientia *ædificauit domum,* & *apposuit,* victimis immolatis, *mensam suam: misit ancillas suas, quæ vocarent ad arcem,* Prou.9. Aliqui, *Misit scientias,* scripsere & exposuere. Ac si sapientia ipsa Theologiam, aliásque scientias sacri epuli ministratrices immiserit inuitantis oblaturæ panem ac simul cœlestium Mysteriorum intelligentiam. Quam aptè scientiæ cœnæ magnæ à sapientia præparatæ ministrant.

Scientia ideò cœnæ ministrant. Prou.9.

88\. Audiui Dominum Discipulos monentem: *Non vocemini, Magister.* Matth.23. Non autem id videtur exemplo docuisse, dum approbat titulum Magisterij sibi exhibitum. *Vocatis me, Magister, & benè dicitis: sum etenim.* Ioan.13. Cur titulum Magistri recusandum innuens, libens iam accipit? Preme τὸ *sum etenim.* Ac si tunc præcipuè titulo illo dignus ostenderetur. Quid tunc Dominus gessit præcipuum, nisi cœnam Eucharisticam apponere, corpus ac sanguinem suum Discipulis ministrare? Tunc specialissimè eos docuit Mysteriorum cœlestium intelligentiam; Eucharistiæ enim receptio oculos mentis exacuit.

Christus in Eucharistia Magister, quia [illegible] munimus docemur. Ioan 13.

89\. Apostolorum vertex post Resurrectionem, *vidit illum Discipulum, quem diligebat* IESVS, *sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Ioan.21.

Ioannes dicit à cœ-

na, & exsurrexit Theologus augustissimus. Ioan 21. Bernard.

Ioan.21. Vbi D. Bernardus mysticæ cœnæ Euristicæ Apostolum participem fuisse contemplator, indéque ineffabilem sapientiam, qua Theologis mirabilis ostenditur attraxisse. Inde *sacrosanctam intima sapientia eruit medullam.*

90.
Aperit oculos Eucharistica esca, ad discendum iustitiam. Ioel 2.

Profectò Eucharisticus panis Doctor est inuitatis suis veram sapientiam, nempè iustitiæ docomenta tradens. Ioël ideò, *Lauamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem iustitiæ.* cap.2.LXX. *Qui dedit vobis escas iustitiæ.* Quid escis eom doctrina, si (Auctore Ausonio,) *stultitiam ac cæcitatem peperit esca.* Profectò Eucharistia esca est Doctrix oculos mentis acuens, & iustitiam edocens conuiuas. Propterea Vates, *Apprehendite disciplinam.* Psalm. 2. Hebraicè, *Apprehendite frumentum.* Eucharisticum enim triticum Doctor est eximius, qui nos omnes spirituales disciplinas edocuit.

Psalm 2.

91.
Inuitati in circuitu mensa Eucharistica sunt Doctores ex sapientia illius mensa redundantia. Psalm 123. D Thom. Cyrill.

Dauid alio carmine excogitationem roborauit. *Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Psalm.123. An non oliua Palladis arbor, sapientom corona? Filij ergo Ecclesiæ in circuitu mensæ Eucharisticæ ab illo pane intellectus hauriunt sapientiam. Ille Magister tradit vitæ dictamina, oliuæ nouellæ scribunt. D.Thomas opusc. de Euchar. cap 1. *Panis hic tenebras ignorantiæ illustrat.* Cyrillus lib.3 cap.34. *Perspicuum esse arbitror, non alium panem, nec alimentum præter Filium Dei rationabilibus intellectualibusque substantiis. propositum esse.* Doctoribus proponitur, vt ad scientiæ superiorem gradum eleuentur: ignorantibus autem, vt rationalem viam possint inire.

92.
In cœnaculo adsunt Magistri, hic edocentur. Cant 3. Chald.

Clamat Sponsa, *Paululum cum pertransissem eos; inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. donec introducam illum in domum matris meæ.* Cant. 3. Chaldaicè: *In domum matris meæ, id est, in cœnaculum, in quo nauabant operam verbis legis Magistri eorum.* Nam in circuitu Eucharisticæ mensæ obiiciuntur legis Magistri oleæ circulo stipati profundissima cœlestis sapientiæ haurientes dogmata, quæ fidelibus possint tradere alumnis.

93.
E cratere sanguinis Dominici sapientiam haurimus. Exod.24. Ambros.

De sacrificio illo, in gratiarum actionem à Mose oblato, sacra fatur Historia, *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateres: partem autem residuam super altare.* Exod. 24. Vbi Ambrosios lib. ad Simplician. *Christi annunciarur salutaris hostia, quam Verbum Deus in se ipso obtulit. Sanguinem misit in crateres Moyses. Certum est ipsum esse sanguinem, de quo scriptum est: Quia sapientia miscuit in cratere vinum suum, dicens, vt relinquerent insipientiam, & quærerent sapientiam.* Profectò in cratere mystico sapientiæ cœlestis salutaria dogmata continentur. Addit Doctor, *Hauritur ergo de cratere sapientia, hauritur disciplina, hauritur intellectus.*

94.
Pabulum hoc aperit mentem ad sapientiam. Prou.9. Beda.

Redeo ad sapientiæ cœnam magnam. *Sapientia ædificauit domum, miscuit vinum, immolauit victimas suas, proposuit mensam suam.* Pro.9. Cur replicauit *Victimas suas, mensam suam?* Vt innueretur Sapientia epulum esse conditum. Beda, *Diuinitatis tua arcana capere non valentibus assumpta humanitatis Sacramenta patefecit, & scriptura Sacra pabulum nobis aperiendo præparauit.* Pabulom Scripturæ Eucharisticum epulum appellat, graoi Interprete è Societate attestante.

95.
Hinc Vates, *Accedite ad eum, & illuminamini.* Psalm. 33. *Dominus illuminatio mea.* Psalm. 26. De Eucharistica ignorantias animi ablegante D. Thomas eapoluit Opusc.58. cap.6 *Eucharistia piè recipientium ignorantia tenebras illuminat. Dominus illuminatio mea. Accedite ad eum, & illuminamini. Corpus enim Christi, & Verbum Dei, id est, vera lux in carne humana, quasi lucerna, qua illuminatur si telis anima.*

Accipientes Eucharistiã illuminamur. Psalm. 13. Psalm 26. Thom.

96.
Qui frangit panem, illuminans Discipulorum oculos ad eum agnoscendum. Luc.24.

Duo Discipuli ignorantiæ tenebris offundebantur in Castellum pergentes, cum eis Dominus se socium addixit: *Ipse* IESVS *appropinquans ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Attamen *factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Luc.24. Vndenam cognouerunt, nisi ex pane, illo, *qui illuminat oculos?* Theophylos apud Thom. in Cat. *Sed & aliud innuit, quod scilicet sumentibus Sacrum panem aperiuntur oculi, vt eum agnoscant: magnam enim, & ineffabilem vim habet Domina caro.*

Theophyl.

97.
Non potuit impedimentum oculorum in conspectu Eucharistia consistere. Luc 24. August.

Quæritant Doctores, vndenam Discipulorum illa cæcitas ortum habuerit? & respondent à satana ortum habuisse. Quod quidem impedimentum illico sublatom est, cum Dominos escam Eucharisticam Discipulis exhibuit. Quare non diutius impedimentum oculos præstrinxit? Poterant ne tenebræ mentis in conspectu Eucharistici epuli præualere? Augustinos apud Caten. *Non enim incongruenter accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à satana fuisse, ne agnosceretur* IESVS. *Sed tantum à Christo facta est permissio vsque ad Sacramentum panis, Vt veritate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.* Et quomodo poterant Communio & ignorantia vna in sede morari?

OBSERVAT. X.

Ad illa verba:

Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc, &c.

Pauperes, debiles, cæci, & claudi, id est, peccatores defectibus affecti vocantur ad cœnam, non vt defectuosi comedant: sed vt mutati prius, mensæ accumbant.

Væ qui sine mutatione defectuosus accipit Eucharistiam.

98.
Strab. Anselm.

STrabus, *Introducit Dominus bonos & malos.* Paoperibus enim, & debilibus signantor boni. Anselmus, *Humiles sunt pauperes, debiles autẽ qui suo iudicio apud se infirmi sunt.* Cæcis autem, ac claudis mali innuuntur. Idem Doctor. *Cæci sunt, qui in tenebris ambulant: claudi, qui rectos gressus non habent in opere.* Strabus itaque

Strab.

postquam asseruit bonos ac malos introductos in cœnam, addit: *Bonos inuitauit, vt augeat: malos, vt mutet.* Vt mutet scilicet, antequam mensæ accumbant. Nam qui cœci & claudi audent ad Eucharistiam accedere, horribili piaculo ac supplicio subiacent.

99. *Igne rompheæ aut mutat conuiuas, aut absumit indignè præsumentes accedere.* Gen. 3. Bruno. Tilman.

Inuitantur itaque mali, sed aut prohibentur, nisi mutentur prius, accedere: aut accedentes, dirè percutiuntur. *Eiecit Dominus Adam de paradiso voluptatis, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. Preme illud: *Et flammeum gladium.* Cur flammea machæra? Certè vt cœcos accedentes ad cœnam aut illuminet, aut si accesserint sine mutatione, exurere possit. Audi D. Brunonem tom. 3. lib. de Paradis. cuius sententiam refert ac illustrat Tilmanus ad Gen. fatus: *Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur, Ecclesiæque Doctores significat. Homo autem quia de paradiso, id est, de Ecclesia propter peccatum summouetur, ne ad lignum vitæ, id est, ad carnem Christi participandam accedere præsumat, ab his interdicitur. Stant enim cum gladio spiritus, quod est verbum Dei, & ab Ecclesiæ introitu peccatores cæcos ac claudos constanter repellunt. Est autem ille gladius lucens, & flammeus, quo qui percussus fuerit, aut illuminatur, aut exuritur. Est autem versatilis, facilis, & velox ad feriendum. Vndique circa se delinquentes percutit, damnat condemnat.* id est, superbos peccatores, vt opponat pauperibus inuitatis, quibus ex Strabi sententia boni assignantur.

100. *Sæculares, ac Sacerdotes indignè accipientes iudicium edere est diabolus, si indignè accipiat.* Gen. 3. Isidor.

Septuaginta sic: *Ordinauit Cherubim, & flammeam romphaeam, quæ vertitur custodire viam ligni vitæ.* Gen. 3. Ad quæ Isidorus lib. 14. Etymol. cap. 3. *Cherubim, id est, Angelorum præsidium arcendis spiritibus malis ordinatum est; & hominibus, vt homines flamma, spiritus verò malos Angeli boni submoueant; ne cui carni, vel spiritui transgressionis aditus huius paradisi pateat.* Quinam in carne, & in spiritu transgressionis significantur? Planè homines sæculares carnis vocabulo innuuntur: Sacerdotes autem spiritus mali congruè appellantur, quia Iudas Eucharistiam indignè recipiens *diabolus est*, & *spiritus transgressionis* dicitur, quia impius Sacerdos bibit sicut aquam iniquitatem.

101. *Indignis gladius hic panis est.* Iudic. 7. Chrysost.

De pane illo ad Madianitas aduolante, miles profatur: *Non est hic aliud nisi gladius Gedeonis.* Iudic. 7. Cur gladius panis ille? Porrò quia Eucharistiam adumbrabat, quæ indignè accipientibus gladius est. Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Cauendum tibi est, qui hæc mysteria ministras, nè Dominum irrites, nè acutum gladium pro cibo præbeas.* Ad memoriam adfero exemplum de fœmina illa, quæ vt scribit D. Cyprianus lib. de laps. *non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia, inter fauces & pectus sanguinem admittens angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit.*

102. *Qui indignè accipit id iudicium est, & damnatio.* 1. Cor. 11. Chrysost.

Aiebat Paulus, *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.* 1. Cor. 11. Quidnam est non diiudicare Domini corpus? Chrysostomus, *Non diiudicans, id est, non cogitans, non examinans vt oportet magnitudinem eorum, quæ sunt apposita.* Proh Deum immortalem si delinquentibus, & indignis ex defectu cognitionis iudicium horribile præparatur: quid cœcis & claudis, id est, igni cœco flagrantibus, & gressu iniquo vteotibus.

103. *De Iudæ indignitate.* Leo.

Iudas cœcus, & claudus ad Eucharistiæ epulum aduocatus, non prius curauit mutationi operam exhibere: vnde venenum pro alimonia accipiens, miserè, deperiit. D. Leo serm. de Pass. *Hic perfidus Iudas, (cœcus, & claudus,) inebriatus veneno, dum sitit lucrum, stultè impius fuit.* Non inebriatus vino, quod charissimis Dominus propinabat; sed veneno Iudas; quia dum sitit lucrum, & non sanguinem Christi, (vti Dauid: *Sitiuit in te anima mea.*) Eucharistiam hausit.

104. *Indignè accipiens, iudicio Deicidarum subiacet.* 1 Cor. 11. Chrysost.

Profectò Deicidas Iudæos imitatur, qui indignè cœnæ Eucharisticæ accumbit; & deicidarum subest iudicio: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Iudæi rei sunt Deicidij Christum cruci suffigentes? Sic indignè Synaxim accipiens. Ideò *iudicium sibi manducat, & bibit.* 1. Cor. 11. Chrysostomus hom. 61. ad Popul. *Nam si Regiam contaminantes purpuram similiter puniuntur, sicut & descindentes: non est dissimile Domini corpus impura mente suscipientes, eandem subire vindictam cum his, qui clauis ipsum desciderunt.*

105. *Quidnam sit, iudicium manducare, & bibere? Certè in gehennam ire.* Ioan. 13. Anselm.

Quidnam est, precor, *Iudicium manducare*? Existimo indignè Eucharistiam sumentes iam quodammodo iudicatos esse, & diabolo traditos: vt idem sit indignè comedere, & illicò damnati, & gehennæ addici. Quid addici gehennæ? Imò sacrilegus ille vertitur in gehennam diaboli habitaculum. Memor indignè communicantis Apostoli, Ioannem audias. *Post buccellam introiuit in eum Satanas.* cap. 13. Introiuit quasi ad proprium habitaculum. D. Anselmus, *Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisquis sumens Dominicum sacramentum.* Sic ad 1. Cor. 11. Locum in se diabolo exhibent, vbi maneat, vbi torqueatur. Iudas malè buccellam accipit, *vt abiret in locum suum*, id est, tartarum: & diabolus malè communicante Iuda, abit *in locum suum*, hoc est, Iudæ pectus tartaro quidem horribilius: *Locum in se diabolo præbuit.*

106. *Indignè accipiens, deuorat laqueos, ignes, & sulphur, illico damnatus.* Isa. 25. Hieron. Anselm. Psalm. 10.

Fatur Isaias, *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, & præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.* cap. 25. Quid Eucharistiam recipienti cum vinculo? Certè absumens Eucharistiam indignè, simul vorat, & absorbet vinculum, quo ligatur, & suspenditur ad æternum exitium. Hieronymus, *Absorbere faciet vos,* (indignè accedentes,) *faciem mortis, & vinculi.* Anselmus, *Qui indignè manducat, & bibit, manducat sibi damnationem extremam.* Vnde Vates, *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psalm. 10. Pars calicis eorum, qui dignè hauriunt, sospitas, salus, vita, beatitudo. At pars calicis eorum, qui indignè adhuc cœci, ac claudi accedunt; est mors, laqueus, ignis æternus, & procellæ interminabilis spiritus.

LIBER SEXTVS.

PVBLICANVS.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumoctauum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

DOCENDÆ multitudini intentus Dominus fiduciam; superbiam, elationem, & arrogantiam Pharisaïcam damnat, qua plerique nimium sibi tribuentes, alios spernebant, & de suis benefactis præsumebant, omnibus præ se aliis contemptis. Seruiebat huic negotio Parabola Pharisæi, & Publicani, Templum orationis gratia simul ingredientium: prioris bona sua iactantis, & posterioris nihil horum agnoscentis; sed totum quod boni assequi possit diuino tribuentis beneficio. Quorum ille per superbiam iustitia excidit, quam hic per humilitatem adeptus est. Hic enim præ illo iustificatus à delubro discessit, clamante Domino, *Qui se humiliat exaltabitur.* O quam recedens Deiparens à superbia Pharisaïca, quam illustris Publicano extitit Magistra humilitatis! Audi Richardum lib. 4. de laud. Virg. Ait Maria, *Anima mea liquefacta est.* Cant. 5. *Per humilitatem scilicet, parata, instar metalli liquefacti, decurrere in omnes modulos diuinæ voluntatis. Vt dilectus locutus est ad me per Gabrielem, postulans me in Matrem ei me obtuli in ancillam, sciens, quoniam qui se humiliat, exaltabitur.*

Ligni vista, seu Iesu locuti in Parabolis, FRVCTVS SEXTVS.

Richard. Laurent.

LVCAS CAP. XVIII.

VERS. 9. DIXIT autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam.

10. Duo homines ascendebant in Templum, vt orarent; vnus Pharisæus, & alter Publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.

12. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.

13. Et Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo; quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

PARAPHRASIS.

9. ADVERSVS *quoddam Pharisæorum genus fidentium in operibus suis, & ex eis sibi iustitia laudes arrogantium, qui quidem non solum sibi stultè placebant; sed & alios præ se despiciebant tanquam peccatores, Dominus proposuit parabolam, huiusmodi Pharisæorum flagellum, peccatorum sibi ex animo displicentium consolationem.*

10. *Accidit, vt duo quidam ascenderent in Templum orandi gratia, quorum vnus erat Pharisæus, alter Publicanus.*

11. *Pharisæus stans propitiatorio vicinus, velut dignus, qui cum Deo cominus colloqueretur, sic orabat in corde, aut voce gracili sic profabatur: Deus gratias ago tibi, quod non sim cæteris hominibus similis, qui raptis viuunt, qui fraude rem augent, qui adulterio thoros conspurcant alienos; aut denique qui infame munus gerentes in gratiam Principum populum Dei expilant, qualis hic est Publicanus.*

12. *Non ego luxui indulgeo, quemadmodum vulgus facit, sed bis in hebdomade ieiuno; & in tantum non fraudo quemquam, vt omnium bonorum meorum decimam partem pietati litem.*

13. *Contrà Publicanus totus sibi displicens ob peccatorum conscientiam, procul absistebat à sacris, adeò pudens, pœniténsque sui, vt nec oculos auderet in cælum attollere: sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus tantum gratias agebat, nihil sibi deesse existimans sui laudator arrogans, & temerarius proximi accusator. Publicanus nihil benefactorum memorans, mala tantum agnoscens, pectus sibi conscium tundit, ac Domini implorat pietatem.*

14. *Vultis exitum diuersa precationis agnoscere? Publicanus ille, qui peccator venerat in delubrum, abiit domum in oculis Dei iustior illo Pharisæo, qui sibi iustissimus videbatur. Quisquis enim semet extollit apud sese, in Dei oculis deiicietur: & quisquis sese deiecerit, in Dei oculis sublimis apparebit.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Pharisæi superbia.

TEXTVS.

VERS. 9. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernantur cæteros, parabolam istam. 10. Duo homines ascendebant in Templum, vt orarent. vnus Pharisæus, & alter Publicanus. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. 12. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De contextu.

1. *De contextu.*

Dixit *autem.*] Post parabolam à vidua iudicéque iniquo sumptam, aliam Lucas subiunxit de Pharisæo, ac Publicano. Num simul cum altera à Christo prolata fuerit, an alio tempore, dubitatur. Superior parabola de vidua petente vindictam Discipulis dicta est, hæc autem quibusdam hominibus, qui in *se confidebant tanquam iusti*, proposita. Vbínam hi fuerint, quo tempore, & qua occasione illis sit à IESV parabola obiecta, Euangelista non exposuit. Existimo fortè ipsis Pharisæis propositam esse, à quibus supra rogatus est Dominus, quandónam Regnum Dei venturum esset. Quod si verum est, (vt putant Barradius, & alij) postquam Discipulis parabolam de vidua exposuit, hanc Pharisæis obiecit.

Barrad.

2. *An historia fuerit appellata parabola?* Barrad.

Non abnego cum superiori nostram parabolam congruere, vtraque enim de oratione disserit. Illa docet, orationi instandum, hæc, humiliter precibus operam impendendam. Probabile ionuit Barradius historiam fuisse, parabolámque appellatam, id est exemplum & similitudinem, ab Euangelista. Ast ego parabolam fictam esse affirmo, quia simili verbo Lucas significat esse parabolam, quo alibi Euangelistæ asserunt à Christo parabolas fuisse expressas: *Dixit ad quosdam parabolam istam.*

3. *Pharisæis hoc exemplum proposuit.*

Qui in se confidebant, tanquam iusti, & aspernabantur cæteros.] Homines hosce superbos curans Dominus à præcipitio reuocare, parabolam proposuit appositam. Videntur homines hi e Pharisæorum genere extitisse; Pharisæi enim se iustos reputabant, & in iustitia sua omnium confidebant. Græcè habetur, *Dixit ad quosdam confidentes in se ipsis, quod sunt iusti: & pro nihilo ducentes cæteros.* Est enim verbum compositum à nihilo *οὐδὲν*.

§. II.

De Pharisæo stante, & orante.

4. *De vnius ac alterius*

Dvo homines ascenderunt in Templum, vt orarent.] Ierosolymitanum Templum loco in edito (vt sæpe monuimus) erat exædificatum; ideo duo homines hi in Templum dicuntur ascendisse. Accesserunt autem vt preces profunderent; Templum enim domus est orationis: *Domus mea domus orationis vocabitur* Matth. 21. Ex his itaque alter Pharisæus erat, alter Publicanus; ille specie religiosus, iustitiæque sectator: hic autem iniquus aspectu. At eum, qui iustus videbatur, is, qui peccator apparebat, orando superauit: quia ille arroganter, hic orauit humiliter.

ad Templũ ascensu.

Matth. 21.

4. *An Iudæi soliti stantes orare?*

Pharisæus stans.] Dum video tam Pharisæum, quam Publicanum stantem induci oraturum, Iudæos stantes precari solitos agnosco. Caietanus, *Clarè apparet quod stantes olim orabant; nam tam Pharisæus, quam Publicanus describitur stans.* Et Iansenius, *Pharisæus erat stans pro more orantium tunc recepto.* Haymo sic: *Morem antiquum Euangelista tangit, quia orantes non se prosternebant terra, sed erecti extensis manibus precabantur.* At dũ sacra euoluo volumina, video flexis genibus precari consueuisse. *Salomon vtrumque genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.* 3. Reg. 8. *Stetit Salomon, & deinde flexis genibus, & palmis in cælum eleuatis, ait.* 2. Paral. 6. *Daniel, fenestris apertis, in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.* cap. 6.

Caietan.

Haymo.

3. Reg. 8. Paral. 6. Dan. 6.

5. *Authoris sententia.*

Assero igitur more vtroque solitos deprecari & flexis genibus, & stantes. Quod stantes precarentur probat hic locus, quem confirmo ex Domini monito illo: *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus.* Matth. 6. & ex Annæ oratione, quæ sic locuta Heli: *Ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum,* 1. Reg. 1. Quod flexis genibus præter exposita testimonia, probat Michæas, *Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso.* Et Ecclesiasticus, *Omnis populus simul properauerunt; & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso.* c. 50.

Matth. 6.

1. Reg. 1.

Eccli. 50.

6. *Stantes preces fudere preces Pharisæus & Publicanus.*

Quid igitur de Pharisæo & Publicano? Stantes preces profudere. Scio Barradium, & alios flexis genibus orasse existimauisse. Sic autem verbum *stans* exposuere. Existens, aut consistens genibus flexis, similiter Publicanus. Faciunt (fateor) fidem verba illa, *Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel.*

Barrad.

3. Reg. 8. Marc. 11.

Addit textus hanc orationem, flexis genibus protulisse: *Et stetit super eam basim, & deinceps flexis genibus,* &c. 3 Reg 8. *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersum aliquem.* Marc. 11. Id est, cum in conspectu Domini apparueritis ad orandum flexis genibus. *Stans* ergo Pharisæus, id est consistens in Dei conspectu, flexis genibus exorabat. Probabilius tamen arbitror & stantes, & procidentes solitos Iudæos preces effundere.

7. Pharisæi oratio. *Chrysost.*

Hæc apud se orabat.] Id est, hæc erat Pharisæi oratio. Potius gratiarum actio, quàm oratio, si quidem aiebat, *Gratias ago tibi.* Certè oratio erat ex gratiarum actione. Eum nempe dicimus orare, qui Deum alloquitur, Chrysostomo fante hom. 30 in Gen. *Oratio colloquium est cum Deo.*

8. Quid sit, orare apud se? Iansen. Hugo. Auctoris sententia.

Quidnam *apud se* orare? Iansenius, *Apud se orabat, quia non orabat apud Deum, qui eius orationem non audiuit, aut approbauit.* Hugo Cardinal. *Apud se orabat tanquam sibi placens* Alius, *Apud se orabat, quia illa oratio non erat a Deo inspirata, sed ab eo proficiscebatur.* Facilius assero orare apud se idem esse, ac mente sola precari, vel etiã voce, vt sed ita demissa, à nemine audiatur. Fauet textus Syriacus ריטא קאם הרא ביב הדי לכפ שהר הל וקע לא הראררא. *veha parischa ham haua beneuaubi leuaphschen vehaleu matallo haua. Et ecce Pharisæus stabat, vel stans erat inter se & animam suam, & hæc precabatur.* Apud se ergo orare, idem est, vulgariter si diceres: *Decia entre si mismo.*

§. III.

De Pharisæo sibi de suis virtutibus blandiente.

9. Cum quibus se conferat Pharisæus? August.

DOmine, *gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.*] An Pharisæus se cum omnibus hominibus conferat hoc sensu: Non sum sicut cæteri hominum, qui omnes raptores sunt, iniusti, & adulteri? Augustinus serm. 36. de verb. Dom. Diceret saltem Pharisæus: *Non sum sicut multi homines. Quid est cæteri hominum, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, iustus sum, cæteri peccatores.* Anselmus in Gloss. contestatur.

Anselm.

Porrò cum parabola à simili vero desumatur, haud est verosimile Pharisæum ignorasse, inter homines esse aliquos, qui sceleribus hisce non essent infecti: saltem alios Pharisæos ipsi similes. Caietan. *Non est ille Pharisæus tam desipiens putandus, vt se reliquo humano generi præferret.* Vnde sic verba interpretatur: *Non sum sicut cæteri hominum, id est, non sum sicut alij qui sunt raptores, iniusti, adulteri: hoc est, Non sum similis hominibus raptoribus, iniustis, adulteris; quia nec sum raptor, nec iniustus, nec adulter.* At non videtur superbiæ Pharisæi congruere hæc cum raptoribus, iniustis, & adulteris comparatio; non enim superbus cum sceleratis se se solummodo conferret. Sic expono sententiam. Non sum sicut cæteri hominum, omnes iustitia supero; plerique sunt raptores, iniusti, & adulteri; ego autem his omnibus vitiis careo.

Caietan. *Auctoris expositio.*

10. Temeritas iudicij Pharisæi.

Velut etiam hic Publicanus.] Cernebat Pharisæus Publicanum simul orantem; quia verò Publicani male audiebant, peccatoresque habebantur, cum flagitiosis illum temerarius adnumerat. Nec enim muneris vis omnes arripit ad piacula. Communiter sententia hæc huic sensui datur: Non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti, adulteri: qualis est hic Publicanus, raptor, iniustus, adulter.

11. Expositio particulæ. *August.* *Gregor.*

Græcè sic: ὀκαὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης. Id est, *Aut & vt hic Publicanus.* Ac si diceret, Non sum sicut cæteri homines raptores, iniusti, adulteri, nec velut hic Publicanus. Ego sum iustus, ille peccator. Augustin. serm. 36 de verb. Domini, *Non sum talis, qualis ille, per iustitias meas quibus iniquus non sum* Et Gregorius lib. 19. Mor. cap. 12. idem sentit.

12. Num Publicanus audiens Pharisæi verba indurabatur? Chrysost.

Quæreris, num Publicanus Pharisæi verba audierit? Affirmat Chrysostomus hom. de Dau. & Sau. *Publicanus procul stans non regessit contumeliam, neque vicissim dicit conuitium. Non protulit illa vulgaria verba: Tune audes mea vita mentionem facere? Tu ne audes mea facta reprehendere? An non sum te melior?* Porrò vero similius parabolæ fictioni dicendum Publicanum opprobria non audisse, cùm quia *procul* adesse Publicanus dicitur, tum quia Pharisæus apud se orasse asseritur.

13. De ieiuniis Pharisæi. Theoph.

Ieiuno bis in Sabbatho.] Seu in hebdomada, neque enim eadem die Sabbathi Pharisæus bis poterat ieiunare. Asserit Theophylactus, solitos Pharisæos bis in Sabbatho seu hebdomade, feria scilicet secunda, ac quinta ieiunare, *Decimas do omnium, quæ possideo.* Alij adulteri sunt, ego non solum impudicitiæ habenas laxo, imo corpus ieiuniis frænare satago. Alij raptores, & iniusti, ego non solum aliena non diripio, verùm mea tribuere non aggrauor.

14. De vitiis orationis Pharisæi.

Quæris, quidnam vitij oratio hæc Pharisæi inuenerit? *Dixit Christus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam.* Oratio hæc hominis fuit, qui in se confidebat tanquam iustus, & cæteros aspernabatur. Laborabat ergo oratio vitio superbæ cõfidentiæ, qua in se Pharisæus arroganter veluti iustus confidebat: & vitio contemptus cùm reliquorum hominum, tum Publicani pœnitentis. Augustin. serm. 36 de verb. Dom. duo adnotat prætetea orationis Pharisaicæ vitia, vnum, quod nihil à Deo postulatit; alterum, quod oranti verè Publicano insultarit. *Quid rogauerit Deum, quære in verbis Pharisæi, & nihil inuenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare, insuper & roganti Publicano insultare.* Et ad Psalm. 48. eundem carpit, quod sua iactitaret merita, & vulnera, seu peccata occultaret. Præterea lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 5. *Quamuis, inquit, Pharisæus in hoc erraret, quod sibi addendum ad iustitiam nihil putabat, séque arbitrabatur eius plenitudine saturatum; tamen gratias agebat.* Theophylactus ait Pharisæum bona sibi tribuisse, quæ faciebat. D. Gregor. lib. 23. Mor. cap. 4. quatuor esse scribit species, quibus arrogantium tumor demonstratur. *Cum bonum* (inquit) *aut à semetipsis habere se existimant; aut si sibi datum desuper credunt: pro suis se accepisse meritis putant. Aut certè cum iactant, se habere, quod non habent, aut despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent.* De Pharisæo subiungit, *Pharisæus idcirco de Templo absque iustificatione descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit.*

August. *Theophyl. Gregor.*

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX PHARISÆI SVPERBIA.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Duo homines ascenderunt in Templum vt orarent; vnus Pharisæus, & alter Publicanus.

Reprobatur Pharisæus, qui apud Templum Publicano detraxit, nec loci sanctitate compunctus est.

Debitam delubris reuerentiam illustro.

15. NOTA Pharisæi ruinam ascendisse ad Templum Domini Pharisæum, & Pharisæum recessisse, qui debuerat ex loci sanctitate compungi. Porrò reprobatus recedit, qui apud Delubrum sacerrimum Publicano detraxit. Et quomodo Templi prophanatores opere aut verbo non Domini flagello percutiuntur?

16. *Templi prophanatores brutalis æta* [illegible] *turpatur. Ioan. 2.* Postquam Dominus apud Canæ conuiuium aquæ in merum versæ miraculum excitauit, *Inuenit in Templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes, & cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de Templo oues quoque & boues.* Ioan. 2. Scio Dominum à Templo suo prophanatores deturbasse: *Nolens*, (cum Beda loquor) *aliquid in domo sua terrenæ esse negotiationis.* At illud expendo: *Omnes eiecit de Templo, oues quoque & boues.* Eodemne flagello homines, oues, & boues vulnerantur? Quam iustè! Animantia irrationabilia sunt homines qui sanctitatem Templi audent violare. *Beda.*

17. *Ad fideles, qui columbæ pennis feruntur in superos, dum morantur in Templo, flagellum non dirigitur. Ioan. 2. Beda.* Cur, dum oues & boues deturbantur, columbæ minimè abiguntur? *Cathedras vendentium columbas euertit*, volucres autem ipsas nocumento non affecit. Ex Bedæ venerabilis mente in columbis signantur, qui Spiritus sancti æmulatores in Templum orationis pennis ad superos volaturi efferuntur. Omnes eiiciuntur de Templo, qui terrena sapiunt. At qui orationis alis ad superna peruolare conantur, haud diuinæ indignationis flagello subiacent.

18. *Vel perditi homines agnoscunt, quanta Templo reuerentia debeatur. Ioan. 2. Chrysost.* Miror, homines Templi prophanatores conscientiæ scilicet effrænatæ, tam patienter tulisse flagellationis vulnera. Chrysostom. hom. 22. in Ioan. *Quæsitu* (inquit) *dignum est, cur Iudæi, qui in collatis beneficiis Christum accusabant, nulla in eum contumelia vsi sunt.* Certè tam per se nota est debita ab omnibus Templi reuerentia, vt vel perditissimi homines beneficiorum contemptores, dum vident se supplicio affectos ob irreuerentiæ piaculum, non audeant reclamare.

19. *Qui fidelis est Dei filius Sacerdos, Templi prophanatores curat deturbare. Ioan. 2. Chrysost.* Aliam Chrysostomus attexit quæstionem: *Qua gratia Christus adeo sic indignatus est, & maxime cum alias iniuriis, contumeliisque affectus, Samaritanus, & dæmonium habens appellatus, nihil tale fecit?* Respondet Doctor, *Ne Dei contemptor, & Patri contrarius existimaretur, id facit; vt eorum tolleret suspicionem.* Equidem contrarius Patri cœlesti ille Christus Domini, ille, inquam Sacerdos apparet, qui Templi prophanatores comprimere non curat.

20. *Deitate fulgens ostenditur, qui Templi sanctitatem seruari studet.* Certè deitate fulgens proculdubio ostenditur, qui Templi studet immunitati: nec ita ex miraculis expressis cœlestis adstruitur, quam ex Templi defensione. Christus plurima miracula edidit in hostium ipsorum vtilitatem, nec ideo Filium Dei profitentur. Templum vindicare curat, & omnes audientes se Patris æterni Filium exprimentem, subticent consentientes. *Auferte*, inquit, *ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Ioan. 2. Ad quæ Chrys. *Cū morbos esset Sabbatho curaturus, & alia facturus miracula, quæ illis transgressio legis videbatur, ne Deo Patri contrarius existimaretur, hoc fecit.* Morbis, expressis miris, medicamen adhibet, & non solum Deus non habetur, sed & peccator legis transgressor appellatur. At dum Templi adstruit sanctitatem Dei Filius agnoscitur. *Ioan. 2. Chrysost.*

21. *Reuerentia in Templa magis Iesum Dei Filium ostendit, quam miraculorum patratio. Ioan. 2. August.* Proculdubio miraculum apud Canæ Nuptias fuit Deitatis potentia excitatum? Nec tamen ideo à conuiuantibus Deus acclamatur. Christus profatus fuerat, *Quid mihi & tibi est mulier?* Ioan. 2. August. tract. 8. in Ioan. *Miraculum, quod facturus erat, secundum diuinitatem facturus, non secundum infirmitatem humanam. Miraculum tamen exigebat Mater. At ille non tanquam agnoscens viscera humana, dixit: Quid mihi & tibi est, mulier? Tanquam dicat, Quod in me facit miraculum non tu genuisti, Deitatem meam.* Porrò nec post huiusmodi Domini assertionem laudatores meri, haud Deitatis assertores assurgunt. Ast Templi reuerentiæ studiosum flagellatorem Dei planè Filium reuerentur. Aiebat Origen. tract. 11. in Ioan. *Præsens historia in nullo minorem potestatem prætendit his, quæ ab eo miraculosius edita sunt; quin imò constat hanc maiorem demonstrare potentiam miraculo, quo aqua conuersa est in vinum; eo quod illic inanimata subsistit materia, hic verò tot millium hominum domantur ingenia.* Eum vel effrænati homines reuerentur, & Dei Filium existimant, qui Templi reuerentiam studet promouere. *Origen.*

Addo,

22. Addo, Pharisæum non solum verbis superbis, & detractione plenis Templi reuerentiam læsisse, & habitu, quia cum iuxta Altare morarentur, faciem ad Publicanum amouit profatus: *Velut hic Publicanus*. Profectò Templi exigit religio, vt facies nunquam à sacro Sanctorum auertatur. *Extendit olim Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: Iratus, que est Dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta Arcam Dei*. 2. Reg. 6. Cur Oza percutitur? Procopius, Alterius delicti loit pœnas. Nam, cum Deus iussisset, vt Sacerdotes Arcam suis ferrent humeris, præter legem eam rolit in plaustro. Iam quæsitarim, cur prohiberentur Sacerdotes in plaustro Arcã deuehere? Pergit Procopius, *Cũ postea Dauid Arcã transtulit in Regiam, non est ausus plaustro, ne trahentes boues, haberent posteriores partes versas ad Arcam. Sed Leuita eam tollerent, ferentes humeris magnis ligna, in quibus pendebat. Et non alij quidem ante, alij verò pone decederent; sed ex aquo ingrederentur adeò, vt eorum terga ad eam non essent conuersa*. Certè brutorum est terga Altari sacertimo vertere, vt facies ad ingredientes, egredientésque conuertatur. Vnde meritò Oza percutitur.

Marg.: Brutorũ est, faciem ab Altari auertere, vt ad homines conuertere, & ingredientes, aut egredientes aspiciant. 2. Reg. 6. Procop.

23. Si Sacerdotes Dei, si Christiani Principes Dominicæ domus zelo accenderẽtur, dolerent vtique, tot apud Templa patrari piacula. *Contristatus est autem Dauid, eo quod percussisset Dominus Ozam*. 2. Reg. 6. Et cur fidelissimus Princeps tristitia afficitur cum sacrorũ violator volneratur? Lyran. pulchrè, *Contristatus non de diuina iustitia, sed magis de Oza offensa, propter quam meruerat, à Domino percuti*. Sanctissimus Dauid Dei domus zelo succensus, tristitia afficitur, quod vel vnus ex ordine Leuitico in Regno reperiatur, qui non studeat reuerentiæ sacrorum.

Marg.: Dei honoris zelator, tristitia afficitur, dũ Templa prophanantur. 2. Reg. 6. Lyran.

24. Porrò Rex propheticus præsagiebat Regnorum ruinam ab irreuerentia in Tẽpla profluxuram. Ait Lucas, *Vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illã, dicẽs, &c. Et ingressus in Templũ, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes*. c. 19. Quorsom è Templo deturbaturus prophanatores, super ciuitatem prius lachrymas profudit? Certè plorat videns ciuitatis, ac Regni Israelitici ruinã. Mox in Templi violatores insurgit, quasi in eos, qui rãtæ ruinæ causam exprimebant. Læsio enim Templorum Regnorum ministrat exitium. Apprimè Rupert. lib. 3. in c. 2. Ioan. *Ingressurus in Templũ & facturus hoc signum, prius videns ciuitatem, fleuit super illam. Cum ergo prius illud extremum pronunciat excidiũ, tunc ad eiiciendos illos de domo Patris factum de funiculis adhibet flagellum, aperte innuens, se factis præsignare, quod verbo dixerat*. Facto quidem exprimit esse multos prophanatores Templi puniendos. Factum verò, quo innuit Templi prophanatores esse ruinæ ciuitatis, & Regni, quam lachrymis & verbis expresserat, præsignatio est.

Marg.: Templorũ prophanatione Regnorum ruina. Luc. 19. Rupert.

25. Quomodo non displiceret in Templo Pharisæos delinquens, si Templi tanta est sanctitas, vt in id ingressurus debeat omnino esse à mortalitatis nexibus absolutus? *Postquam consummati sunt dies purgationis eius secundũ legem Moysi, tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino*. Luc. 2. Cur ante circumcisionem non defertur in Templum? Respondet Beda, *Post tricesimum tertium circumcisionis diem Domino sistitur, mysticè insinuans, neminem nisi circumcisum vitiis Dominicis dignum esse conspectibus, neminem nisi mortalitatis nexibus absolutum supernæ ciuitatis gaudia posse perfectè subire*.

Marg.: Quam liber à piaculis debeat Templum inire. Luc. 2. Beda.

Quid Templo est supernæ ciuitatis gaudiis? Profectò Templi tanta est celsitudo, vt quodammodo Christus Filius quasi Patrem non videat donec ad Templum adducitur. *Tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino*. Luc. 2. Vbi pulchrè Athao. apud Car. D. Th. *sed quando à Paternis aspectibus latuit Dominus, aut quis locus excipitur ab eius imperio, vt illi existendo, se motus à Patre sit, nisi afferatur Ierosolymam, & introducatur in Templum?* Eqoidẽ tanta Templi celsitudo, gloria tanta, vt quodammodo Deus differtius in Templo, quam in superia aspiciatur; vnde quasi non viderit Dei Filius in cœlo, vt videat, vt eius conspectui sistatur, deportatur in Delubrum.

Marg.: 26. Quodammodo Templum cælo venerabilius. Luc. 2.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Non sum sicut cæteri hominum.

Superbus Pharisæus se se ab hominum communitate abstraxit.

Quia superbia sola incedit, nec reputat cum hominibus esse flagellandam.

27. Ingenium superbi Pharisæi vno verbo ostentatur, *Non sum sicut cæteri hominum*. O quam stultum est, homo cum sis, existimare nihil te habere cum humanitate commone. Amat superbia solitudinem, homo vanitatis volnere saucius solum se supra cunctorum verticem existimat volitare.

28. Daniel profatur, *Ecce hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, & nõ tangebat terram*. cap. 8. Hunc hircum Interpretes superbissimum magnum Alexandrum exposuere. Quare *terram non tangit*? Quia superbus putat se sicut cæteri homines minimè existere. Super terram gradiur ac si supra omnium facies hominum volitaret.

Marg.: Superbus terram non tangit, quia se reputat nihil cũ hominibus commune habere. Dan. 8.

29. Omnes homines superbia conculcat, nunquam non se se cunctis superiorem, imo vnicam dominatricem reputans. Potentissimus Dauid clamabat, profusis precibus: *Non veniat mihi pes superbiæ*. Psal. 35. Vbi Didym. in Cat. Græc *superbiæ translatione quadam perinde ac si de animali loquitur pedem dicit*. Si de superbia perinde ac de animali loquitur, cur non ei duplicem pedem, aut duplicem manũ attribuit, sed vnicam? Profectò quia superbia super terram non graditur, animantis in morem, sed necessariò vnico pede prædita cogitur auolare. Sed quare Dauid superbiæ pede conculcari veretur? Quia dum locustarum more breui decidit à volatu, sic homines conculcat, ac si omnium potiretur dominatu. *Non sum sicut cæteri hominum*.

Marg.: Pes superbiæ vnicus tribuitur, vt ostendatur, volatu trãsgredi hominũ naturã. Psal. 35. Didym.

30. Pharao superborum magister, præcepit omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus ortũ fuerit, in flumen proiicite. Exod. 1. Ad quæ pulchrè D. Basilius Seleu. orat. 9. *Quos Dei manus efformabant, Regis manus aquis obliterabant. Infantum ingulatur erat flumen, pariter & sepulchrum, ac genitus morti coactus, stragésque cum generatione concurrebat. Talis erat hominis cum Deo contentio*. Vndénam hominis contentio cum Numine? An non quia se omnino exutum humani

Marg.: Pharao sese ab homine trãs ferens existimat quid non ab hominum societate se putet alienum?

humanitate existimat? *Non sum sicut cæteri homines*, qui sicut lucifer inire audeo cum Deo contentionem.

31. *Regia dignitatem fastus supra naturã volitare existimat.* Matt. 1.

Regni dignitas nescio quid præseferat vanitatis. Vidisti Reges sanctitate conspicuos & tamen ipsa Regia dignitas à communi natura se putat alienam. Matthæus sic Christi generationem exprimere aggreditur; *Liber generationis* IESV CHRISTI *filij David, filij Abraham.* c. 1. Cur seniori Abrahamo iunior Dauid præponitur? An non Christus ab Abrahamo ducit generationem humanam? Ita planè. Nũ non à Dauide Regnum Israëlitarum hæreditauit? Quis dubitet. Quare igitur non præcedit natura, sed Regnum? Nũ Regia dignitas, hoc ingenio prædicta est, vt super humanam naturam nunquam desinat peruolare? Sic Hugo Card. *David Abraha præponitur. Prior ponitur David, quia Regni dignitas est maior, quam naturæ.* O quam ipsi naturæ humanæ superiorem se existimat Regiæ fastus dignitatis!

Hugo. Cardin.

32. *Regis ingenium superbia morbo plerumque corruptũ se existimat hominem creaturam, nõ creatorẽ.* Genes. 1. Hugo.

Moses sic mundi describit natalitium: *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Genes. 1. Vbi Hugo Carensis particulam haud inaniter interponit: *In principio creauit Deus (non Rex) cælum, & terram.* Et quonãmodo Rex poterat creator existere? Ergo superuacaneus Cardinalis commentarius: *Non Rex.* Vt ostendam pulchrè additam esse particulam illud Ausonij memoro: *Regio nihil præcelsius supercilio est.* Ergo iam ab orbis natalitio monentur Reges cum hominibus creatos proculdubio fuisse, haud extitisse creatorem: Non dicat igitur superbus Pharisæus. *Non sum sicut cæteri hominum.*

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Pharisæus despectis cæteris, Publicano vituperiis affecto, cupit ex omnium fulgescere obscuratione.

Superbus enim nunquam se eximium fore putat, nisi quando reliquos contemnit.

33. Gregor.

AIt D. Gregorius lib. 23. Mor. c. 7. *Quatuor sunt, quibus arrogantium tumor demonstratur. Cum scilicet bonum aut à se habere existimant, aut pro suis meritis accepisse; aut se iactant habere, quod non habent; aut despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent.*

34. *Sol superbiæ simulachrũ, quia cæterorum luminarium extinctione lucet.*

Scio solem superbiæ hieroglyphicũ olim expressisse, qui tot ex capitibus omnium virtutum exponit simulacra. Quod si quærites, quid soli cum superbia? Vnum illud monuero, de reliquorũ luminum extinctione lucescere. Id quidem veraci supremo fulgore, fonte luminũ; Vnde oõ aptè vel ex hoc capite sol superbię præsefert imaginem. Attamen video ingeniosius Auctor solis natalitium cunctis luminaribus esse sepulchrum, eum superbiæ expressit simulachrum. *Benignissimus sol virtutum omnium typum gerens, nempe charitatis, liberalitatis, iustitia, puritatis, & similium: aliàs videtur alicuius vitij figuram exprimere, nempe superbia. Solis enim proprium est, lucere omnium reliquorum luminarium extinctione. Sic superbus curat aliorum deturpatione micare, reliquorum laudari vituperio.*

35. *Christus humilium Rex, quia solis typo exprimitur, luciferi Ioãnis imminutione lucet.* Ioan. 3. Cyrill.

Exaggeratione quadam rem expendam melioris solis exemplo. De Christo Ioannes, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ioan. 3. Porrò Ioannes *non erat lux*, sed vt testimonium perhiberet de lumine lucifer præcurreos. At quonam sensu verè dicere potest Baptista, se futurum minorem iustitiæ sole rutilante? Nam qui semper expressione fulgentissimarum virtutum maior fiebat, quonammodo poterat minor ostentari? Do D. Cyrill. lib. 2. in Ioan. c. 63. *Illũ oportet crescere, me autem minui. Crescit enim quotidie* sol iustitiæ, *orbémque splendore suo illustrabit; ego vero* lucifer *minuor, nec datam mihi mẽsuram excedam, sed in eisdem permanens, tãto minui videbor, quanto ad maiora ille recurret.* Nõ cessabo ego à meritis, (ac si diceret) quæ in me semper augentur. At Christus verus sol, *Lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in mundũ*, amplitudine cœlestis doctrinæ miraculorum expressione in dies crescẽs fulgẽtissimus ostentabitur. Vnde solem ille gerens, ego stella necessariò abscondar. Si hoc humiliũ omnium Magistro ex solis insigni sibi assumpto: quid sol ipse materialis? Certè est proprium lucescere *cunctorum luminarium extinctione.* Non extinguitur omnino Ioannes lucifer, sed imminuitur aspectu; quia verus humilium Magister haud aliorum elucet extinctione. Vnde ipse de Ioanne. *Non surrexit maior.*

36. *Miraculum est superbiã non eminere reliquorum iniuria.* Plin.

Quam miraculosa putaretur humana extructio, quæ & superbiam ex celsitudine præsignaret, & non lucesceret ex aliorum obumbratione! Sæpe pyramides, & obelisci inter orbis miracula recensentur Poëta canente,

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.
Assiduus iactet nec Babylona labor.

Quibus planè Auctorum suorum superbia posteritati præsentatur. Certè vnam pyramidem, vnicúmve obeliscum miraculosum legi apud Plin. lib. 36. c. 10. campo in Martio extructum, de quo Auctor, *Digna cognitu res, & ingenio fæcundo. Manlius Mathematicus apici auratam pilam addidit, cuius vertice vmbra colligeretur in semetipsam.* O miraculum! Superbissimus obeliscus eo ingenio fabricatur, vt vmbra in semetipsam collecta adiacentia non obumbraret. Planè miraculosum est, si superbus eminens non fulgescat reliquorum obumbratione.

37. *Superbia idẽ est, quod iniuria, quia fide in more, omnes obumbrat.* Ose. 7. Hieron.

Fatur Oseas, *Et humiliabitur superbia Israël.* c. 7. LXX. *Et humiliabitur iniuria Israël.* Vbi Hieron. *Pro superbia septuaginta Interpretes more suo iniuriam transtulerunt.* Quid more suo? Scilicet verbi sensum & vim attendentes. Aptè quidem, nunquam enim non superbia sol esse gestit radios expressurus reliquorum luminarium iniuria, omnium stellarum extinctione.

38. *Solis superborum imaginis proprium, syderũ iniuria lucere; Sol non obscurans alios fulgores, in miraculũ exortus.* Iob 25. Philo Plin.

Huiusmodi solis proprietatem calluit Iobus, dum inquit, *Ecce Luna etiam non splendet, & Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* c. 25. Stunica, *Eius, id est, solis.* Orto enim magno luminari fonte fulgoris, omnes riuuli lucis absorbentur. Philo de Mũdi opif. *Sole exorto, tot stella, quæ apparebant, non obscurantur solũ, sed euanescunt etiam præ splendore diffuso.* O superborum apertè simulachrum! Aptè Plin. Paneg. *Est hæc natura syderibus, vt parua, & exilia validiorum exortus obscurẽt.*

Traianum

Traianum autem suum obeliscum præcelsum inter miracula recenset. *Tu tamen Maior omnibus quidem eras, ed sine vllius diminutione Maior.* In conspectu igitur superbi luminaris *stella non sum munda.* Quid purius stella illa, scilicet Publicano pœnitente, plorante, pectus percutiente? Attamen audet Pharisæus proclamare è cordis obelisco: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, velut etiam hic Publicanus.*

39. *Christus Sol lucis prælidis vmbraculū stellis, miraculum humilitatis est.* Zeno. Matth. 17.

Redeo ad Christum solem positum in miraculum. Zeno serm. 1. de Nat Mar. *Christus totum sua luce resplendens, corpus sine vmbra gestabat.* Quia de nullius iniuria lucebat. Apud Thaboris verticem Discipulis apparuit fulgentissimi solis in morem. *Resplenduit facies eius sicut sol.* An Discipulorum, an Moysis & Eliæ iniuria? *Et ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Matth. 17. Operculum erat nubes à sole immissa, sed non stellarum extinctio. Gestabat enim sol Christus corpus sine vmbra; vt sine vllius iniuria luceret; quia nubes illa lucida solis vicaria luce operiebat, splendens mittebat vmbraculum. O superbiæ exiguitatem, si de aliorum obumbratione lucet! Nazianzenus orat 2. de pace, *Extreme miseria est, non propriis viribus, sed aliorum imbecillitate niti.*

Nazian.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.

Superbus Pharisæus inaniter quidem pœnitentiæ fictæ operibus pergrauatur.

Quam agnatum superbis, vias difficiles terere, per præcipitia ad tartarum properare.

40. Greg.

Ait D. Gregor. lib. 19. Mor. c. 17. Pharisæum *ciuitatem cordis insidiantibus dæmonibus aperuisse, quam frustra per ieiunium clausit.* O superbi cordis miseriam, corpus ieiuniis afficitur, & animus dæmonibus traditur Et quando superbus facili itinere tetendit in tartarum? Vias ille difficiles ambulat, per præcipitia tendit.

41. *Superbia vnico pede graditur, seu potius saltat, quia magno labore ad tartarum tendit.* Periand.

Precabatur Dauid, *Non veniat mihi pes superbiæ.* Psal. 35 Superius de superbiæ vitio sub alio prætextu exposui, Didymi in Cat. Græc. commentarium adhibens: *Superbia translatione quadam perinde ac si de animali loqueretur, pedem dicit.* Cur non pedes superbiæ, sed *pedem*? Certè quia superbia non animantium more graditur, sed cursu difficili vtendo pergit ad baratrū. De Vulcano Præside damnatorum ludebat Periander Græcus Comicus.

Superbus ille vnico pede incedit.

Claudum aptè superbiæ partem expressit, quia superbiæ gressus admodum laboriosi: Si ducor à ciuibus? Si vrbanitate debita excipior à Proceribus? Si se se mihi nobilis anteulit? O difficiles vias.

42. *Vias difficiles init superbus.* Sap. 5.

Superbi illi vociferantur: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis: & ambulauimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia nostra?* Sap. 5. Id est, quam ex superbia commoditatem traximus, si difficillimis itineribus nos in perditionem deturbauit? Christus, *Ego* inquit, *sum via.* Vnica via commode graditur, qui humilitatis iura seruat, per innumeras difficiles vias trahitur, qui superbiæ morem gerere curat: *Ambulauimus vias difficiles.* Quam difficile tot vias vnico pede nitens poterit ambulare!

43. *Super obeliscorum & pyramidum cuspidato cacumine difficile nititur.* Iob. 41.

Iobus sic superbum expressit: *Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum quasi lutum, post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem; non est potestas in terra, quæ comparetur ei, omne sublime videt. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* c. 41. En Vulcanum superborum Principem. Porrò LXX. Interpretes verbum illud: *Et sternet sibi aurum, quasi lutum,* sic transferunt. *Lectus eius obelisci acuti.* O superbiæ miserrimæ stratum! Obeliscorum, ac pyramidum vnico pede cuspidato cacumine nititur. Quid hoc stylita miserius?

44. *Superbus energumenus est, à dæmone dilaniatus.* Ioan. 8. Elias Cret.

Vt hostes Domini eum superbiæ arguerent, proclamaut. *Nonne bene dicemus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ioan. 8. Vbi Elias Cret. in orat. 4. Nazianz. *A dæmonio Christum obsessum aiunt, quod in more dæmonis sit Deo debitum honorem in se transferre, ac sine verecundia, Dei gloriam rapere. Quod ipsum à Christo fieri putabant cum se qui esset homo, in Dei sedem quasi collocaret his verbis: Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Si Christus ob superbiam dæmonem esse, aut similem ei existere existimabant, cur non dicunt, *Dæmonium es,* sed potius, *Dæmonium habes?* Porrò vt superbiæ vias difficiles intelligeres. Dæmon alios discerpit, homo dæmonium habens ab ipso discerpitur. Quid energumeno miserius? Ergo superbiæ vitio laborans, diabolus non est tortor aliorum, sed dæmoniacus ab ipsa superbia dilaniatus, homo est dæmonium habens discerpens.

45. *Vnusquisque superbus dæmoniorum omnium cingitur satellitio, vt ab omnibus torqueatur.* Isa. 2. Procop.

Expressit Isaias, *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur; & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas.* c. 2. superbas cedros Libani vocitauit. Quare precor? An quia Libani adeò idololatriæ addictus mons, vt quot cedri, tot idola, tot essent dæmonia? Arrogans quilibet mons Libani est omnium dæmonum cinctus satellitio, vt ab omnibus torqueatur. Procopius, *Præterea cur arrogantem Libani omnes cedros esse dixit? Quoniam dæmoniacū quiddam omnis habet elatio. Erat omni idololatria refertissimus Libanus. Hinc & quæ in eo vagabantur potestates malas cedri significant, quæ nequitia fastigia aduersus Dei notitiam sunt attollere solita.* Proh miserum superbiæ pectus tot refertum tortoribus!

46. *Vbi vanitas, ibi afflictio diaboli.* Eccl. 1. Gregor.

Ecclesiastes exposuit, *Vidi cūcta sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* c. 1. Vbi vanitas, vbi superbia est, ibi necessum est spiritum affligentem, & torquentem commorari. D. Gregor. Neocæsar. *Spiritu prodigioso, & execrando omnia hæc inferiora vana, plena sunt.* Vanitas adest? Haud inanem reputes; plena est enim spiritu prodigioso, & execrando torquente scilicet, & discerpente. Ergo aptè miseri superbi proclamant: *Ambulauimus vias difficiles, ieiuno bis in Sabbatho,*

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Pharisæus stans, hæc apud se orabat, &c.

Orabat Pharisæus apud se; id est, non verè apud Deum orabat, qui in superbiæ piaculo persistebat.

Quiddam enim quadammodò implicatorium est, verè orare & delinquere. An quia vera oratio illicò adstruit animi innocentiam.

47. Basil.

DIuus Basilius apud Thom. in Cat. acutè, *Dixit autem, Hæc apud se orabat; quasi non apud Deum verè; quia ad se ipsam redibat per peccatum superbiæ.* Si verè Pharisæus apud Deum orauisset, si digne profudisset orationem, illicò à Pharisaica superbia recessisset. Peccato superbiæ adhuc contaminatur? Apud se fictè orat, nō verè preces ad Dominū profūdit. O quam præsentaneū aduersus cunctas animi ægritudines oratio est medicamentum!

48. Vt orat, & iam hostes contacent prostrati. 1. Reg. 7. Caiet.

Cum Samuel offerret holocaustum, intonuit Dominus fragore magno super Philisthiim, & exterruit eos. 1. Reg. 7. Holocaustum illud (Caietano auctore) oratio erat Prophetæ, ad hostes animi comminuendos. *Cerne hinc, quantum valeat oratio Prophetæ ad debellandos hostes.* Particulam preme, *Cum Samuel offerret.* Non dixit, postquam obtulisset, postquam orasset: sed cum orationem profunderet, illicò hostes exterriti contacent; quia illud ipsum orare, iam est animi hostem, superbiam scilicet deperire.

49. Est oratio quasi præsentaneus fons remissionis. Eligi.

Fatur D. Eligius hom. 13. *Et quomodo non deerunt vobis quotidiana peccatorum vulnera, sic nunquam desint orationum remedia.* Tanta ne orationis vis: vulneratur animus peccato quotidie, quotidie ratione sanatur? Veracis orationis virtus præsentissimum assolet esse peccatorum vulneri medicamen. Profluit sanguineum vena? Nonquam desit remissionis fons, id est orationis virtus illicò diluens maculas peccatorum.

50. Propera animi salus, cū oratio auditur; quia profert remissionis fontem. Isai. 58.

Audi Isaiam, *Erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis.* cap. 58. Gratiæ lux post peccatorum tenebras repente exoritur, citius sanitas profluit è superis, iustitia expectat apprehendi, instat excipi hospitio. Vndenam tam propera animo salus? *Tunc inuocabis.* Cum cito crimina profligantur ex animo, signum est hominem orauisse; quia oratio remissionem præparati ac perennis fontis in morem propinat.

Laurent. Nouar.

Eleganter D. Laurentius Nouar. hom. de Eleemos. *Non potest homo munera Lauacri illibata seruare, nec purus se persistere, noxia sibi incumbente natura. Verum cum sæpissime lubricus incedat, & offensus incurrat, opera faciunt indulgentiam, pœnitentia reformat puritatem, oratio præstat remissionis fontem.* Opera eleemosynæ, ieiunij, *&c.* indulgentiam gerunt, pœnitentia puritatem refurmat? Quid ergo præstabit oratio? Quid? *Oratio præstat remissionis fontem.* Non solum facit indulgentiam, non solum refurmat semel, ac iterum puritatem; sed misericordiæ ipsius fontem propinat, vt præsens adsit facillimum vulnerati animi medicamen.

51. Facilitas huius medicaminis ad peccatorū abolitionem preme. Nyssen.

Vis facilitatem medicinæ obiiciam? Feruet animus ira, superbia, inuidia, iniustitia, impietate? Adsit oratio, en fons cunctæ impietatis refrigerium. Gregor. Nyssenus lib. de Orat. Domin. *Oratio iræ moderatio est, superbiæ sedatio, atque compressio, inuidiæ profligatio, sublatio iniustitiæ, impietatis correctio.* O fontem remissionis! Vix vnda precum spargitur, vti lustralis aqua & omnium vitiorum exitialis ignis extinguitur.

52. Vix clamāt Niniuitæ, cū cuncta crimina delentur. Ion 3.

O quot flagitiis Niniuitarum ciuitas conflagrabat, cum Ionas prædicator exsurgit! *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius: Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine; & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.* Ion. 3. Preme illa: *Et clament ad Dominum, & conuertatur vir à via sua mala.* An clamorem orationis illicò sequetur hominum conuersio? Ita planè; nec enim vna in sede oratio & crimen poterant commorari.

Chrysost.

Chrysostomus Orat. 1. de Precat. *Volo autem paucis ostendere, nos, quamuis culpis, & sceleribus coopertos oratio deprehendat, illico tamen expiari. Ergo notum est, Niniuitas a plurimis per precationem delictis, & sceleribus liberatos. Statim enim vt illos deprecatio occupauit, iustitiæ participes effecit. Et ciuitatem, quæ cum intemperantia, nequitia, viuendique ratione nefariè degere consueuerat, celeriter correxit, veteri consuetudine plus valens.* Quid accommodatius? Particulæ enim, *illicò, statim, celeriter* præsentaneum vitiorum ægritudinibus remedium indicant orationem.

53. Publicani pectus fons criminum ab orationis fontis vnda vna exsiccatur. Luc. 18. Eulog.

Vt autem fontis remissionis, id est, orationis vim disertiùs exprimam, conscientiam hominis iniqui fontem etiam criminum esse dixerim. Quem quidem vberrimum fontem orationis fōs adeo obruit, vt illicò exiccatus appareat. Publicani ostendam pœnitentia, *Publicanus* (ait Lucas) *a longè stans, nolebat nec oculos ad cælos leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori* cap. 18. Quodnam pectus ille percutiebat? D. Eulogius Archiep. Alex. contra Nouatian. apud Phot. lib. 1. *Pectus receptaculum peccatorum est. Ex corde enim veniunt, vt ait Christus, cogitationes malæ. Vnde percussit fontem malorum, vt fluenta peccatorum exsiccet.* O quam difficile perennis fontis fluenta exsiccantur, si vel riuulorum vndam vix assidua diligentia exhaurire valet! Quænam igitur vis potuit tam facilè totum criminum fontem exsiccare? In Euangelio Publicanus (ait Doctor) *in Templo orat, ideo percussit pectus vt fluxura peccatorum exsiccaret.* Vberrimum orationis fons aduersus peccatorum fontem procedit in campum, & vnios preculæ stillatione totum vitiorum fluentorum, totum fontem ebibit.

54. Ideo oratio præsentaneū remedium nō adhibet, quia apud nos, instar Pharisæi orationes. Psalm. 37.

Si tam efficax, (obiicis) deprecatio est, cur qui quotidie septies laudem dicimus Deo, tot vitiorum absorbemur abyssis? Certè quia instar Pharisæi, qui *apud se orabat*, apud nos deprecamur. Ore enim orationem profundimus, dum mens ad propria commoda diuagatur. Si gemitus à corde non procedat, apud nos procul dio precamur. Dauid expressit, *Rugiebam à gemitu cordis mei, Domine, antè te omne desiderium meum*, Psal. 37. Non voce tantum orationem profundo, sed & corde profero gemitum, ne apud me orans, non merear exaudiri. Cæsarius Arelat. hom. 33. *Oremus ergo cum suspirio, & rugitu, vel gemitu secundum illud Propheticum:*

Cæsar. Arelat.

Rugiebam à gemitu cordis mei. Ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud ex ore proferamus. Ne forte dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus variis occupata, ab orationis sensu discedat, & inde acquirat peccatum, vnde potuit habere remedium. Eleganter.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Non sum sicut cæteri homines, &c.

Pharisæus cunctis virtutibus, quas iactitabat, inanis ostenditur dum se, alium à cæteris proferebat.

Quia vacuus omninò, qui communitatis viam deserit, singularem instituit.

55. *Contra vitium singularitatis.*

PHarisæus meritò salis Infatuati in morem, foras emittitur, minus, imo nihil habere deprehenditur, dum se iactitat singularem. Quia communem viam deserens, peculiarem vt ineat, se omninò vacuum virtutibus ostentat. *Non sum sicut cæteri hominum. Non sum*, ais, & verum profers; quia non est, qui singularis esse cupit. Mihi credite, paruulum semper comperies eum, qui communitatis trita recedit à via. Anselmus, *Quid est, Cæteri homines, nisi omnes præter ipsum. Quasi diceret, Solus sum.* Solum te ostentas, ab omnium communitate te iactas abstractū? O quanta vacuitatis premeris inopia!

Anselm.

56. *Ficulnea singulariter pomicula pro flore proferens, dum arborum communitas flores parturit: vacua remanet.* Cant. 2.

Clamat Sponsus, *Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem.* Cant. 2. Veris instantia omnes arbores, omnes plantæ varij coloris floribus stipantur, sola ficulnea imperfectos illos fructus ostentat, grossos pro flore parturit. Quonam fructu? Decidunt euocti flores ex communitate arborum, deciduot & ficulneæ singularis pomicula. Porrò cæterarum arborum, ac plantarum flores poma sequuntur decidentes, ficulnea autem vacua omninò exponitur. Vacuum omninò est, quod à communitate secernitur. Pulchrè Ambrosius lib. 7. in Luc. *Si diligenter inquiras, discretam ab vsu arborum ceterarum consuetudinem ficus inuenies, Namque aliæ florem ferunt, antequam fructum, pomaque ventura prænuncio sui flore designant. Hæc sola ab initio germinat poma pro floribus. In aliis flos decutitur, & poma nascantur; in hac poma decedunt, vt poma succedant. Ergo priora illa cassa fructuum vice floris emergunt. Ita præcoci quodam nascendi vsu, quæ ordinem naturæ* nesciunt, beneficium naturæ *seruare non possunt.* En singularitatem non solum à communitatis bonis priuatam, sed & particularibus, quæ sibi adscribere curabat, inanem aspicimus.

Ambros.

57. *Paulus non esset ita plenum electionis vas, si se à cæteris Apostolis abstraheret, si à communitate singularis abiret.* Gal. 1.

Alicui indeuoto animo fortassè Paulus inter ficulneas esset annumerandus, qui singulariter Euangelij fructus curat exponere. *Notam* (ait) *vobis facio fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per reuelationem Iesu Christi.* Gal. 1. O ficulneam in procerarum arborum paradisi Apostolici conspectu communi grossos pro floribus parturire festinantem! *Neque enim ego ab homine accepi.* An non hoc est: Non sum sicut cæteri Apostoli? Absit à Paulo vitali quidem Ecclesiæ Cedro à communitate Apostolica velle seiungi, à cæteris curare se moueri. Audi Rupertum lib. 1. in Apoc. cap. 1. *Si omnium Apostolorum ista erat gratia, quod per reuelationem didicerunt Sacramenta Christi: quid opus erat, vt tam vehementer Apostolus de semetipso assereret, quod non ab homine, sed per reuelationem Christi didicisset? Idcircò tulit, quæ prædicta sunt, de semetipso asseruit, cæteris se non præferens, sed coæquans Apostolis; videlicet vt permaneret veritas Euangelij.* Preme τὸ, *Cæteris se non præferens.* Non iactitat Paulus, Non sum sicut cæteri; potius asserit, se, instar cæterorum Apostolorum, reuelata sibi à Domino mysteria peruulgare. Haud esset Paulus plenum electionis vas, vt nominis salutaris oleum gentibus propinaret, si in morem virginis fatuæ Virginum communitatem desereret, ac instar fatuæ ficus fructus pro floribus singulariter parturiret.

Rupert.

58. *Curat Deus miraculum circa natalitium Iesu adumbrari in Elisabetha, & aliis, ne Virgo appareat singularis, minus plena fructibus videretur.* Luc. 1.

Archangelus Virgini Christi generationem nunciat: *Ecce* (plena gratia) *concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. Obijcit virginum Regina, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Cui Archangelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua* Luc. 1. Ac si diceret, singularis planè το Spiritus sancti operatione sine viri respectu concipies. At ne Virgo prudentissima existimes te ex miraculoso partu futuram singularem: huiusce miraculosi fœtus iam altissimi virtus vmbraculum expressit, quod prius hominibus præsentabit, nempè sterilis & annis Elisabethæ conceptio. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Premit acutè Theophylactus verbum, *Obumbrabit. Sicut pictor prius delineat, & vmbras inducit, & deinde perfectum colorem addit: ita & Dominus ipse sibi carnem condens, & imaginem hominis formans, primum delineauit illam.* Profectò, auctore me, delineauit, vmbras inducens olim in sterilis Annæ fœcundatione, nunc in Annæ alterius Mariæ matris, & Elisabethæ mira parturitione; ne circa miraculosum partum Maria vere vitalis arbor singularis appareret, quæ iam copiosum fructum mundo expressura erat. Singularitas enim non indicat copiam sed arguit vacuitatem.

Theoph.

59. *Elias se reputans singularem, curat à seculo abstrahi, & communitate Prophetarum addici, ac si vacuus futurus esset, si singulariter Deum assereret.* 3. Reg. 19. Gregor.

Occisis Prophetis ab Achabo fugit Elias, & *perrexit in desertum viam vnius diei. Cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait, sufficit mihi Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum, quam patres mei.* An ego ò Domine singulariter viuus abibo, cum omnes fideles tui famuli periere? Quis prædicanti fidem adhibeat singulari? Porrò Dominus Prophetæ. *Derelinquam* (alij dereliqui) *mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata coram Baal.* 3. Reg. 19. Viue ac prædica Elia, nec enim à communitate singularis abstraheris, sed communitatis fidem profers. D. Gregor. lib. 31. Mor. cap. 23. asserit Dominum Eliæ reuelasse minimè singularem esse, vt eum ad ministeria alliceret Prophetarum. *Magno enim casu virtutis sua opera vastat, qui aliorum communitatis bona subtiliter pensat: torquet autem ea, quæ ipse fecerit, facta &*

ab

ab aliis conspicit, cum qui de singularitate intus erumpere nititur vacuitatis tumorem premit. Timet sibi operaturo Propheta, dum se singularem esse & vita, & fide existimat ne vacua opera proferantur. Vnde Dominus eum communitati adhuc indicat adhærescere.

SECTIO SECVNDA.

Publicani Humilitas.

TEXTVS.

VERS. 13. ET Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo; quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De humili Publicani oratione.

1. *Stat à longè humilitatis ergo.*

ET *Publicanus à longe stans.*] Tota Pharisæi gratiarum actio redolebat superbiam? Tota Publicani oratio humilitatem, ac pœnitentiam spirat. *Stans a longè*, in atrio ipso Templi constitit, procul ab atrio Sacerdotum, & altari, in quo sacrificia cremabantur. Se indignum Delubri deputauit ingressu.

2. *Nec audet ad cœlum oculos eleuare.* Caietan. Iansen.

Nolebat nec oculos ad cœlum leuare.] Theophylactus, *Indignos reputans superna visione, qui maluerunt terrena bona spectare, & quærere.* Preme particulam, *Nec* innuentem scilicet, nec manus leuasse Caietano, ac Iansenio auctoribus. Nolebat nec oculos quidem in cœlum leuare, multo minus manus, quas Pharisæus extollebat.

3. *Orantes in atrio, poterant oculos leuare in cœlum.*

Ad cœlum leuare.] An ad Templi tecta laqueata, vel ad ipsum cœlum? Ad cœlum planè. Nam Iudæi in atriis Templi orabant sub dio, patente cœlo, ideoque in cœlum oculos poterant dum orarent, attollere.

4. *Affectu pudoris abstinet à cœli respectu.* 2. Reg. 2. Barrad.

Quonam autem affectu, nisi humilitatis, & pudoris? Dixit Abner ad Azael *Recede, & noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum* 2. Reg. 2. Non potero post delicti perpetrationem oculos præ pudore ad fratrem eleuare. Barradius, *Non potero eleuare oculos ad Ioab, si fratrem interfecero.* Nolebat, imo præ pudore non poterat Publicanus faciem leuare ad cœlum, ac si cum Prodigo clamaret, *Peccaui in cœlum, & coram te*, Luc. 15.

Luc. 5.

5. *Cur pectus percusserit?* Theoph. August.

Sed percutiebat pectus suum.] Quare? Theophylactus, *Cor quodammodo pungens, & excitans.* Porrò percussio pectoris hominis agentis est pœnitudinem. Augustinus serm. 8. de verb. Dom. *In hoc ipso, quod sonuit, Confiteor, pectora vestra tutudistis, Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum.*

6. *Breuis oratio Publicani efficax.* Chrysost. August.

Deus, propitius esto mihi peccatori. Græcè, ἱλάσθητί, *placatus.* Perbreuis oratio, sed efficax admodum ad pectoris contusi mundationem. Peccatorem se profitetur, vt Medicum ad vulnus alliciat. *Vulnus* (ait Chrysostomus) *qui detegit, medicinam quærit.* D. Augustinus de verb. Dom. *Quid mirum, si Deus ignoscit, quando ipse agnoscit? A lõgè stabat, sed eum Dominus de propè attendebat. Excelsus enim Dominus, & humilia respicit. Tremebat conscientia, spes subleuabat; percutiens pectus pœnas de se exigebat, ideo Dominus confitenti parcebat.* Non iactat vt Pharisæus iustitiam, sed piacula profitetur. Aptè Chrysostomus apud Saa. *Coniunctam cum superbia iustitiam superat humilitas cum peccato. Superbia enim facilè iustitiam deprimit, at humilitas pondus superat.*

Chrysost.

7. *Quid ab illo iustificatio?*

Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Græcè pro particula, *Ab illo* habetur, ἢ ἐκεῖνος id est, *Quam ille.* Magis quam ille Pharisæus iustificatus Publicanus recessit. Hebræi carent comparatiuis, & positiuis vtuntur, *Bonum est sperare in Domino, quam in Principibus* Psal. 117. Ita descendit hic iustificatus quam ille, id est, iustior habitus, quam Pharisæus.

Psalm. 117.

8. *Versioni nostræ accommodatur expositio.* Barrad.

Porrò Barradius, & alij sensum eundem nostræ versioni accommodant. *Descendit iustificatus ab illo.* Hebraismus est, id est, *præ illo.* Descendit iustior cum Pharisæo comparatus. Anselmus, *Descendit iustificatus, ad comparationem Pharisæi.* Vel iustificatus est (hunc sensum faciliorem approbo) *ab illo* Pharisæo; quia Pharisæus sua superbia extulit, & illustrauit Publicani humilitatem.

9. *Recessit ne iustificatus Pharisæus?*

An Pharisæus iustus è Templo recesserit? Affirmatiuam sententiam Textus asserere videtur: *Descendit hic iustificatus ab illo, seu magis.* Ergo Pharisæus iustus descẽdit. Non enim rectè dicitur homo iustus iustior iniusto. An cygnus coruo cãdidior aptè vocitabitur? Respõdeo Pharisæũ nec fuisse iustum, nec iniustũ à Tẽplo recessisse. At Publicanus iustior dicitur, quia Pharisæus iustitiam quandam ex ieiuniis, ac decimarum solutione habeat externam. At aptius ad comparationem recurro. Descendit iustificatus ad comparationem Pharisæi iniusti. Ieremias, *Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iudæ.* cap. 3.

Ierem. 3.

10. *Publicanus iustus descendit è Templo.* Beda. Euthym.

Num Publicanus in gratia recessit? Beda affirmat, *Et si iniustus ad Templum venit, iustificatus a Templo redit.* Et Euthymius, *Pharisæus, qui se adeò iustificauerat, à Deo condemnatus est: & Publicanus, qui se sibi adeò condemnauerat, à Deo iustificatus.*

11. *De exaltatione, & humiliatione.* Anselm.

Quia omnis, qui se exaltat humiliabitur, &c.] Agnata etenim est superbiæ demissio, humilitati autem exaltatio. Anselmus, *Antè ruinam exaltatur cor, & antè gloriam humiliatur.*

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX PVBLICANI HVMILITATE.

OBSERV. I.

Ad illa verba:

Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur.

Superbiam Pharisæi Deus humiliatione flagellauit.

Nihil enim superbia, Deo iudice, magis agnatum flagellandæ, quam humiliationis dedecus.

12\. PROFECTÒ Domini hæc sententia tot exemplis confirmata in sacris obiicitur, vt non indigeat probatione. Attamen paucis hisque peculiaribus illustrabo. Digna quidem superbiæ merces humiliatio, & ignominia, imo & necessarium supplicium; quia vix potest superbiæ vitiũ ab humiliationis respectu separari.

13\. *Idem est superbiam parare, ac ignominiã humiliationis.* Ezech. 16. Psalm. August.

An non idem prorsus superbia & humiliatio est? Propheta proclamat ad Ierosolymam, *scelus tuum, & ignominiam parasti*. Ezech. 16. Vbi Pradus, Parans scelus parasti simul ignominiam; quia superbia ignominia & humiliatio est. *Deiecisti* (ait Dauid) eos, *dum alleuarentur*. Psalm. Cur non *dixit*, (requirit Augustinus) *Deiecisti eos postquam eleuati sunt*? Prius enim eleuandus est, qui exturbandus asseritur. Certè superbiæ tam agnata est humiliatio, tam idem cum illa est, vt illud ipsum, hominem superbire, iam sit humiliari. Dum eleuantur, humiliantur; (addit Doctor) *quia illud ipsum eleuari, iam deiici est.*

14\. *Idem in scriptura superbia, & ignominia.* Ezech. 7. Ose. 5.

Idem planè in scriptura est *superbia*, ac humiliationis *ignominia, contumelia, iniuria*. Pergit Ezechiel, *Germinauit superbia*. cap. 7. LXX. *Surrexit contumelia*. Superbiæ proprium est surgere, eleuari. Porrò cum superbia surgit, contumelia simul & humiliatio attollitur: Surrexit contumelia, quia illud ipsum superbire, iam est humiliari. Oseas contestatur, *Respondebit arrogantia Israel in faciem eius*. cap. 5. LXX. *Humiliabitur iniuria Israel*. Respondete arroganter, est humiliari; superbire affici iniuria est.

15\. *Superbia caput, est pes; quia superbire, est humiliari.* Psalm. 35. Ambr.

Dauid concinit, *Non veniat mihi pes superbiæ*. Psalm. 35. Iam sæpe alibi quæsiui, quare superbiæ, quam Didymus animantis imaginem gerere asseruit, vnicus pes tribuitur. Ambrosius, Ideo pes *errat superbia, quia caput non tenet*. Ex mente Patris superbiæ caput & pes idem prorsus. Caput illud aureum, vbi tot ventosæ turres extruuntur pes est proculdubio quia exaltatio cum humiliatione copulatur. Pede autem vnico tota superbia exprimitur; quia quemadmodum animaos vnico pede nixos facillimè subuertitur, superbiæ gressus potius casus debet vocitari.

16\. *Simul nascuntur superbia & virga humiliationis.*

Acutè Propheta expressit. *Floruit virga, germinauit superbia*. Ezech. 7. Quænam virga floruit? superbia, quæ quidem ad sui flagellationẽ virga est. Cum videris superbiam germinare, virgam intueberis percutientem; quia superbia & humiliatio aut simul germinant, aut idem esse comperiuntur.

17\. *Idem est superbire, ac humiliatione flagellari.* 1. Cor. 4. Chrysost. Thom.

Paulus Corinthiis profatur, *Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam*. 1. Cor. 4. Exponit Chrysostomus, *Ostendit puerilis animi esse superbiam*. At D. Thomas difficilem reddidit locum, dum ait: *Ostẽdit eos dignos esse correctionis flagello*. Nihil de correctione dixit, sed solum superbiam expressit. Quid scripsit? *Inflati sunt quidam*. An aliquid de correptionis flagello attexuit? Nihil. Quonam modo ergo *ostendit, eos dignos esse correctionis flagello*? Profectò quia dum ostendit superbos, flagellatos ostendit. Ausonius aiebat, *Nullum dirius flagellum; nulla horribilior calamitas humiliationis dedecore*. Igitur apertè flagellum contorsit, cum superbos ostendit; quia superbia & flagellum humiliationis simul incedant necessum est.

Auson.

18\. *Qui superbia litat obsequium, necessariò cruciatur humiliatione.* Iob. 15. Aquil. Chrysost.

Testor Iobum patientissimũ testantẽ, *Cũctis diebus impius superbit*. c. 15. LXX. *Omnis vita impij in sollicitudine*. Aquila, *In dolore*. Alij, *Impius se excruciat, sibi ipsi dolori, & cruciatui est.* Quid superbiæ cum sollicitudine, cũ cruciatu? Multũ planè, imò superbia nihil aliud est, quam sollicitudo, ac cruciatus; vnde si impius omnibus diebus superbit, omnibus diebus excruciabitur. Quia dum superbia extollitur, humiliationis vulnere deturbatur. Pulchrè Chrysost. hom. 54. ad Popul. *Quantam habet tristitiam superbus! Æquo modo cruciatur dum extollitur, innumeras sibi contumelias inferens: multum odij, multum inimicitiæ, liuoris mul tũ, multis inuidia.* Preme particulam, *Dum extollitur*, non postquam elatus est; quia illud ipsum eleuare, seu superbire, iam est humiliationis verbere vulnerari.

19\. *Superbia dũ floret, humiliatione interit.* Ezech. 7. Petrar. Isidor.

Memini me apud Franciscum Petrarcham legisse de rosa. *Dum floret interit*. De superbia aiebat Propheta, *Floruit virga, germinauit superbia*. Floris in morem nascitur, superbus? Ergo dum floret interit; cadit flos, vbi nascitur, superbiæ, à cuna & sepulchro simul excipitur, ex agnata humiliatione. Apprimè D. Isidorus lib. 2. Senten. c. 38. *Ibi superbia cadit, vbi & nascitur. Vt non sit superbo aliud culpa, aliud pœna; sed ipsa culpa sit illi & pœna* Non te pudet, ei vitio præstare obsequium, quod sine voluptatis particula totum est flagellatio?

Observat. II.

Ad illa verba:

Et qui se humiliat, exaltabitur.

Humilitatem Publicani Deus exaltatione munerauit.

Nihil enim magis agnatum humilitati, quam exaltatio.

20. August.

AVgustinus tract. 10. in Ioann. *Humilitas,* inquit, *claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Vnde Publicanus tot humilitatis exprimens documenta, à Domino effertur ad superos: quia maior humilitas augustiorem operatur exaltationem: imo illud ipsum humiliari, iã eleuari est, quemadmodũ superbiæ eleuationẽ diximus deiectionẽ existere.

21. *In humilitatis celsitudinem ascẽdit, qui se humiliat, sicut qui se exaltat, succumbatur; quia ipsa humilitas celsitudo est.* August. Iob. 5.

Audiendus idem Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 13. *Qui se exaltat, humiliabitur. Fit, quod scriptum est, Deiecisti eos, dum alleuarentur. Non ait, cum elati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deiicerentur; sed cum extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli iam deiici est. Omnis verò qui se humiliat, exaltatur; in celsitudinem enim celsissimæ humilitatis ascendit, cunctisque rebus caducis, quas pro nihilo ducit, excelsiorem se efficit. Deus* (inquit Iob) *ponit humiles in sublimi.* cap. 5. Quandonam in sublimi ponit? Quando humilitatis ipsius ima petunt. *In celsitudinem celsissimæ humilitatis ascendit*, qui se humiliat; quia illud ipsum humiliari, extolli est.

22. *Dum ex humilitate substernaris, eleuaris.* Iob. 5. Gregor.

Premo Iobi sententiam, *Deus ponit humiles in sublimi.* cap. 5. An postquam humiliati sunt? Minimè, sed dum humiliantur, vt possimus Dauidis imitari proloquium, *Eleuasti eos, dum humiliarentur.* Fatur D. Gregorius, *In sublimi humiles ponuntur, quia dum se ex humilitate substernunt, alta mentis iudicio cuncta temporalia transeunt. Dum que se indignos in omnibus æstimant, recta cogitationis examine huius mundi gloriam transcendentes, calcant.* Expendendæ particulæ, *Dum se ex humilitate substernunt, Dum se indignos in omnibus æstimant.* Non inquit, Postquam ex humilitate deiecti essent, postquam se indignus æstimarunt; Sed dum se substernunt, dum se indignos æstimant; illud enim substerni, iam est eleuari.

23. *Superbia elatio reddit deorsum. humilitatis submissio anelat sursum.* August.

Rursum Augustinus lib. 14. de Ciuit. c. 13. *Est aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor: & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autem superius Deo; & ideo exultat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem eo ipso, quo respuit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius.*

24. *Cum Petrus omnibus se submittit, necessario omnibus præfertur?* Ioan. 21.

Petrò Dominus, *Diligis me plus his?* Ioan. 21. Cur Apostolum non semel de dilectione interrogarit? Cardi. Toletus, *Vt humilitatem eius aliis manifestaret, quod iam cæteris non se præferre, nec comparare ausus esset.* Tunc Dominus eum superiorem cunctis Discipulis, imo Ecclesiæ omni Dominus ostentauit Apostolum. *Pasce oues meas, Pasce agnos meos.* Quare examen dilectionis sequitur Præsulatus indictio? Certè quia eo ipso, quo Petrus se se omnibus submittit ex humilitatis affectu, quasi necessario eisdem omnibus fuerat præferendus; quia humilitas deorsum tendens, sursum auolat.

25. *Dum Ioseph præferri conatur fratribus, fit mancipium: dũ mancipium se omnibus subijcit, ex adoratur.* August. Ambr.

Iosephum testor sententiæ Augustini illustratorem. Aliquando vel somnians fratribus præferri satagebat, & eo ipso sub fratrum pedibus mãcipium efficitur. At dum mancipij instar se se pedibus Ægyptiorum prouoluit, eo ipso Rex Ægypti ostentatur; quia *est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor; & est aliquid humilitatis, quod sursum faciat cor.* Eleganter Ambros. ad Psalm. 118. *Sciuit Ioseph sibi ipsi obfuisse, quod prælatus erat fratribus. Eius pius amor miseriam prælationis inuenit: prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit externos; prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit.* Ipsa humilitas Regem fecit quem ipsa elatio fecerat mancipium, quia sicut dum homo extollitur, deprimitur: dum deprimitur, necessarium est, vt extollatur.

26. *Iuda tunc efficitur, dũ affectat obsequium.* Gen. 49.

Iudæ Iacobus, *Iuda, adorabunt te filij Patris tui.* Gen. 49. Cur non mox à cunctis fratribus adoratur? Cur non instat illicò adorari à fratribus, sed expectat adorari à fratrum filiis? An non posset suo quasi iure primatum asciscere, iam inde à paterna benedictione multis nominibus sibi debitum. Profectò si ipse se se curaret præferri fratribus, Principatum amitteret; quia ipsum præferri deiici esset. At dum se ipsis fratribus submittit diutius, diuturnius ei præparatur Imperium: *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Ibid.

27. *Dum Iuda accumbit, ascendit.* Gen. 49. Caiet.

Pergit Iacob, *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo.* Gen. 49. Preme verba: *Ascendisti Accubuisti.* Si ascendit, quomodo accubuit? Si accubuit, quomodo ascendit? Quia leonis augustè accubitus, ac demissio ipsa ascendendi est occasio. Caietanus, *Accubuisti vt leo. Ad commendandum Regnum Iuda, quia non angebatur cupiditate propagandi Imperium, sed quantum in eo erat, quiescebat.* Accubitu itaque Regni celsitudo commendatur: quia illud accumbere iam erat ascendere: *Ad prædam ascendisti, accubuisti vt leo.*

28. *David sciebat sibi deberi regnum.* Ambros.

D. Ambrosius Apol. 1. pro Dauid cap 6 existimat de Dauide leonis Iudæ catulo Iacobum esse locutum. Hic à Domino inunctus in Regem vti subditus Saulis diu expectauit. Quare? *Dauid debitum sibi Imperium distulit, quod sciebat sibi deberi.* Vndenam sciebat deberi sibi? quod pastor cum esset ab hominibus despectus, gratis accepit? Imò quia Dauid nihil de Principatu cogitabat, sed se se omnibus demittebat, ex vi humilitatis, quam donum Dei æstimabat, (sicut mansuetudinem: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*) sciebat sibi deberi Principatũ; quia illud ipsum humiliari, iã exaltari est.

29. *Daniel dum se humiliat, adeò exaltatur, vt à Rege ipso adoretur.* Chrysost.

Daniel multas superbiendi passus est occasiones. Æstimatur à ciuibus, ipso adoratur à Rege. Et non extollitur? Iustus sanctitatis exprimit documenta? Porrò licet iustitia tanta non esset præditus, sufficeret prudentiæ vis, vt ab humilitatis affectu nõ recederet. *Prudẽte razon de estado*, quia dum te demittis omnibus, te omnibus superiorem geris. Pulchrè D. Chrysost. hom. 8. in Heb. *Daniel habebat innumeras sui extollendi occasiones, sed sciebat, quod hæc omnia ei aderant [illegible]*

extolleretur. Humilitate demittitur, & à Rege, à cunctisque omnibus adoratur. O ingenium ascendendi, humiliati! O auolandi penoæ demissio!

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus.

Dum Publicanus se se peccatorem ostentat, à Deo mirificè commendatur.

Quia qui à propria abstinet laudatione, dignus obijcitur qui ab aliis commendetur, & efferatur.

30. SE se Pharisæus commendauerat, ieiunia, decimatumque extulerat solutionem, vnde à Deo minimè commendatur. At Publicanus à propriis laudibus abstinens Deum nactus est laudatorem. Dum se peccatorem aperit, Deus iustum esse manifestat, operiens delicta, & comparatam ex pœnitudine iustitiam exponens.

31. *Dum publicanus Matthæus se se afficit vituperio, ab aliis Euangelistis innuitur commendabilis.* *Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.*

Publicanus alter sic se se peccatorem profitetur: *Et cum transiret inde* IESVS, *vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me.* Matth. 9. Ipse Matthæus Publicanus pleno ore fatetur se criminibus implicatum infamis ministerij. Porrò alij Euangelistæ nomen delinquentis subticuere. Marcus ait, *Vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi sequere me.* cap. 2. Leui planè haud nomen erat, ex quo vulgariter ab omnibus agnoscebatur, vt ingenioso placet interpreti. Lucas verò, *Vidit Publicanum nomine Leui sedentem ad telonium, & ait illi sequere me.* cap. 5 Cur ergo Euangelistæ Matthæum exprimunt eo nomine minus vulgariter vsurpato? Quia dum Publicanus se se apertè peccatorem profitetur, æquum est, alios totis viribus curare, peccato aperto peccatorem dissimulari. Abulensis ad Matth. *Quia ponendo nomen suum, videbitur magis infamari, ideo apposita est suppletio, vt dixit Glossa ordinaria, cum Matthæus se ipsum nominat, scilicet quod nemo aliorum Euangelistarum eum nominare voluit sub nomine proprio. Et verum est, quia Matthæus de se ipso loquens, nominauit se ipsum Matthæum. Marcus autem non expressit nomen tum, sed dixit Leui. Lucas autem ait, Vidit hominem nomine Leui.* Quia scilicet dum homo se se afficit vituperio, laudatur ab aliis, qui curant innuere haud delicto fuisse contaminatum. *Abul.*

32. *Dum Booz se se nobile operit, Filij Dei in parentem eligitur. Elimelech se laudans despicitur.* *Rut. 4. Dam.*

Mortuo Elimelech Ruth coniuge, Booz propinquiorem sanguine virum monuit, viduam ducere Israelitica lege, qui quidem respondit, *Cedo iuri propinquitatis. Neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. Tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor.* Ruth, 4. Vbi ex Petri Dam. lib. 6. epist. 9. mente, propinquus ille Ruth suam nobilitatem proprio ore efferebat, indirectè Ruth inæqualis nobilitatis existere affirmans. Porrò Deus eum qui se se efferebat laudatione adeò obscurum reliquit, vt nec nominis extet monumentum. Booz autem minimè iactantem sanguinis augusti gloriam, sed alienigenam dignam esse ducens, quæ sacræ hæresceret propagini, mirificè à Domino commendatur. *Et ecce illius* (inquit Doctor) *qui suam post se memoriam anhelabat in posteritate relinquere, ne nomen quidem agnoscitur. His autem non solum in patrum, sed in Patriarcharum cathalogo cum gloria numeratur. Ille posteritatis famam, cui prouidit, amisit: iste paternum nomen, quod pro sacra legis obseruatione spreuit, accepit.* Vnde dum Matthæus Patriarcharum, Christi progenitorum recenset cathalogum, ait, *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Cur specialis fit Ruth mentio? An vt innuatur, ad tantam Booz gloriam esse euectum, quia se se ducens Ruth pauperculam demiserat?

33. *Dum Maria suas laudes augustissimas siles, vel à Reginis & concubinis æmulis laudatur mirificisque præconiis effertur.*

Sponsus pulcherrimam laudibus effert sponsam. *Sicut cortex mali punici sic genæ tuæ absque occultis tuis.* Cant. 6. Occulta enim virtutum, ac charismatum grana Virgo humillima cortice silentij curat operiri. Quid ex tam profundo circa proprias laudes celebrandas silentio? *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Ibid. Quid tam mirum, quam sponsam ab æmulis Reginis, ac concubinis collaudari? En vis silentij, & humilitatis. Dum curat sponsa silentio inuoluere merita, ipsæ Reginæ æmulatrices æternis ea præconiis concelebrant. Philo Carpat. *Hæc enim fide à Genitrice gratiæ nutritur, spe futuri præmij alitur, carne sui sponsi pascitur, sacris literis eruditur, charitate saginatur.* Ecce augustissimorum grana meritorum. *Cum his igitur & aliis multis sponsa virtutibus polleat iure admirationem se videntibus,* (& non audientibus) *affert.* En cortex virtutum operculum. Quid plura? *A vello intelligentibus beatissima prædicatur: videat enim, ad quantam gloriam bene, beatéque viuendo perueniat, ad quam quidem nemini datur accessus, nisi eam vita sanctissima laudet.* Id est, Nullus tam præcelsæ sanctitatis potest assequi gloriam, nisi ipsa sanctitas clamet; quia Maria silentio procurabit inuoluere. Dum igitur ea humilitatis ergo se proclamat ancillam, silentiique operculo curat præclarissima merita addici: fœminæ ipsæ æmulatrices satagunt collaudare. *Philo.*

34. *Sponsa, Ecclesia à Deo laudatur, quia ipsa labiis obfirmat silentio, ne se ipsam commendet.* *Cant. 4.*

Rursum sponsus de sponsæ Ecclesiæ pulchritudine fatur. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Sicut vitta coccinea labia tua.* Cant. 4. Postquam cœlestia merita Ecclesiæ descripsit, postquam contemplationis, & actionis virtutes egregias expressit: labia obiicit vittæ coccineæ assimilata. Non sicut vittæ coccineæ labia tua, sed sicut vitta singularis; quia labia non aperiuntur ad laudandam meritorum gloriam, Sed labij vnius haud aperiendi more profundo silentio inuoluere curant. Quia igitur tacet sponsa, Christus commendator exsurgit? Ita planè. Attamen Dominus ipsorum operum voce vtitur ad laudes exprimendas. Nam dum tacet sponsa,

opera

opera egregia vociferantur. *O oculi tui, capilli tui, dentes tui.* Aptè D. Laurentius Nouar. hom. de eleem. *Te tacente, ipsa opera clamant, & publicant factum tuum. Te enim ignorante, praestant multi institiam tuam. Geminatur tibi gratia, qui silenter egisti. Ab hominibus accipis plenam laudem, quia tacuisti.*

Laur. Nouar.

35. *Apes ab omnibus laudatur, quia ipsa opus dulcissimum operire curat.* Eccli. Laur. Nouar.

Cur existimas laudes apis omnium calamo dedisse materiam laudatorum? Quia procurat fauos sub corticis perficere operculo. Calamus Salomonis mirificum apiculae opus extollit. *Breuis in volatilibus apis: & tamen primatum dulcoris habet fructus eius.* Eccli. 11. Ad quae Laurentius Nouar. citat. *Et apes quando cerarum cellas intexunt, quando mel conficiunt, & dulci distendunt nectare fauos: non in publico opus exercent, sed sub vili cortice clausa laborant; & indè postmodum gratia dulcoris erumpit in publico. Nec immeritò dictum est, Quia breuis in volatilibus apis, & tamen primatum dulcoris habet fructus eius. Fac eleemosynam, absconde penes te. Sit intrate cella tua, vt quod tu tegis, ab aliis praedicetur.*

36. *Pharisaei vilitas, se se laudantis ex Publicani vituperatione.* Hieron. Saluian.

Hinc Pharisaei vilitas obicitur, qui non solum propria gesta laudauit, sed & Publicani vituperio affecit actiones. Quam vilis animi est se laudare, & alios deprimere ad propriam ex aliorum iniuria commendationem adstruendam! D. Hieronymus, *Vilium fatus hominum est, suam laudem quaerentium, alios viles facere; quia alterius vituperationem se laudari putant.* Et Saluianus. *Indecorum hoc facillimenta est, vt bona sua crescere malis arbitretur alienis, & meliorem se esse existimet, comparatione peiorum.*

OBSERV. IV.

Ad illa verba:

Deus, propitius esto mihi peccatori.

Dum se Publicanus humilitatis virtute praeditum ostendit, apertè monstratur, quam iniustè à Pharisaeo adulter fuerit appellatus.

Quia castitas & humilitas assolent vna in sede commorari adeò, vt si animus castitate emineat quasi necessariò debeat humilitate vitere.

37. Pharisaeus Publicanum falsò accusauit adulterij: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* Adulteriis infectum appellas virum humilitate fulgidum? An non audis eum clamitantem, *Propitius esto mihi peccatori?*

38. *Lilij virginalitatis puritas in humilitatis conuallibus afomoratur.* Cant. 2. Mari. Iust.

An non vides eum humilitatis praetextu non audere oculos ad coelum alleuare? Quonam modo ergo luxuries & humilitas possunt vna in sede morari?

Christi sponsi vox exaudienda. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2. Mariana, *Hebraicè sosana, nostro Azucena.* Iustus Orgelitanus pulchrè, *Ego flos campi, & lilium conuallium, id est, ego aecus mundi ex virginitate hu-*

militas. Ea enim puritas à Domino commendatur, quae cum humilitate coniuncta oculis praesentatur.

39. *Ioannes Angelorum puritatis aemulator, ideo humile curat obsequium impendere.* Apoc. 19. Rupert.

Vidisti Ioannem se se conseruo Angelo submittentem, cum Coelicola clamat: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum.* Apoc. 19. Vndenam conserui? An non quia Ioannes Angelicae erat puritatis aemulator? Ita planè. Ergo congruè praestare conseruo curat obsequium, quia ea laudabilis admodum est puritas, quae cum humilitatis colligatur affectu. Rupertus lib. 2. in Ioann. *Altioris autem honoris, & gratiae est sacra virginitas, quam pia commendat humilitatis vestitus.* Preme illud; *Altioris honoris virginitas,* id est, Angelica. Haec planè plus commendabilis obiicitur, quando pariter cum humilitate incedere aspectatur.

40. *Puritas cum illa ibi instruitur, vbi ventus superbiae non flat.* Matth. 25. Rupert.

Fatur Dominus, *Simile est Regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsae.* Matth. 25. asserit Rupertus lib. 2. in Ioann. hisce virginibus designari eos, qui leitiis Nuptiarum voluptatibus addicuntur. Nuptias enim Christus & Maria sua praesentia commendarunt. *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae.* &c. Ioan. 2. Vbinam hae foeminae praestolantur sponsum? Domi scilicet commemorantes. Quare non ad vias egrediuntur? Quia puritas Nuptialis inibi custoditur, vbi superbiae habitus grassator non resonat. *Quapropter* (ait Doctor) intus quidem habent prudentes virgines humilitatis oleum. Scilicet non contemnendo quamuis in inferiori gradu stantem legitimam licentiam nubentium: foris autem & maximè ad eandem frequentiam Nuptiarum lucentes suas lampades non efferunt. Vbi enim citius vento *misera vanitatis extingui possunt?* Nihil puritatem ita extinguit quam vanitatis halitus.

41. *Casta foemina humiliter viro praestat obsequium.* 1. Pet. 3. Lorin.

Pulchrè D. Petrus, *Similiter & mulieres subdita sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore castam conuersationem vestram.* 1. Pet. 3. Ac si diceret, Foeminae sint vitae exemplo assertrices castitatis Euangelicae, vt gentiles impuritati addicti ad Euangelij munditiem alliciantur. Id quidem praestabunt, si subditas se se viris obiecerint; humilitas enim subiectionis & castitas necessario colliganda. Lorinus, *Casta matrona parendo imperat.* Imo parendo casta ostenditur.

42. *Maria Virginum, ac caeterorum Regina, vt se ostendat purissimam, se ostendit humillimam.* Bernard. Luc. 2. August.

Virginum Reginam testor, quae & virginibus & coniugibus, & viduis exemplum expressit puritatis. Huic quidem Deus obtemperauit, fatente Bernardo hom. 1. Sup. Missus *Quod Deus foemina obtemperet humilitas absque exemplo; & quod Deo foemina principetur, sublimitas sine socia.* Attamen purissima Virgo, cui Deus obtemperabat, se se Iosepho sponso obtemperantem affectu humilitatis expressit. Domino in medius Doctoribus commoranti ait, *Vt quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quaerebamus te;* Luc. 2. Vbi Augustinus serm. 63. *Nec se meritò nec in ordine nominis praeferebat, vt diceret: Ego, & pater tuus, sed, Pater tuus, & ego.* Vndenam tantae humilitatis cura, nisi quia casta virago castitatis iura humilitatis seruat affectu. *Non attendit sui virginei vteri dignitatem, sed attendit ordinem coniugalem.* Imo attendens dignitatem virginei vteri, viro submittitur, vt ostendat foeminis, castimoniam humilitate custodiri.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam.

Publicanus profundè ex humilitate descendit, vt Deum inueniens, iustificari posset.

Et quando humilitas Deum non inuenit, qui non ab ascendentibus, sed à descendentibus est inueniendus?

43\. PVblicanus in domum suam iustificatus descendit, quia descendens ex humilitatis affectu Dei in domum ascenderat. Altissima Dei domus, sed quæ à descendentibus inueniatur. Nam ascendentes ad eius fastigia minimè possunt peruenire. *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori.* Tunc autem *non audebat oculos ad cælum leuare.* Luc. 18. Cur orans non eleuat lumina in supernis, vbi Deus inueniandus erat? Scin Deum vbique commorati iuxta Propheticum illud: *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Attamen orationis laus Deum in Altissimis commorantem deberet inquirere, *Gloria* (canunt Angeli) *in Altissimis Deo.* Luc. 2. Profectò sapiens Publicanus Deum in Altissimis commorantem descendendo quæritat in abyssum; quia non ab ascendentibus per elationem; sed à descendentibus per humilitatem est inueniendus.

44\. *Publicanus dum curat Deum inuenire non audet ad cælum leuare oculos, quia descendendo Deus erat inueniendus.* Luc. 18. Luc. 2.

45\. *Angeli qui Deum commorantem in superis non inueniunt ascendūt et descendunt, vt inuenire possint.* Gen. 28.

Iacob olim corpore dormiens ex itineris labore lassatus, mēte vigilat. *Vidit in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Gen. 28. Dominus in supremo scalæ assidet gradu? Aptè ergo Angeli ascendunt, vt Deum inueniant. At quare descendunt Angeli? quidnam possunt in terra requirere? Certè ascendentes non inueniunt eum, qui in Altissimis cōmoratur, vnde curant descendere vt inuenire possint. Quia Deus in superis habitans non inuenitur ab iis qui per elationem ascendunt, sed ab eis, qui descendunt per humilitatem. Mysticæ expositioni hærescens Anselmus, ait: *Angelos Dei ascendentes vltra omnem creaturam apud Deum, per quem omnia facta sunt. Et descendentes vt inueniant eum.* Qui quidem ab ascendentibus inueniri non potest. Intellectus eum in Altissimis commorantem percipit, sed ab obsequente, ac demissa voluntate inueniendum.

Anselm.

46\. Ipse Iacob eductus Deum quæsiturus, id est futurus pater Saluatoris non pompaticè ascendere curat, sed humili affectu descendere. Apprimè Rupertus lib. 3 in Gen. cap. 21. *Iacob fide paterna expectans, quod de semine suo salus mundi, & omnium gentium benedictio nasceretur*, ad ima profunditur, vbi in Altissimis habitans erat inueniendus. *O profugum cælestis asyli protectione dignum! Absque scripturarum lectione sola fide edoctus erat, quod ad possidendam superna benedictionis hæreditatem ad seminandam beati seminis expectationem, non pompaticè* ascendendum; *sed humiliter, & conscientia supplici descendendum erat.*

Vt Iacob Christum inueniat filium, non pompaticè ascēdit, sed humiliter descendit. Rupert.

47\. Cum Christi humanitas reuelanda erat, Pastores ab Angelo monentur. *Hoc vobis signum.* Luc. 2. Augustinus, *Vobis, inquam humilibus,* non superbis Pharisæis. Cur Primores Israel non excitantur, vt ad inueniendum Dominum properare possint; quia qui in Altissimis habitabat, in præsepi erat inueniendus. Vnde Pastores humiles aduocantur, qui descendentes de more in præsepe requirent; non Pharisæi non Principes, qui ascendentes de more requirent in aula. Cyprianus de Natiu. *Electa est humilium simplicitas, vt poneretur regula, vt non nisi humilibus Christi pateret humanitas, nec superbos ad sui intuitum posset admittere.* Quia ascendentes non inuenient eum, qui iam in præsepi collocatur.

Christus à Pastoribus inuenitur, quoa de more descēdētes nec ab ascēdentibus Pharisæis inueniri posset. Luc. 2. August. Cypr.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

SINAPIS, FERMENTVM.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARIVS literalis ad caput decimumtertium Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

DE grano Sinapis aliam Dominus Parabolam attexit, quod cum sit olerum minimum, eleuatam crescit in arborem. Addit Parabolam de Fermento, quod tribus commixtum farinæ satis, totum fermentat. Porrò plebe dimissa in ædium penetralibus Parabolarum superiorum mysteria Discipulis exposuit. Fermentum Christus carne indutus ex Virgine, quæ mundum fecit in electam massam colligari. Isidorus Pelusi. lib. 1. epist. 201. *Cælorum Regnum fermento comparatum est, hoc est, Saluatoris Incarnationi, quæ vniuersum terrarum orbem conspersit: & vnius corporis ex nostra substantia, atque à Dei genitrice Maria sumpti coagmẽtationi. Quæ quidẽ* Virgo *homines omnes, qui ab orbe condito extiterunt, ad nouum ortum* Filij natalitio *renouauit.* En Mulierem fermentum tribus in satis abscondentem.

Ligni vitæ seu IESV locuti in Parabolis, FRVCTVS SEPTIMVS.

Isidor. Pelusi.

MATTHÆVS CAP. XIII.

VERS. 31. SIMILE est Regnum cœlorum grano Sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo:

32 Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem

PARAPHRASIS.

31. *VT Dominus significaret Euangelicam philosophiam in specie contemptam per ignominiam Crucis, vi veritatis sic paulatim inualituram, vt totum orbem occuparet, parabolam huiusmodi proposuit. Regnum cælorum simile est grano Sinapis, quod homo quidam acceptum, seminauit in agro suo.*

32. *Quod quidem per se minimum est inter omnia legumina; cæterum vbi fuerit*

creuerit, maius est omnibus oleribus. Et fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

fuerit enatum, omne genus olerum superat magnitudine; & assurgit ad iustam arboris staturam, adeò vt in ramis eius volucres adduleatur.

33. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est Regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit, in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

33. Rursum rem eandem Iesus eis inculcauit, subsignificans, quo pacto Euangelica vis doctrinæ clanculum irrepens, & per paucos admixta Apostolos, totum orbem in suam naturam transformatura foret. Regnum, inquit, cælorum simile est fermento, quod exiguum mulier farinæ tribus abdidit in mensuris; atque illic reliquit, donec exigua massa totam illam farinæ vim paulatim afficeret, & in suam naturam attraheret.

34. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis.

34. Hæc omnia Iesus populo parabolarum differuit inuolucris; nec quidquam est ei absque parabola locutus; quo simul & animos illorum sermonis obscuritate ad discendi excitaret studium, nec venantibus calumniandi occasionem ansam exhiberet.

35. Vt impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi

35. Hoc planè olim Propheticum prædixerat oraculum: Aperiam (inquit Dauid) in parabolis os meum, quæ hactenus abstrusa à mundo condito fuerant, eructabo.

SECTIO PRIMA.

Sinapis Incrementa.

TEXTVS.

VERS. 31. Simile est Regnum cœlorum grano Sinapis, quod accipiens homo, seminauit in agro suo. 32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus: & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Sinapis granulo.

1. *Cur in parabolis locutus Dominus?* Hieron.

PARABOLAS multas proponit Dominus auditoribus, & veluti diues paterfamilias varias mensæ epulas infert, fante Hieronymo: *Proponit eis & aliam parabolam, quasi diues paterfamilias inuitatos diuersis reficiens cibis, vt vnusquisque secundum naturam stomachi sui varia alimenta susciperet.* Addit, *Proponit Dominus diuersas parabolas, vt iuxta vulnerum varietates & medicina diuersa sit.*

2. *De quotidianis etiam similitudines exprimit auditoribus concionator egregius.* Chrysol.

Adnota Christi sapientiam non de subtilibus, aut remotis ab vsu similitudines hasce sumentis: sed è quotidianis, & vsu positis. Chrisologus serm. 99. *Bonus Dominus Regni sui similitudines iterat, varias comparationes, quas non de occulto sumit, non captat de cælestibus, sed profert de quotidiano vsu, de communi conuersatione proponit. Vt ad omne genus hominum perueniat, quod est omnibus profuturum. Loquitur nota diuiti, vsitata pauperi, omnibus vitæ ipsius necessitate vernacula.*

3. *Sinapis descriptio.* Plini.

Simile est Regnum cælorum grano Sinapis.] Describe precor. Audi Plinium lib. 20. cap. 22. *Sinapim Pythagoras indicauit principatum habere ex iis, quorum in sublime vis feratur. Quoniam non aliud magis in nares, & cerebrum penetret. Ad serpentium ictus, & scorpionum tritum cum aceto illinitur. Contra pituitam tenetur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa: ad dentium dolorem manditur. Stomacho vtilissimum contra omnia vitia.* Ambrosius autem serm. 1. *Granum Sinapis prima fronte specie sui paruum est, vile, despectum; non sapore præstans, non*

Ambr. *Sinapis vis.*

odorem

odorem circumferens. At ubi teri cœperit, statim odorem suam acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit, in tam friuolo granis tantum ignem fuisse conclusum. Cuius etiam seminis cibum homines hyemis tempore magna pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant.

4. *Grammatica ordo defenditur.* Colum. Gregor.

Minimum est omnibus seminibus.] Congruentios grammaticæ diceret, *Omnium seminum* Sed interpretem excuso, quia forte eius in tempore constructio illa erat in vsu. Columella lib. 8. de re rust. simili vtitur, *Media tella tribus minima esse debet.* Nisi malis ad Gregorium recurrere profantem epist. ad Leandrum. *Indignum vehementer existimo, vt verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati.*

5. *Quonam modo sinapis granum minimum appelletur?*

Quonam modo autem granum Sinapis minimum cunctorum seminum vocitatur, si semen papaueris vel rutæ videtur minus esse Sinapi? Respondeo, granum Sinapis esse minimum inter semina olerum, vt de sequentibus colligitur. De oleribus enim Dominus loquitur: *Maius est omnibus oleribus*, vel inter semina, quæ hominibus cedunt in cibum. At papauer, & ruta neque sunt olera, neque absumuntur. Sic multi respondent Interpretes. Ast accommodatius, asseruerim, minimum omnium seminum dici, quia ferè omnium seminum minimum est; pauca enim si sint minora, pro nihilo reputantur. Porrò *Omnis* non semper omnimodam vniuersitatem significat, vti docet Hieronymus epist. 146. ad Damas. *Secundum illum canonem, quem sæpè exposuimus Scripturarum, omnia non ad totum referenda esse, sed ad partem maximam. Vt, omnes declinauerunt. Et, omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt. Et omnes, quæ sua sunt, quærunt.* Psalm. 13. Ioann. 10. Philip. 2

Hieron. Psalm. 13. Ioan. 10. Phil. 2.

6. *Aliorum expositiones.* Caiet. Alber. Mag.

Non improbo Caietani & Alberti Magni expositiones. Ille enim existimat, in Iudæa nullum esse semen eo minus. *Sinapis* (ait) *non est eiusdem quantitatis omnibus in locis. Comparaui hæc semina in Italia, nec apparet vniformitas.* Hic autem putat esse minimum comparatione ad productum. Nam id, quod granum Sinapis producit, maius est, quam id quod semen rutæ, aut papaueris profert.

§. II.

De granuli Sinapis mysterio.

7. *De Ecclesiæ incremento.*

IAm expono, quidnam parabola grani Sinapis & minimi & maximi Dominus significarit. Patres enim asserunt communiter Ecclesiæ incrementum per Euangelij doctrinam exponi. Regnum cœlorum, seu Ecclesia similis ardenti Sinapis grano, quod cum minimum sit, si seminetur crescit in arborem. Ecclesia Christiana cum à Christo in terris seminata est, minima erat, sed charitate ardens postea arbor facta est ingens. Daniel equidem cap. 4. descripsit. Et Dauid Carmine celebrauit, *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Psalm. 79. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psalm. 2. Chrysostomus *Hac imagine* (seu Sinapis similitudine) *prædicit Christus prædicationem per vniuersum orbem omnino coruscaturam. Idcircò huius oleris similitudinem proposuit.* Euthymius, *Per hanc parabolam prædicationis augmentum prænuncias Christus.* Et Theophylactus, *Granum Sinapis prædicatio est, & Apostoli: pauci enim videntur hi, & tamen totum orbem occuparunt.*

Dan. 4. Psalm. 79. Psalm. 2. Chrysost. Euthym. Theoph.

8. *Synapis Christum expressit.* Hilar. Ambr. Gregor. Chrysol.

Profectò specialiter in grano Sinapis Diui Christum volunt intelligi, humilem nempè cruci suffixum, & in sepulchro velut in horto seminatum: sed summa cum gloria exsurgentem, maximam in arborem excreuisse. Hilarius, *Grano sinapis se Dominus comparauit, acri maximè, & omnium seminum minimo. Granum hoc postquam in agro satum fuerat, id est, postquam à populo traditus morti, tanquam in agro satione quadam fuit corporis consepultus: vltra mensuram omnium olerum excrescit, & vniuersam Prophetarum gloriam excedit.* Ambrosius, *Christus nascendo humiliatus vt granum est; ascendendo ad cœlum exaltatus vt arbor est. Granum planè Christus est, dum patitur; arbor est, dum resurgit.* Addit Doctor, hoc granum à Iosepho acceptum, ac in agro suo, siue in horto seminatum. *Christum enim Ioseph ab Arimathia in horto suo sepeliuit, & granum hoc veluti seminauit.* Gregorius lib. 19. Mor. cap. 1. *Christus in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit; granum namque fuit, cum resurgeret.* Et Chrysologus sermon. 98. *Christus velut granum sinapis in hortum virginei corporis missum, tantam dedit fructus sui saporem, tum teritur passione: vt quidquid est vitale, suo saporaret, & condiret attracta.*

9. *Sinapis sacrum verbum, seu prædicatio Euangelica.* Hieron. Ambr.

Equidem alij Patres granum sinapis doctrinam Euangelicam, seu verbum sacrum exposuere, *Quis,* (ait Hieronymus) *est iste, qui seminat, nisi sensus noster, & animus, qui suscipiens granum prædicationis, & fouens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare.* An Dei verbum sinapis acrimonia æmulator? Ambrosius sermon. 2. *Fides Christiana vigorem obtinet, quem sinapis natura depromit. Nam sicut cum sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur ad lacrymas promouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quadam fleta austeritatis accipimus; illinc nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, siue calor ignei saporis accendit, & toto perturbato corpore, tunc magis sani efficimur, cum amplius deploramus: Ita & cum fidei Christianæ, sacro verbo audito, mandata percipimus, contristamur animo; affligimur corpore, ad lacrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu, ac mœrore consequimur.* Euthymius, *Minimum est granum sinapis quantitate: sed maximum qualitate, siue virtute, ideo quoque in magnitudinem excrescit.* Dei verbum minimum quantitate est. O æternitas! O iudicium! O patria! Quid grano minus? Pauca verba in corde seminata, & meditationis calore fota in magnam virtutis arborem exurgunt.

10. *Sinapis homo fidelis.* Theoph.

Denique Theophylactus: *Tu quoque*, ait, *esto granum Sinapis.* Quonam modo? Gregorius præf. ad lib. Iob. cap. 2. *Granum sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoscitur. Non contritum lene est; si verò conteratur inardescit, & quod in se acerrimum latebat,*

bat, ostendit. Sic vir sanctus, cum non pulsatur, despicabilis, ac lenis aspicitur. si qua verò illum tritura persecutionis opprimat, mox omne, quod calidum sapit, ostendit. Id Chrysologus Christo ex trituratione vim ostendenti accommodat serm.98.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX SINAPIS INCREMENTIS.

OBSERV. I.
Ad illa verba:

Simile est Regnum cælorum grano sinapis.

De quotidiano vsu, de communi conuersatione Dominus parabolarum sumit similitudines, non de occultis; vt possint à rudioribus capi.

Quam inutilis prædicatio eorum, qui conceptuum celsitudine, ac verborum inuolucru verbum Dei proferunt.

11. Chrysol.

RECOLE Chrysologi sententiam in Commentario expressam. Ex qua illud expende: *Loquitur nota diuiti, vsitata pauperi, omnibus vita ipsius necessitate vernacula.* Monet Concionatores, ne conceptuum celsitudine verborum difficilium expressione Dei verbum proferant auditoribus quidem inutile, sibi autem prorsus exitiale.

12. *Paulus edoctus verba arcana apud superos, eis non vtitur, cũ ad prædicandum gentibus immittitur,* 1.Cor.2.

Cum Paulus ad superos raperetur, subtilissimæ doctrinæ cœlestis assecutus est eruditionem; nec solum mysteria, sed & verba difficilia se edoctum affirmat. *Et audiuit arcana verba*, quæ non licet homini loqui. Profectò cum prædicaturus esset, quæ à Domino audierat in superis, ait; *Et ego cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia, annuncians vobis testimonium Christi. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione spiritus, & virtutis.* 1. Cor. 2. Preme τὸ, *Non in sublimitate sermonis, & sapientiæ.* Qua de causa ô gentium Prædicator, in superis fuisti & sapientiam, & sermonem edoctus? An non vt exprimeres? Certè particula illa: *Cum venissem ad vos*, respondebo. Ac si diceret, si apud superos Angelis essem concionaturus, ego quasi Angelus effectus, & recondita mysteriorum inuolucra aperirem, & sublimitate sermonis accepti proferrem. Ast cum ego homo *venissem ad vos*, non licet homini apud homines hisce verbis sublimibus vti, nec illa abditissima mysteriorum acumina aperire.

13. Didicit Paulus à Deo recondita illa, quæ quidem non sunt manifestanda ab hominibus, sed à Deo ipso, si cui voluerit reuelare. Vnde qui ab homine audierint, minimè callebunt, & inutiliter excipient. Vnde D. Hilarius lib.5. de Trin. *A Deo sciendum est, quid de Deo intelligendum sit; quia non nisi, Deo authore, cognoscitur. Adsit licet doctrina elaborata institutio, hoc quidem proficiet ad gratulationem (Que bien lo dijo que discretas razones.) non tamen cognitionem Dei in* auditoribus *consequetur.*

Arcana verba homines non capiunt, nisi Deo ipso loquente. Hilar.

14. *Moyses eruditissimus apud Ægyptios, postquam Deũ audiuit, se ineloquentẽ esse affirmat; quia Deus edocet vulgari vtĩ idiomate.* Exod.4.

Moyses à Domino apud desertum abditissima mysteria exaudiuit: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Flámanti in rubo Incarnationis edoctus est Sacramentum, iuxta illud Ecclesiæ: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem.* At cum prædicaturus immitendus esset, proclamat: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Exod.4. Quonammodo tardioris linguæ Moyses, ex quo Dominum loquentem audiuit? Certè Moyses eruditissimus apud Ægyptios extiterat. At cum mittitur ad prædicandum Pharaoni, & eisdem Ægyptiis, aliam à Deo edoctus linguam exercere tenetur. Vndè qui olim incomparabili sapientia & sublimi sermone vtebatur in Ægypto degens; concionaturus in Ægypto aliam desiderat eloquentiam, qua possit populo salutaris existere. Origenes hom.3. in Exod *Donec esset Moyses in Ægypto, & erudiretur in omni sapientia Ægyptiorum, non erat tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem. Erat enim quantum ad Aegyptios eloquentia incomparabilis. Vbi autem cœpit audire vocem Dei, obsecro, inquit Domine, non sum eloquens.* Profectò vbi Moysi concionandi munus iniungitur, agnoscit secularem eruditionem, & eloquentiam iam minimè profuturam. Quonam modo ô Domine tua proferam monita, qui *iam non sum eloquens*, id est, qui seculari eloquentia vti non debeo? Ipse Dominus edocebit, *Qui est, misit me ad vos*, &c. Velut puer noui sermonis accipit rudimenta.

Origen.

Agnoscit Moyses eloquentiã secularẽ nullius esse vtilitatis, ad concionandum.

15. *Sermo ab auditoribus vtiliter intellectus pulchritudine pollet.* Gen.49.

Edocet ergo Dominus Concionatores suos, facilibus verbis occulta aperire mysteria. An putas verba minus pulchra existere, quia faciliá? Tunc equidem pulchriora, cum facilius ab auditoribus capiuntur. De Nephthali Iacobus, *Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* Genes.49. Hoc emisso ceruo Apostolici

Concio

Sitab.

concionatores ad ministerium missi à Domino exprimuntur. Sitab. *Hi sunt Apostoli, & Apostolici Prædicatores; ex hoc enim Tribu fuerunt Apostoli.* Si de Apostolorum prædicatione fit sermo, cur pulchritudinis eloquiorũ fit sermo? An non Apostoli IESV imitatores parabolarum, ac similitudinum vtebantur eloquio? Quonammodo igitur pulchritudinis eloquia vocitantur? Certè quia illa pulchra verba, quæ ab auditoribus vtiliter capiuntur. Prophanæ eloquentiæ proloquia prorsus sunt fœdatis.

16.

Vel gentilis Orator comparationibus & exemplis vtitur vulgaribus. a sacro expedienda. Plutarch.

Quis (Plutarch. auctore) Platone eloquentior? quis humanæ sapientiæ dissertior dogmatibus? At vbi ei apud insipientes loquendũ fuit de virtutum exercitamentis, vt prudentiæ edoctus, & verbis facilibus vtitur, & comparationibus, seu similitudinibus, seu parabolis vulgaribus exponit. *Vides etiam Platonem* (inquit in q. conuiui. t.) *in conuiuio vbi de finibus, & summo bono differit, & planè de rebus diuinis, non multum intendentẽ probationem, neque acuentem, se & quasi puluere conspergentem, ad apprehendendum more suo firmius, vt eluctari possit aduersarius: sed sumptioni in melioribus, exemplis, fabulisque conuiuas pellicentem.* Quid argumento accommodatius? Illud preme: *Sed sumptionibus melioribus.* Ad vtilitatem enim auditorũ illa melior sumptio, quæ clarior.

17.

Docti concionatoris est, se indoctis accommodare, nec scioli tantum conuiuis informare.

Cassiod.

O tempora, ô mores! Auditores ad Deum adducendi sunt Passionis Dominicæ prædicatione, mortis, ac iudicij memoria: & cum Euangelicus cõcionator, vt ministeriũ suum impleat, hæc dogmata expromit, scioli seculares submurmurant impudẽter: *Predicador de Passion*, vt vulgariter possim explicare. Profectò vera peritia est, se concionatorem non sapientibus seculi, sed rudibus accommodare. Cassiodor. Præf. ad lib. var. *Interdum genus peritia est, vitare, quod doctis placet. Proinde maiorũ pulchra definitio est, sic aptè dicere, vt audientibus possis concepta vota suadere.*

18.

Passionis Dominicæ materia doctis, & indoctis vtilissimè prædicatur.

Ioan. 12.

Gillib.

Et quidẽ Dominus suos concionatores edocet Passionis (efficacissimæ quidem, ad auditores alliciendum) & sapientibus, & insipientibus euulgare mysteria. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum.* Ioan. 12. Omnia quidem. Nec est, qui se abscondat à dogmatis huius calore. Sapientibus, & insipientibus debitor concionator cunctis iura soluet, si Passionis Dominicæ doctrinam exponat. Aptè Gillib. Abbas serm. 20. in Cant. *Omnia, quæ in te sunt, bone IESV, quandam habent alliciendi efficaciam, & audientes sollicitant in affectum. Sed ad omnia non possumus omnes attingere. Sublimia solis sublimibus sunt, humilia omnibus. Quæ maior humilitas quam exaltari in cruce? De hoc ait, cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Quis non ad simplicem cogitatum huius rei stupore, & extasi repleatur?* Illud expendo: *Sublimia sublimibus solis, humilia omnibus.* Licet scioli oblatrent, attamen profitentur tandem sibi etiam proferri de Passione sermonem: *Humilia omnibus.*

19.

Sales prædicationis vtiles vocantur, vt pote iudicij, mortis, inferni, &c. Sapienti, & insipienti.

Iob. 6.

Mihi credite, sales prædicationis sunt mortis, inferni, iudiciique auditoribus explicare instantiam. Videturne tibi insulsum esse sermonem, quia subtilissimæ doctrinæ, arcanorum verborum non est sale conditus? Tunc, me hercle, sale conditur sermo, cum iudicij, mortis, inferníque materia discutitur. Aiebat Iob, *Poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Minimè cap. 6. Quis ergo sine sale sermonem absumet? Nullus. Quandonam autem sermo salitus apponetur? Porrò cum respersus fuerit iudicij, aut similium veritatum doctrina. Pulchrè D. Isidorus in Cat. Comit. *Sales verò, quibus sunt parentibus sermones aspergendi, testimonia sunt è diuinis deprompta voluminibus: cum* (v. g.) *iudicij terrorem inducimus*, &c. *Quantum robur, tum efficaciam addunt hortationi, tum etiam tandem quasi gratam parant escam.* Sermo de iudicio, de morte, de tartaro sale plenus, gratam cunctis præparat escam. Tunc verè conuiuæ oblatrabunt, cum vno aut altero sciolo acclamante: Conuiuium egregium, ferè omnes insulsum profiteantur.

Isidor.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cœlorum grano sinapis.

Sinapis est feruor internus, quo exercitamenta virtutum fastidium non offerunt quotidie absumenti.

Nauseans enim vitam repetit secularem, qui interno huiusmodi feruore fastidium non curat expellere.

20.

Renouationẽ spiritus, quæ bis per annũ Societas Iesv vtitur, à cõmodo.

Ambros.

Paschas.

SInapis granum ardentissimum (vt aiebat Ambros.) hominibus hyemis tempore cibos reddit sapidiores. Profectò exercitamentorũ spiritualium quotidianus cibus difficile absumitur, haud sine nauseæ ac fastidij capitur inspicione, si sinapis ardentissimum granum non addicitur. Quódnam illud? Certè feruor spiritus quotidie renouatus, auctore Paschasio lib. 7. in Matth. *Flammetur in pectore, quo ignorantia totum à nobis auferat sua degustatione fastidium, & feruentes reddat.* Tepiduate laborantibus vel dulcissimus spiritualis cibus insulsus.

21.

Ex feruoris defectu Mãna Hebræis fastidium pariebat, Sacramẽta nobis.

Num. 11.

O quanto affecti fastidio Hebræi post assiduam Mannæ cœlestis absumptionem, inclamitarunt. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Manna.* Numer. 11. Nihil nisi Manna? Et anima vestra ariditate laborat? An non in Manna omnium epilogatio voluptatum? Porrò Manna spiritualium exercitamentorum est alimentum. Fastidium excitat quotidiana absumptio, quia sinapis hoc est, feruoris non adicitur suauitas. Vnde miseri illi non varietatem alimentorum debuissent petere, sed sinapim. Augustin. tract. 73. in Ioan. *Concupierant carnibus vesci, quibus pluebatur Manna de cælo. Fastidiebant quippe quod habebant: & quod non habebant, impudenter petebant. Melius peterent, non vt cibus, qui deerat, indecenti desiderio præstaretur; sed vt ille, qui aderat, sanato fastidio sumeretur.* Et quonammodo sanaretur fastidium, nisi addicto sinapis sapore, id est, feruore spiritus cibos condiente?

August.

22.

Vel panis Eucharistici fastidium pariet, sine

Illud panis elogium Auson. expressit, quòd *fastidiũ ex assiduitate absumenti non ingenerat.* Panis tibi vacuo fastidiosus obiicitur? Ægritudine affectus es. Ait Iob, *Abominabilis fit ei in vita sua panis, & anima illius cibus ante desiderabilis. Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita*

feruoris spi-ritus sinapi. Iob. 33.

cibus mortiferis. c. 33. Pane quotidiano Eucharistico, orationis, ac meditationis exercitamentis fastidis, & tibi cibus abominationi est? Mortifera ægritudine corriperis. An salutis spes illa planè, si sinapis feruoris adiicitur. Pergit Iobus, *Si fuerit pro eo Angelus loquens, miserebitur eius Deus, & dicet, Reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Ibid. Loquens Angelus erit spiritualis parens monitis salutaribus, ægrotum excitans ad spiritus feruoris renouationẽ. Audi Vatabl. *Si fuerit tunc Angelus bonus, qui ponat ante oculos hominis sepidi millesimam partem beneficiorum Dei: & annunciet homini ipsi Deum omnia iustè facientem, & homo acquiescat: tunc miserebitur eius Deus, & reuertetur ad dies adolescentiæ suæ.* Profectò D. Ignatius bonus Angelus Societatis prudentissimè instituit huiusmodi spiritus renouationem, vt monitis salutaribus excitati simul socij, feruorem spritualem languentem resumere valeant. O sinapim spiritualium ciborum fastidij facilè ablegatricem.

Vatabl.

23. *Cum nobis spiritualia exercitamentorum omnis esca abominabilis est, vtamur sinapi feruoris spiritus innouati.* Psal. 106. Lorin.

Opportunè Dauid, *Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquauerunt ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Misit verbum suum, & sanauit eos.* Psalm 106. Vbi Lorinus omnis escæ nomine omne spirituale exercitamentorum, ac Sacramentorum vsum asserit designari. Vndénam tam cœlestes cibi possunt tantum fastidium vsque ad mortis discrimina excitare? Certè ex verbi defectu. *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Pater spiritualis salutaria monita profert, Dei memorat beneficia, quorum recordatione animus resumit feruorem & salutem. Bernardus serm. 33. in Cant. *Me oportet interim Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, velamine fidei. Et hæc talia sunt, vt gustata afferant mortem* ex fastidio; *Si non de primitiis spiritus quantulumcumque accipiant condimentum.* En feruoris spiritus sinapim condientem adeo cibos, vt fastidium non pariant. De primitiis spiritus condimentum accipis, cum spiritus innouationi studium impendis.

Bern.

24. *Affectio feruoris efficit nos iustitia laboret esurire.* Matth. 5.

Ait Dominus, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Matth. 5. Tantáne esuriei, ac sitis huiusce merita, vt vitæ cœlestis beatitudo esurienti, ac sitienti promittatur? Ita planè, quia per difficile est diu hisce spiritualibus vti alimentis, & non ex fastidio languescere. Quonammodo igitur sic quotidianis epulis sine fastidio vescar, imo esuriam, & sitiam? Adiici cura spiritus feruorem, sinapim scilicet ad cibi condimentum. Paschasius lib. 3. in Matth. *Succensus cœlesti amore, non potest iam non esurire iustitiam, & sitire.*

Paschas.

25. *Sinapis ardens feruoris renouati Discipulos fecit ad Ierosolymam properare, vbi persecutionibus erant afficiendi.* Luc. 24. Bern.

Duo Discipuli à Ierosolyma recedentes Resurrectionis die quotidiano Christi epulo fruerant potiti ex virtutum exercitamento. At spiritus feruore remisso, à mensa recedebant. Tunc Dominus sinapim offert, ardẽtem stimulũ adiicit, quò quidem cibi fastidium parientes auidè absumuntur. *Nonne*, aiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur in via?* Luc. 24. D. Bernardus serm. 32. in Cant. fatur appositè, *Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in teporem, corde arente, & tædente, accedunt ad quæcumque iniuncta. Ergo vbi contingit tale aliquid pati, si misertus Dominus, appropiet nobis in via, qua ambulamus: & incipiat loqui de cœlo, necnon fauorabile quippiam cantare de canticis Sion: dico vobis, erit pro vehiculo anima pigritanti læta narratio, ita vt pellat omne fastidium ab animo audientis. Et regressi sunt* (ait Lucas) *in Ierusalem,* vbi erant pro IESV nomine persecutionibus afficiendi.) Accidit hoc spiritualibus viris, qui temporis iniuria, ac ministeriorum instantia aliqua tepiditate laborant. Adest IESV personam gerens spiritualis parens, de canticis Sion monita salutaria profert: succenditur animos spirituali renouato feruore, & properanter reuertitur in *Ierusalem*, Discipulorum more. O sinapim dulcissimum spiritualium ciborum condimentum!

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cœlorum grano sinapis.

Sinapis excitans lachrymas pœnitentiæ, ac contritionis agit simulachrum.

Profectò lachrymæ, seu affectus pœnitentia virtutum vel difficilium gustum excitat.

26. Plin.

EX Plinio & aliis, doctrice experientia, seminis huiusce vis *cerebrum penetrans* excitat lachrymas, exerans pœnitudinis, seu contritionis simulachrum. Virtutum insulsum alimentum assolet sinapis huiusce sapore condiri. August. *Granum sinapis feruor contritionis.* Qui igitur circa virtutum exercitamenta tepiditate laborat, & nauseæ afficitur suspicione: adhibeat feruorem contritionis, sinapis enim huiusce vis cerebrum penetrabit, excitansque lachrymas pœnitudinis dulcissima reddet virtutum alimenta.

August.

27. *Lachrymæ compunctionis a sinapi pœnitudinis excitata nobis reddunt suauissimos cibos asperitatis opera.* Matth. 6.

Precatur Dominus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Matth. 6. Ex Doctorum placito panis quotidianus virtutum exercitamenta designat. Mortificationis, ac pœnitentiæ actiones, ieiunia, saccus, humi cubatio fidelium filiorum est alimentum, quod à Patre cœlesti postulamus. Dum ergo quotidiano Mãna reficimur, nauseat anima nostra super cibo isto amarissimo. At si adhibeatur sinapis, hoc est feruor cõtritionis, lachrymæ excitantur, quibus amaritudo ciborum tam expetibilis redditur, vt iam auiditate mira iustitiam esuriamus. Dominus adiicit. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabũtur.* Matth. 5. Prius fletus mãdatur, postea fames & esuries indicitur. O quam difficile præceptum, esurire, & sitire iustitiã, hoc est, sanctitatis exercitamẽta, cibos vtique amaritudine redundantes! Quis sitiat, ieiunia gerere? Quis esuriat, cilicio carnẽ infrænare? An non satis erit iusto, si calicem à se abstrahi nõ enixè postulet? An non satis erit, medicum poculum non repellere? Profectò qui prius nos allicit ad contritionis lachrymas, facillimum reddidit calicis poculum. Nam sinapis cõtritionis, lachrymas pœnitentiæ excitando, reddit amarissimos cibos adeò expetibiles, vt eos homo valeat esurire. Ambr. bellè lib. 5. in Luc. *Ordinem prosequamur. Delicta fleui, esurire incipio, & sitire iustitiam.* Lachrymæ etenim à sinapi ardẽtis pœnitudinis excitatæ cibos efficiũt amarissimos cœlesti dulcedine redũdare.

Matth. 5. Ambros.

Fons

28\.

Lachryma ex pœnitentia sinapi, efficiunt omnia iustitia ligna fructus suauissimos producere. Genes. 2. Cellens. Abbas

Fons ille *irrigans omnem Paradisum voluptatis.* Genes. 2. lachrymæ pœnitentiæ est, ligna fœcundans ad fructuum parturitionem, ex quibus comedere præcipimur, *Ex omni ligno comede.* Gen. 2. Porrò ex Abbatis Cellens. mente lib. 11. de Pani. fructus paradisiaci cunctarum virtutum est exercitamentum. Amarissimum iustitiæ pabulum si corpus ieiuniis, ac vigiliis affligendum, legisque præcepta seruanda. Attamen sinapi lachrymarum excitatrice, dulcissimum mutatur in cibum. *Cum profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia ligna producuntur fructum dulcem vita facientia.*

29\.

Sinapis pœnitentia efficit, supplicia ipsa, magna absumi à nobis auiditate. Iob. 33.

Rursum Iobi locum expendo. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & anima illius cibus ante desiderabilis: tabescet caro eius, & ossa, qua tecta fuerant, nudabuntur: Libera eum,* (inquit Angelus) *vt non descendat in corruptionem. Consumpta est caro eius à suppliciis: reuertantur ad dies adolescentia sua.* c. 33. Ac si diceret, supplicia, asperitatesque vitæ amarissimæ planè hominem sic affecere, vt vitalis hic panis ei abominabilis obiiciatur. Vndénam cibus hic expetibilis reddetur? Profectò ille Angelus intercessor à Domino consequetur, sinapim pœnitentiæ homini stomachanti exhiberi, qua lachrymæ excitatæ non solum fastidij causæ ablegabuntur: verum & exitiales prius cibi appetibiles obiicientur. Nicetas, *Si perpessionis sua causam in peccato consistere intellexerit: atque ad Deum de errato suo confessim se conuerterit: impendentem mortem inhibebit; etiam si sexcenta sint, qua mortem lacessant, & accersant.* Iam non clamitabit, *Mors in olla,* exitium in cibo; sed vita interminabilis in asperitatis residet alimento.

Nicet.

30\.

Afflictio pœnitentia, id est sinapis, vt ignea insulsas asperitatis actiones dulces reddit. Iob. 6.

Iob adhuc, *Qua prius nolebat tangere anima mea, nunc pra angustia cibi mei sunt.* c. 6. Præmiserat, *Poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Anima esurienti etiam amara dulcia esse videntur.* O quam insulsæ iustitiæ actiones, ieiunia, vigiliæ, cilicia, ac passionum infrænatio. Vnde Dominus aiebat, *Beati qui esuriunt iustitiam.* Matth. 5. quia *anima esurienti etiam amara dulcia esse videntur.* Vndénam, precor, huiusmodi auiditas excitabitur? Certè ex pœnitentiæ angustiæ: *Nunc pra angustia cibi mei sunt, qua prius nolebat tangere anima mea.* Sa. *Dolor acerbissimus cibus iam est* (expetibilis planè) *pra angustia.*

Sa.

31\.

Qui ex pœnitentia affectum conuertitur, instar canum famescentum, vel amara tormenta dulcia reputat pabulum. Psal. 58. Cassiod.

Dauid expresserat, *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes.* Psalm. 58. Nemini non canina fames agnita. Comparat Vates Martyres recens conuersos canibus famescentibus, quibus supplicia amarissima expetibilem cibum ministrabunt. Cassiodorus, *Famem patientur vt canes, id est, fidei auidissima desideria patientur.* Pro fidei gloria se se vltrò suppliciis addicent. Vndénam tanta iustitiæ fames? *Conuertentur,* id est sinapis pœnitudinis adiicietur, cuius condimento amarissimi cibi iam pariunt voluptatem.

32\.

Velut ebrius sitiens opera asperitatis, mortes esuriens: si ardentem sinapim, hoc est, pœnitentia pramiseris affectum. Ose. 14.

Quam amarus tribulationum calix, quem Dominus personam peccatorum gerens auerti à se precabatur: *Transeat à me calix iste.* Porrò calix hic *vini meri plenus mixto,* cuius *fex non est exinanita* iam ab hominibus desideratur, & instar ebrij, nullum epotando finem imponunt. Inquit Oseas, *Sanabo contritiones eorum, conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico.* c. 14. LXX. *Conuertentur, & sedebunt sub vmbra eius;*

bibent, & inebriabuntur frumento. Preme particulas, *Conuertentur, inebriabuntur.* Certè qui ex pœnitentiæ affectu conuertuntur ad Dominum, ita auidè iustitiæ actiones absumunt, vt, in morem ebriorum, eorum sitis non expleatur, sed vna epotatio patis sit eis ad alteram absumptus: *Inebriabuntur frumento.* Rupertus in Ose. lib. 6. Conuersi sedebunt, *& talibus alimoniis cœlitus ministratur: & de bono semper proficiunt in melius.*

Rupert.

Obseruat. IV.

Ad illa verba:

Et fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

Sinapis rami æternæ vitæ meditatio est, qua suffultæ animæ pondere temporariæ vitæ pressæ possunt à fatigatione respirare.

Vita quidem hominis tot tantisque est plena laboribus, vt non fruamur ea, sed eam vtique patiamur.

33\.

Gregor.

D. Gregorius apud Thomam Angelicum in Cat. postquam sinapis ramos æternæ vitæ protulit esse meditationem, adiicit: *In illis etiam ramis volucres requiescunt; quia sancta anima, qua quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuant: in eorum dictis, atque consolationibus ab huiusmodi fatigatione vita respirant.* Tantáne vitæ mortalis fatigatio, vt necessaria sit ad respirationem aliquantulam assidua ramorum habitatio, seu frequens meditatio cœlestium? Certè vita tantis est plena molestiis, vt homines non ea fruamur, sed potius eam patiamur omnino acerbitatum facilè colligationem.

34\.

Adam tunica pellicea inductus, in asperrima vita quam subiturus erat documentum. Genes. 3. Moyses Bar Ceph.

Recens effictus homo vitæ huius mortiferæ asperitates expertus est, cum à Domino tunicam pelliceam accepit. *Fecit quoque Dominus Deus Ada, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Gen. 3. Certè illa indumenta asperitatis præsentis vitæ eis dantur in documenta. Moyses Bar Cepha 3. p. de Parad. c. 7. *Cum adempta illis esset vita spiritualis, beata, gaudiique plena, propter sua illorum errata inducti sunt in vitam hanc corpoream, ærumnosam, atque anxiis rebus refertam. Caterum tunicis pelliceis maxima vita commutatio, qua ipsis violata lege accidit, significatur. Propter sua igitur ipsorum peccata eas pœnas dederunt, vt spiritualem cum corporea, hoc est, felicissimam cum infelicissima vita mutarent.* Aptè autem ærumnosa vita pelliceis hisce signatur indumentis, quæ humeris hominum adiiciuntur; quia vita onus est sufferendum, non voluptas qua potiri valeamus.

35\.

Puer recens natus, plorat incommeditatum pulsibus calamitatum præsage. Tertull.

Eleganter Tertullianus lib. de Anim. c. 19. hoc vitale pondus librauit. *Memior,* inquit, *si non statim infans vt vitam vagitu salutauit, hoc ipsum se testetur sensisse, atque intellexisse, quod natus est. Omnes simul ibidem dedicans sensus* (incommodis vitæ) *& luci visum, &*

sono auditum, & humori gustum, & acri odoratum, & terra tactum. O quanta cunctis sensibus experitur incommoda! *Ita prima illa vox de primis sensuum vocibus, & de primis intellectuum pulsibus cogitur. Las primeras pulsadas* (liceat vulgariter exprimere) *de las penas de la vida en todos los sentidos le fuerzan al niño à dar gritos.* Addit Doctor pulchrius, *Plus est, quod ad prospectu lachrymabilis vita quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur.* Nullo sensuum infantulus afficiatur incommodo, certè illæ lachrymæ ariolatrices circa vitæ subeunda incommoda ostentantur. Quanta, quæso, mala, quæ ex per se nota abundantia vel puerilem iam pulsant intellectum: *Et de primis intellectuum pulsibus cogitur.*

36.

Lazari renati, pro eo Dominus (alter ipse) plorat. Ioan. 11. Pelus.

D. Basilius asserit Lazarum è sepulchro prosilientem quasi ex vtero fasciatum excitari. Recens natus non plorat, sed amicus Dominus alter ipse *lachrymatus est.* Ioan. 11. Vbi Isidorus Pelus. epistol. 137. ait, *Quem cum ipsum ob suam gloriam a morte ad vitam excitaturus esset, pro ipso collachrymauit, his propemodum verbis vtens: Eum, qui ad portum iam appulerat, rursum ad fluctus, & procellas voco: eumque iam coronam consecutus erat, ad certamina rursum duco.* Ipse non plorat recens renatus, pro ipso lachrymas profundo.

37.

Iesu obeunte, gaudendum, qui a sæculo recedit. Ioan 14. Cyprian.

Ad Discipulos Dominus post exiguam temporis instantiam moriturus, ait. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Ioan. 14. Non solum quia ad Patrem quis vadit à nobis dilectus, gaudendum est, sed quia ex hoc seculo proficiscitur. Vnde Cyprianus lib. de mortalit. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado. Docens scilicet, & ostendens, cum chari, quos diligimus, de seculo exeunt, gaudendum.*

38.

Diuturnitas vitæ terræ addicitur, in supplicium ob immunditiã. Breuitas vitæ in præmium creaturæ puritate nitenti. Eccles. 1.

An non supplicij terminatio assolet patientis solatium ingerere? Quis dubitet? Tunc damnati ad triremes mœrore afficiuntur, cum tracti catena coguntur ad pelagus: tunc autem tristitiam obiiciunt, cum terminata pœna suspiratam diu reuertuntur in domum. Ergo qui vitæ addicitur, damnabilis ostenditur: & qui vita donatur longiori, maioris pœnæ pondere premitur. Fatur Sapiens, *Generatio præterit, generatio aduenit.* Cur non dixit prius, Generatio aduenit, quia prius est esse quam deficere? Certè particula *præterit* mortem generatorum horumce significat. Aptè igitur prius ponitur generatio præteriens, quam aduentans; quia illud ipsum aduenire præterire est, seu mori. Pergit Rex, *Terra autem in perpetuum stat. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, &c. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* Eccles. 1. O lachrymandum solis fulgentissimi, & pellucidi liquoris funus! Cur ô Conditor, solem ephimerico cursu circumuolui voluisti? Cur aquam pulcherrimam disposuisti æquoreis vndis funesto velut tumulo circumcludi? Cur terram stolidam, rusticumque elementum fecisti æternum permanere? An non æquius esset terram peccatorum parentem, eis voluptatum illectamenta ministrantem morti immaturæ addici? Profectò sol & aqua puritate nitentes vita breui munerantur: terra autem piaculorum scaturigo vitæ punitur diuturnitate. Diu ventis flagellatur, & imbribus, animantium pondere pergrauetur.

Nyssen.

Pulchrè Nyss. hom. 1. in Eccles. *Terra, quæ ut flet, est condemnata, manet in stabilitate immobilis.* Vt sit æterna condemnatio. O quoties iusti immatura morte abripiuntur in iustitiæ præmium: & iniqui ad vitam diuturnam in supplicium criminum condemnantur!

39.

Terra quasi tartarus, ob vitæ molestias. Psal 85. Remig.

Ideò Dauid cecinit suam quasi præsentem mortem animo versans, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Psalm. 85. Quinam inferior infernus? Exposuit Remigius, *Est infernus superior, & est inferior. Vita enim ista quantum ad dignitatem illam, in qua sunt Angeli, inferior superior dici potest. Sed infernus inferior est pœna, quæ consequitur post hanc vitam.* Igitur vita præsens infernus est? Igitur qui addicitur huic vitæ quasi tartaro, vbi torquendus est, mancipatur? Quis non exilium saltem reputabit vitam, quæ potest damnatorum inferno comparari? Græcus Philemon cecinit,

Philem.

Talis est, ô mulier, humana vita
Paucioribus gaudijs fruimur, quam doloribus.
Vita non est vita, sed damnatio.

40.

Necessaria est cælestiũ memoria, ut valeamus vitæ pondere sustinere. Cant. 1.

Si ergo vita tot incommodis redundat humana, non mirum, iustos aues ad subleuationem sinapis ramos inire; id est, (Gregorio authore) cœlestium meditationi studium impendere. Conclamant Ierusolymæ adolescentulæ ad sponsum, *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum.* Cant. 1. Quonammodo exultabit, qui ieiunijs, vigilijs, eleemosynis operam impendit ad vitæ miseræ ex peccatis maculas subleuandas? *Memores vberum tuorum*, qui quidem cum nos vita pergrauas, simul misericordia subleuante donas, iuxta illud Iobi patientissimi ex vitæ malitia: *Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Honorius, *Exultabimus in corpore, operando ea, quæ per corpus fiunt, vigilias, ieiunia, eleemosynas: & sustinendo vitæ calamitates memores vberum tuorum, id est, æterna in superis pietatis tuæ.* Tantum equidem huius vitæ pondus, vt nullus possit sine cœlestium meditatione sustinere. Aptè Anonymus apud Mirabellium cecinit.

Honor.

Anon.

Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita madescit.
Et vitam rursus linquimus in lachrymis.
O multas hominũ lachrymas! abstergat at omnes
Omnibus electis ipse Deus lachrymas.

Proh lachrymarum profluuium à solo piissimo numine abstergendum!

Observat. V.

Ad illa verba:

Minimum est omnibus seminibus, & maius fit omnibus oleribus.

Sinapis granum vigens, condiens, sanans magnum fructibus, vile quidem ostenditur, ac minimum apparet. Vnde meritò fit maius oleribus, & proceram ascendit in arborem.

Agnatum humilitati, mirum in modum eleuari.

41.

FAtur Anselmus, Euangelica prædicatio primo humillima est omnium disciplinarũ ob scandalum

scandalum crucis. Postea autem eleuatissima. Profectò humilitatis ea est agnata proprietas, crescere, augeri, & eleuari. Vnde sapientissimus Dominus eleuatissimum, & augustissimum quid intendens efficere Euangelium, id humillimum ostentauit. O granum minimum in arborem altissimam ascendens!

42. *Quod in nobis est minimũ, in maximum est conuertidum, ex humilitatis agnata incrementa.* 1. Cor. 15. Theoph.

Apostolus hanc doctrinam edoctus, fatur: *Nõ prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* 1. Cor. 15. Si pars animalis est peior in homine, cur permittit Deus, hanc in primis dominari? Certè vt spiritus humiliatus, grani instar, terræ vilitati addictus spiritualem ascendat in arborem; quia necessariò grano minimo augustissimus paratura scensus. Porrò Theophyl. alia incedens via in eundem tendit scopum, asserens quidem, id quod animale est in homine commutandum in spirituale, quia minimum est. *Persuasum*, inquit, *habeas velim, vel ea, quæ in te sunt corruptibilia, & minima, in id, quod incorruptum est, & maximum commutatum iri.* Minimo namque grano agnatum, in altissimam arborem ascendere.

43. *Curauit Maria virginitatem suam quasi maledicto sterilitatis humiliari, ad augustissimam Dei Maternitatem comparandam ex fecũditate.* Luc. 1. Tolet. Bern.

Dei parenti futuræ Angelus promittit Dei maternitatem, *Ecce concipies, & paries Filiũ,* &c. Cui Virgo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Vbi Toler. asserit hisce verbis Mariam votum virginitatis expressisse. O votum maledictionis quodammodo speciem referens! An non se fœmina Israëlitica maledictione affectam existimat, dum laborat sterilitate; quia ab spe maternitatis Filij Dei comperit excidisse? Ita planè. Cur ergo Maria voluit virginitatem suam maledicto quodammodo illi subiacere? O Virgo prudentissima! Curauit minimum abiectionis suæ virginitati adhærescere, vt tam profunda humilitas quasi necessariò ad Dei eleuetur maternitatem. D. Bernard. serm. 4. in Mis. *Christo denouet, te exhibere virginem, & nesciis ipsi exhibere te debeas Matrem.* Eo enim ipso quod virginitatem sterilem affectas, ad fœcundissimam Dei maternitatem præparatis. *Eligis in Israel esse contemptibilis, vt illi placeas, cui te probasti maledictum incurrere sterilitatis. Et ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate recompensatur.* Ad maledictum vsque descendere voluisti sterilitatem tuam, vt ex minimo granulo in arborem mutaretur, Deique benedicta Mater appellareris.

44. *Se ſe Adam minimum agnoscens, similẽ vtique vulgaribus, se ostendit Dei Filio similem.* Sap. 7. Hugo. Cardin.

Salomon audiendus, *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est.* Sap. 7. Spirituali sensui dat Hugo Carensis, fatus: *De genere terreni illius notabilis, id est, Christi.* Si de genere Christi Filij Dei cur mortalis homo similis omnibus vocitatur? An non Christus *speciosus forma præ filiis hominum?* Certè quia se Salomon similem cunctis vulgaribus recognoscit, ascendente humilitate, Christo Domino assimilatur, genereque cœlesti satus ostenditur.

Ioannes contestatur, *Sciens* IESVS, *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* c. 13. Vbi Eligius acutè, *Sciens quia à Deo exiit* seu ortus est, *per humilitatem Incarnationis.* An non id aptius sciret ex æterna generatione, qua procedit à Patre? Certè vt ostenderetur IESVM genus à Deo trahere sufficiebat Incarnationis humilitas; minimum enim illud granum illico in arborem assurgebat.

45. *Nisi qui terræ adducitur per humilitatem, non potest in arborem exurgere.* Ioan. 3. August.

Sinapis ergo granum id est humilitatis affectos in cordis agro seminandum est. Christus ait Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ioan. 3. Profectò obiiciente Nicodemo quam difficile quis senex vterum rursus iniret, Dominus addidit, *Tu es Magister in Israë', & hæc ignoras?* Mihi crede, ô bone, *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quare illa spiritus exaltatio ad Regni cœlorum ingressionem non perficitur sine natiuitatis humilitate: *Nisi quis renatus fuerit non intrabit in Regnum cælorum?* Certè quia granum prius terræ committendum, vt ex humilitate ad superos tendens explicetur in arborem Angelorum altum domicilium. D. August. Tract. 12. in Ioan. *O fratres, quid putamus Dominum huic Magistro Iudæorum quasi insultare voluisse? Nouerat Dominus, quid agebat, volebat illum nasci ex spiritu. Nemo ex spiritu nascitur nisi humilis fuerit; quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu; quoniam prope est Dominus obtritis corde.* Proximam particulam expende: *Prope*, &c. Ille qui alta à longe cognoscit tam prope est humilibus vt in eorum eredе requiescat. O quanta humilitatis incrementa, si granulum terra absconditum tam proceram surrexit in arborem, vt non iam volucres cœli, seu Angeli, sed ipse Angelorum Dominus eius in ramis commoretur!

Deus in ramis huiusce arboris requiescit.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cælorum grano sinapis, quod &c.

Sinapis granum est Passionis Dominicæ meditatio, quæ quidem laborum cibos dulces efficit.

Nil enim ita nos reddet auidos ad laborum sustinentiam, quam Christi patientis exemplum.

46. Chrysol.

CHrysologus Christi Passionem sinapis in grano significari asseruit. Gregor. lib. 19. Mor. c. 1. Christus passus in horto sepelitur plantatus, arbor magna surrexit: granum per humilitatem & mortem; arbor per resurrectionem. Huius granuli vim (pergit Chrysolog.) experieris si tibi contusum apponatur: id est, si Christi contusi ac vulnerati mediteris amorem. Vtere contuso sinapi ad amarissimorum vsum ciborum: passi enim Domini memoria te omnino ab huiusmodi ciborum fastidio liberabit.

47. *Mundo, qui laborũ amaritudine nauseabundus obiicitur, datur sinapis, Passionis Dominicæ memoria, vt auidè labores absumat.* Iob 33. Cellens. Abbas. Paschas.

Omnis quia *caro corruperat viã suam*, & ægritudine affecta est exitiali, *abominabilis ei fit* (loquor cum Iobo patientissimo) *in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro eius, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* c. 33. De lachrymarum, ac laborum pane loquitur Iob, auctore Cellẽsi Abbate. Vndenam panis laborum dulcis existet patienti? Tegulam arripiat ad vulnerum medicamen, id est, Christũ ex passione contritum meditetur. En sinapis dulcedinem ad amari cibi facilem assumptionem.

Pascbasius ad Matth. *Quanto plus Dominus attritus est passione, instar sinapis: tanto amplius fructus sui in mundo effudit saporem.* Qui sinapis adiectione profatur, *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia*, Christi patientis, *cibi mei sunt.* Iob.6.

Iob.6.

48. *Princeps Eunuchorū non poterat absumere labores, ac persecutiones Christianorū, & ideo recedebat.* Act.8.

Princeps Eunuchorum Æthiopis Reginæ Candacis Ierosolymam iniuit Deum verum adoraturus. *Ecce vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur.* Act.8. Quare reuertebatur, qui adoraturus venerat sine Baptismo, cuius ex mente Patrum flagrabat affectu? Si docto credendum Expositori, quia vidit Christicolas diris laboribus affectos ex Iudæorum persecutione. Adiicit enim textus post aduentus Principis huius historiam. *Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini*, &c.c.9. In fidei exorientis mensa amatissimæ epulæ apponuntur: quis vorare possit? Gentilicam ergo reuertitur in patriam, vbi epulæ dulciores: *Et reuertebatur.*

Act.9.

49. *Passi Christi memoriā huic Principi stomachabundo extitit dulcis sinapis, ad labores absumēdos.* Act.8.

Porrò Dominus curauit sinapim dulcissimam stomachabundo Æthiopi exhiberi, qua auidè persecutionum cibos voraret. Minister epuli Philippus immittitur, legenti prophetiam Isaiæ apparet Apostolus. At *locus scripturæ, quem legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine voce: Sic non aperuit os suum.* Act.8. Profectò hoc loco de IESV patiente à Philippo explicato, incunctanter proclamat Eunuchus: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Preme particulam: *Quis prohibet?* Quis? Saulus spirans minarum & cędis, in Discipulos. Quis? Iudæi inuidia accensi, qui canum rabidissimorum in morem fidem recens natam dilaniare student? Quis? Inferni potestates, Principes tenebrarum harum, qui osores lucis exorientis, eam conantur flatibus persecutionum extinguere. O mensam cibis refertam amatissimis! *Quis* (attamen clamat ille) *prohibet me baptizari?* Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura poterunt me à fidei epulo reuocare; postquam Agni IESV patientis sinapi reficior. Nyssenus lib. de Baptis. *Gustauit interpretationem sanguinis, & Agni occisi: & minimè operosum ei sic petitum Baptisma accepit.* Ac si diceret, Baptismus iam minimè Eunucho operosus obiicitur, cibus ei dulcissimos apponitur, quia IESV patientis sinapim degustauit: *Gustauit interpretationem sanguinis, & Agni occisi.* O quam dulce laborum condimentum sinapis boni Dominici sanguine immixta.

Nyssen.

50. *Cum anima compūgitur tribulationū spinis*

De sponsa laborum, ac tribulationum spinis compuncta profatur sponsus, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant.2. Vbi Emanuel Saà asseruit τὸ *filias* peccatores significare iuxta Deut.32. & Isai.1. vbi etiam peccatores & *improbi filij dicuntur.* O quam diris punctionibus iusti afficiuntur ex peccatorum societate! Quonammodo anima poterit tantam amaritudinem deglutire? Passionis Dominicæ admixta sinapi *sub vmbra illius*, (adiicit) *quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Ibid. Cum abominabilē mihi laborum panem comperissem, accurri ad sanguinis Christi sinapim: *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Eius, inquam, qui in morē sinapis, granū cum esset exsurrexit in arborem. Ambrosius ad Psalm. 118. serm.5. Quis fructus eius dulcis nisi prædicatio Dominicæ Passionis. An gustata sinapi, tribulationum fastidit conuiuium? Profectò, ebrij in morem, laborum sitibunda recurrit ad calicem. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Vbi S. Ambrosius, *Ergo vbi gustauit fructum suauitatis Passionis Christi, impatiens ad perfectiora festinat, dicens: Introducite me in domum vini.* Totus mihi tribulationum calix hauriendus, nec clamabo: *Transfeat à me calix iste.*

spinis, memor IESV passi deuorat tribulationes.

Cant.2. Deut.32. Isa.1.

Ambros.

51. *Ex Domino mortuo siccitatis calamitas terminatur, quia Christo passo, nobis omnia suauia.*

Regi Achabo dixit Elias, *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba.* 3.Reg.17. Peccatores calamitatibus innumeris implicandos inuasit cœli siccitas, famis irruptio. Vnde ab spe cadentes, mori maluerunt, quam calamitatibus agitari. Profectò ideo hominibus tribulationis cibus abominabilis obiiciebatur, quia Dominus viuus exponitur: *Viuit Dominus.* Pulchrè D. Basil. Sel. orat. 11. *Quod Iudæi in idolorum venerationem inclinarunt, quod authore vitæ relicto, dæmonibus se dediderunt, propriis edocti calamitatibus viuentem Deum agnoscunt, & condiscant per quā mortem appetunt.* Preme illud: *Propriis edocti calamitatibus, viuentem Deum agnoscant,* &c. Appetunt mortem, quia vita illis tot calamitatibus plena horribilior eis morte præsentatur. Dum enim Deum viuentem agnoscunt, non vident vnde possit cibus amarissimus absumi. Quidnam ergo? Deum mortuum curent mente aspicere, fallar nisi sinapis dulcedine mensa redundet ad calamitatum perpessionem.

3.Reg.17. Basil.

52. *Latro cupit in cruce persistere, & mori postquam vidit IESV vulnera.*

Cum Dominus in mensa crucis saturabatur opprobriis latronem dexterum tribulationum calice, quem auerti prius cupierat, potari contendit. Aspicit ille Christum tot actum vulneribus, & degustans sinapim passionis tam auide properauit ad mortis desiderium, vt peteret non à ligno, sed à vita dissolutionem: *Memento mei Domine, cum veneris in Regnum tuum.* Luc.23. D. Maximus homil. 7. *Plus amare cœpit, & consequenter plus pro ipso pati desiderauit, Postquam in corpore eius illa vulnera recognouit.*

SECTIO II.

Fermenti vis.

TEXTVS.

VERS.33. **A**Liam parabolam locutus est eis: Simile est Regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis ad

ad turbas: & fine parabolis non loquebatur eis. 35. Vt impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De fermento tribus satis farina immixto.

1. *Fermenti descriptio & vis.* Plin. Ambros.

SIMILE *est Regnum cœlorum fermento.*] Fermentum quidem sic describit Plinius lib. 18. cap. 11. *Nunc fermentum fit ex ipsa farina, quæ subigitur, priusquam addatur sal: ad pultis modum decocta, & relicta, donec acescat.* Calorem habet, à feruoréque fermentum appellatur. Vim eius expendit Ambros. serm. 5. *Fermentum, cum in cumulum conspergendum est farinarum, confringitur, comminuitur, & ipsum omne dissoluitur: vt dispersam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem constringat, & in solidum corpus reddat, quod in pulueris modum ipsa diminutione languebat.*

2. *Mulieris est, fermentum in farinam mittere.* Chrysol.

Quod acceptum mulier.] Si hominis est granum spargere, fœminæ est, fermentum in farinam immittere. Quamobrem postquam homo fuerat descriptus seminasse, mulier accepisse dicitur fermentum, & in farinam immisisse. Chrysologus serm. 99. *Res de vsu geritur, vir in agro sinapis arborem serit, domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimonia, Quia virum foris expectat labor, intus mulierem domestica cura constringit.*

3. *Quænam mensura, satum Hebrais.*

Abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.] Satum mensura est Hebræis. In cuius expositionem nonnulla de Hebraicis mensuris adnotabo. עֹמֶר *Ghacal*, ouum & quintam eius partem continet. קב *Kab* quantum viginti & quatuor oua capit. סאה *Seah*, seu *satum* facit oua centum & quadraginta quatuor. Erat autem hæc mensura certa vasis forma vulgo notabilis, in cuius medio signum erat expressum, quo dimidium mensuræ ipsius cognoscebatur.

4. *De Ephi mensura.*

Equidem אפה *Epha* vel *Ephi* continet tria sata. Ephi ergo farinæ fermentauit hæc mulier, quemadmodum & Sara, Abrahamo profante, *Accelera, tria sata simila commisce.* Gen. 18. Satum itaque tertia pars est Ephi Interpres 1. Reg. 1. Ephi vertit tres modios. Adduxit eum (Samuelem) secum postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ. Hebraicè, pro *tribus modiis* est *Epha*. Tres igitur modij sunt *tria sata*, tria sata est *Ephi*.

5. *De Gomor.*

Addo עֹמֶר *Gomor* decimam partem esse *Ephi*. חמר vel כר *Corus*, vel *Chomer* decem *Epha* capit, id est, sata triginta. *Triginta modij sementis facient modios tres.* Isai. 5. Hebraicè habetur, *semen Cori faciet Ephi*, quoniam Corus triginta continet modios, Ephi verò tres.

§. II.

De Parabolæ huiusce significatione.

6. *De multiplicatione Euangelij, eiúsque vi.*

SImile est Regnum cœlorum.] Idem quod præcedens hæc parabola signat, videlicet Ecclesiæ & Euangelicæ doctrinæ vim & incrementum. Nam quemadmodum fermentum massam cui hæreseit, fermentat; doctrina sic Euangelica fermentauit orbem. In tria sata, siue mensuras immissum est fermentum: in tres orbis partes Europam, Africam, Asiam Euangelij fermentum immissum: donec fermentetur totum id, quod Deus præsciuit, ac decreuit fermentandum.

7. *Expenditur, & confirmatur expositio.* August. Matt. 8. 1. Cor. 5. Euthym.

Profectò fermentum in malam iam, iam in bonam partem accipitur, Augustino aduocante lib. 3. de doctr. Christ. cap. 25. In malam, *Cauete à fermento Pharisæorum.* Matt. 8. *Expurgate vetus fermentum.* 1. Cor. 5. Hoc autem loci in bonam partem sumitur. De quo Euthymius exprimens Ecclesiæ incrementa profatur, *Fermentum cum sit modicum, in multa tamen farina absconditum per conspersionem totam farinam in vnum simul corpus vnit: & in alteram speciem ab ea, quam prius habebat, transmutat. Cúmque farina res sit mortua, eam quodammodo viuificat, ac vim habens actiuam sursum ascendere facit. Ita quoque fidei sermo, cum sit, quantitate modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in vnum vnit Ecclesiæ corpus, ac in alteram conuersationis speciem transmutat. Cúmque mortui sint ad opera virtutis, viuificat ad eius operationem: & sursum ascendere facit ad cœlum.*

8. *De Christo in Eucharistia orbis, animarúmque fermento.* Hilar. Ambros. Cyrill.

Plura Patres de fermenti significatione ex parabola. Hilarius hic, Ambrosius serm. 5. Christum asserunt orbis extitisse fermentum. Cyrillus autem lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Sicut parum fermenti, vt Paulus ait 1. Cor. 5. totam massam fermentat: Sic paruula benedictio totum hominem in se ipsum attrahit, & sua gratia replet; & hoc modo in nobis Christus in nobis manet, & nos in Christo. Verè enim totum fermentum in totam massam pertransit.*

9. *De Scriptura sacra hominum passiones mutante.* Hieron.

Hieronymus scripturarum notitiam fermentum exposuit, tribúsque satis, seu mensuris adiicit significari, rationali scilicet hominis parte, irascibili, & concupiscibili. Hæc tria sata Euangelico scripturarum fermento fermentantur, cum diuinum verbum expenditur, ruminatur, & frequenti meditatione tres animæ portiones peruadit. Parti rationali prudentiam præstat, irascibilem domat, concupiscibilem infrænat.

10. *De Apostolis orbem fermentantibus* Chrysost.

Chrysostomus fermenti typo æstimauit Apostolos. *Sicut fermentum quamuis modicum, magnam farinæ copiam in vires suas conuertit: sic quoque Apostoli terrarum orbem conuerterunt.* Adiicit ignauiam hominum subtaxans. *Si duodecim homines totam ferè farinam orbis fermentarunt: animo, quæso, versa, quanta sit nostra malignitas, atque ignauia; qui cum iam innumeri simus, has gentium reliquias conuertere non possumus, qui vel mille mundos satisfacere deberemus.*

11. *De charitatis efficacia.* August.

Augustinus denique fermenti vim ad charitatis transtulit efficaciam lib. 1. qq. Euangel. q. 12. *Fermentum est dilectio, quæ feruere facit, & excitat.* Quanta vis fermenti charitatis, quæ totum feruere efficit animum in Deúmque mirificè eleuat.

§. III.

De Dominico parabelico sermone.

12. *An Christus nihil propriè dixerit, sed semper parabolicè locutus fuerit.* August.

HÆc omnia locutus, &c. & sine parabolis non loquebatur eis.*] Explicat Augustinus lib. qq.Euang.secundum Matth.q.15 sine parabolis non loquebatur eis. Non quia nihil propriè locutus est, sed quia nollum ferè sermooem explicauit, vbi noo aliquid significatit per parabolam; quamuis in eo aliqua propriè dixerit. Ita vt sæpè inueniator totus sermo eius parabolis explicatus: totus autem propriè dictus nullus inueniatur. Beda hæresit, *Non hoc dictum, quasi nullum apertum ad turbas fecerit sermonem. Verum ita potius, quia nullus facilè sermo eius inuenitur, in quo non aliquid parabolarum sit intermixtum.*

Beda.

13. *Chrysostomi expositis.* Chrysost.

Fatur autem Chrysostomus, verba illa: *Sine parabolis non loquebatur eis*, significare, Christum hoc sermone, & tempore sine parabolis non fuisse locutum: aliis autem sermonibus multa sine parabolis dixisse. *Dixit multa etiam absque parabola, sed non illo tempore.* Contestatur Euthymius, *Sine parabolis non loquebatur Christus ea tempore.*

Euthym.

14. *Auctoris sententia.*

Augustinum imitor, *Sine parabolis non loquebatur eis.* In omnibus sermonibus parabolam aliquam, seu parabolas adhibebat, ita vt oullus, vel rarus esser sine parabolis sermo Dominicus. Legendus Tertullianus lib.de Resurr. car. c.33. aduersus eos, qui Christum omoia in parabolis pronunciasse contendebant.

Tertull.

15. *Marci expenditur illa particula;*

Addit Marcus, *Talibus multis parabolis loquebatur eis, prout poterant audire.* cap. 4. An non Iudæi Christi sermonem poterant sine parabolis audire? Euthymius, *Pro vt poterant audire, id est, quatenus digni erant ad audiendum. Scribæ, & Pharisæi. Nam quia non ad sumendam vtilitatem audiebant, sed ad struendam sermonibus eius calumniam: in parabolis locutus est eis.*

Prout poterant audire. Euthym.

16. *Auctoris mens.*

Existimo Euaogelistam significare, Christum ad aoditorum captum aptasse sermonem, atque ob eam causam parabolis vsum, quas ex rebus quotidianis, ac notissimis depromebat. Sic Caietanus, Ianseoius, Salmeron, & Theophylactos fatus, *Dicebat ad turbas in parabolis multis, iuxta habitudinem audientium compositis parabolis. Quoniam enim turba erat imperita, & indocta, idea mentionem facit grani sinapis, & herba, & seminis; vt cognatis, & consuetis nominibus doceat eos vede quiddam: excitet, vt accedant, & interrogent, & interroganda, quæ ignorant, discant.*

Caietan. Iansen. Salmer. Theophyl.

17. *Locì Psalmista indicatur.* Psalm.77.

Vt impleretur, quod dictum est per Prophetam.] Prædictum fuisse ait Matthæus Christum parabolico dicendi genere vsurum. Testimonium desumptum ex Psalmo 77. *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* L X X. sic vertunt illud vulgati *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Hierooymus putat à Vate hæc verba in persona Christi fuisse expressa. *Hoc Saluator se dicturum esse promittit, aperiens os suum in parabolis, & eructans abscondita à mundi constitutione.* Tertulliaous lib.4 contr. Marc. cap 11. Christo proprium fuisse parabolicum sermonem hoc ex Psalmo confirmat. *Nec forma sermonis in Christo noua. Cum similitudines obiicit, cum quæstiones refutat, de septuagesimoseptimo venit Psalmo: Aperiam in parabolam os meum, eloquar problemata, id est, edisseram quæstiones.* Vbi nos habemus, Propositiones, L X X. habent προβλήματα, problemata. Sunt problemata obscuræ propositiooes, quæ proponuotur, vt explanentur.

Hieron. Tertull.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.

EX FERMENTI VI.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cælorum fermento, &c.

Fermentum, quod farinam in vnum corpus vnit, Ecclesiæ significat concordiam triumphantem.

Concordia enim totus orbis Ecclesiæ subegitur.

18. *Concordia*

PROPABATVR Euthymius, *Fermentum in farina absconditum totam farinam in vnum simul corpus vnit.* Vt scilicet vnica componatur Ecclesia si quidem Militans semper in terra, nunquam non triumphum agens. Vnde mirum in modum superatis hostibus multiplicatur, eleuatur, accrescit feliciter massæ in morem fermentatæ. Ergò si ex Interpretum mente in fermento accrescente Ecclesiæ incrementa signantur, orbe ad fidem adducto; victoria hæc vnicori farinam concordiæ proculdobio debetur. Ecclesia enim Militans concordia triumphabit, vnione hostes delebit.

semper agit triumphum, ad Ducem documentum. Euth.

16. *Vnitas Simeonis, & Iuda hostes subiugauit.* Iudic. 1.

Iudas olim & Simeon se se amore & societate complexi casus in omnes obarmarunt. Vnde concordia conuenieos farinam fecit eos vi maxima valentes ad hostium debellationem. *Abiit cum eo Simeon, ascenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum in manus eorum.* Iudic 1. Quid Chananæo, & Pherezæo abstractius à Iuda, ac Simeooe? At fermenti

menti concordia totam farinam coüniuit, obsequentibus hostibus.

20. *Discipuli vnitate orbem reducere.* Ioan. 15. Theodor.

Christus Discipulis, orbis totius fermento, fatur: *Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. Ad concordiæ vnitatem allicere curat ad orbis hostilis reductionem. Theodoretus, *Si vultis mundo resistere, qui odio vos habiturus est,* (imò ad fidem adducere,) *hoc mando vobis, vt mutuam habeatis charitatem.*

21. *Pauci vniti milites multos hostes superant.* Gen. 14. Chrysost.

Abrahamus quatuor Reges aggressurus, *numerauit expeditos vernaculos.* Gen. 14. Cur tot hostes debellaturus non copiosam colligit militum manum? cur non externum comparat exercitum? Certè illi pauci milites vernaculi quidem, fermenti vim æmulantes poterant hostes innumeros fermentare. Vndénam procor. Ex concordia, & vnitate. Chrysostomus, *Quia vernaculi illi cum Loth educati erant, ab Abrahamo soli eliguntur; quia vltionem spontè, & beneuolè facerent.* O incredibilem concordiæ virtutem!

22. *Loth adducitur in captiuitatem, quia recessit ab vnione.* Gen. 13. Chrysost.

Quare Loth, pro quo Abrahamus dimicauit, fuit ab hostibus captiuitate affectus? *Diuisus est ab eo Loth.* Gen. 13. Concordiæ fugiens vnitatem portio illa farinæ deperditur. Chrysostomus addidit, *Quanto melius erat, cum Patriarcha viuere, & omnia ferre, vt nec concordia solueretur: quam separatum ex electis petioribus in tanta repentè pericula incidere, & in Barbarorum venire potestatem.* Tiresias Dux Scipioni profatur, *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.*

23. *Extensio fidei ex concordia fermento.* Ioan. 17. Caietan.

Profectò fidei extensio concordiæ fermento debetur. Christus exorat, *Omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Quónam fructu? *Vt credat mundus, quoniam tu me misisti.* Ioan. 17. Modicum hoc fermenti totam orbis massam fermentabit. Caietanus, *Vnde intelligamus, extensionem fidei, non tam fieri prædicatione, quam virtute vnitatis Christianorum.*

24. *Vnio Israëlitarum Iericho subegit. Idem vnio, ac victoria.* Ios. 6. Origen.

Iericho olim Israëlis vi subigitur, *tubis clangentibus, atque vniuerso populo vociferante.* Ios. 6. Pro *vociferante*, alij *iubilante* legerunt. Quidnam iubilatio portenderet? An victoriæ plausum? Nondum fuerant palmam consecuti. Quidnam ergo cum periculi instantia iubilationi? Certè Origenes hom. 7. in Ios. ait, *Mihi videtur iubilatio indicare, quendam concordia, & vnanimitatis affectum.* Eodem ergo vocabulo & affectus vnanimitatis, & victoriæ indicatur effectus; quia personante concordia, totus orbis subigitur, omniúmque hominum sata farinæ vnam veniunt in massam.

25. *Vnione Apostoli, (modicum quidem fermentum,) totum orbem fermentarunt.* Act. 2. Origen.

Post Domini Ascensionem Discipuli aderant *pariter in eodem loco, & factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam Domum, vbi erant sedentes.* Act. 2. Vbi Origenes sonitum illum ex terræ commotione excitatum asseruit. Quidnam orbis concussio indicaret? Profectò orbis totius ad Ecclesiam reductionem. Quánam vi mundus subigitur? An non Discipulorum modici fermenti concordia? *Erant pariter in eodem loco.* Audi Doctorem. *Si vniuersus populus compos, & vnanimus maneat, fiet illud, quod scriptum est in Actibus Apostolorum, quia terræ motus factus est magnus, vbi sunt vnanimes orabant Apostoli. Et terræ motu facto, destruantur, & cadunt omnia, quæ terrena sunt, ac mundus ipse conuertitur.*

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cælorum fermento.

Verbi diuini efficacia ex Prædicatorum virtute in fermento innuitur.

Euangelica enim prædicatio efficacius mundum allicit ad Deum Concionatorum exemplo, quam vi eloquentiæ.

26. Euthym.

PVlchrè Euthymius, *Fermentum vim habens actiuam massam sursum ascendere facit. Ita fides sermo cum sit quantitate modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in vnum vnius Ecclesiæ corpus, atque in alteram conuersationis speciem transmutat.* Preme particulam, *Vim habens actiuam.* Profectò fermentum efficacissimum ex actione ostenditur. Sic verbi sacri prædicatio ex Concionatorum actione totum orbem conuertit efficacius, quam eloquentiæ tuba personante.

27. *Elegans vita feliciùs suadet, quàm eleganti verba.* Senec.

Gentilis præmitto in Christianorum confusionem sententiam, *Hæc,* (inquit Seneca epist. 76.) *sit propositi nostri summa; quod sentimus loquamur: quod loquimur, sentiamus. Concordet sermo cum vita. Ille promissum suum implebit, qui cum videas illum, & cum audias, idem est.* Felicius orat, qui elegantis vitæ facundia tacita persuadet, quam qui voce eloquenti delectat.

28. *David vitæ concentu, virtutum sonitu Saulem alliciebat ad se, vt sibi vniret.* 1. Reg. 16.

Quid Saule crudelius in Dauidem, cum spiritu agitatus in tantum benefactorem homicida animo irruebat? Porrò Dauide citharam percutiente, spiritu nequissimo ablegato, mitis Saul rursum genero illigabatur, vt fermento farina. *Igitur quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* 1. Reg. 16. Expendo τὸ, *Et percutiebat manu sua.* Cithara quidem est virtutum vnita harmonia, quam excitat operatrice manu, qui expetit animos à nequissimo spiritu ad Dominum reuocare. O quam dulciter, quam efficaciter resonat virtutum Concionatoris Euangelici concentus? Chrysostomus hom. 4. in Act. *Cithara est charitas seu sanctitas ipsa Concionatoris, chorda autem voces loquentes verba, quæ ad charitatem seu sanctitatem exprimendam pertinent: omnes in vnam suauem conspirant consonantiam. Hæc dæmonum furorem compescit,* hominem reducit.

Chrysost.

29. *Iobum peccatorū imaginem amici virtutum exhibitione reducunt, nō verbo.* Iob 2. Berchor.

Iobus in sterquilinio peccatorem in fæce criminum repræsentat. Hunc curant reducere amici tres illi Proceres. *Sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.* cap. 2. Berchorio contemplante tres Iobi amici Euangelicum Concionatorem referunt, qui peccatorem conantur ad frugem meliorem adducere. Cur igitur non vtuntur verborum vbertate, eloquentiæ vi? Quare subticuere?

cuere? Quia Concinnator verè Euaogelitus non tam verbis allicit aoditorem, quam virtutis expressione. Amici Iob charitatis virtutem exprimebant, prudentiæ, silcotiis, compassionisque mutam ostentabant actiooem, felicius suasuram, quam si verborum copia proferretur. Ioannes Pineda egregius scripturæ Interpres ait, Iobum sumpsisse *experimentum de amicorum vera dilectione per certa, verissimáque signa, nullis etiam verbis adhibitis.* Illud ipsum venisse, aspexisse, tacuisse veram exprimebat amicorum charitatem cunctis cinctam virtutibus.

Pineda.

30. *Christum agenté peccatorũ personam virtus cœlestis sese præsentando, confortat, ad Patris obsequium* Luc 22.

Perspicuiorem planè peccatorum imaginem Christus expressit, quem peccatorum maximum pleno ore vocitauit Apostolus; quia scilicet omnium delinquentium personam gerebat. Hunc tormentorum futurorum contemplatione actum Angelus confortare conatur, quem è Virtutum ordine Patres descendisse existimant. *Apparuit Angelus de cœlo confortans eum.* Luc. 22. Quidnam dixit, vt Christum alliceret ad præstandum Numini obsequium? Nulla expressa Angeli verba audiuimus. Profectò illa ipsa virtutis obiectione maximum illum, (ex typo,) peccatorem ad obsequia cœlestia confortabat, alliciebat. Adhuc Ioannes Pineda ad Iobi locum. *Et quidem fortè Angelus, qui Christum confortabat orantem ea potissimum ratione consolabatur; non quidem verbis vllis. Ea potissimum*, inquit, *ratione*, id est, expressione virtutum vt amici Iob præstiterant. Virtus cœlestis obiicitur compassione præmissa, pietate, charitate, obedientia. Iam peccatoris calicem tenentis typus Dominus, os aperit, vt totum calicem valeat exhaurire. Tanta vis sanctitatis.

Pineda

31. *Stella Magos ad Deum adduxit exempli vi, non verbis.* Matth. 2.

Magi tenebris errorum offusi oculos luminari fidei aperuere. *Vidimus*, (inquiunt,) *stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. Quânam vi hi peccatores adducuntur? Egregij cuiusdam Concionatoris monitis, prædicauit stella ex Orientis suggestu? An fulgida lingua verba efformauit? Minimè, sed actionibus sanctis vsa est ad peccatorum reductionem. D. Maximus serm. 5. de Epiphan. *Cum omnium Patriarcharum doctrina, & prophetica sanctorum virorum eloquia ad agnitionem Filij Dei Iudaica corda non flexerint: vnius stella radius fidem Gentium suscitauit. Quæ tanta commutatio fratres, quave ista conuersio? Apud Iudæos Propheta loquitur, nec auditur: apud Gentiles stella tacet, & suadet.* Quia scilicet Propheta vocibus curabat persuadere. Stella autem tacens, radiis fulgentium virtutum prædicabat. Obedientiæ, humilitatis, charitatis exprimebat actiones. O agentis efficacia fermenti!

Maxim.

32. *Prædicator egregius Paulus dum factus est omnibus peccatoribus omnis contrariarum virtutum exemplar, omnes efficit saluos.* 1. Cor. 9.

Egregius Gentium Prædicator Paulus profatur, *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1. Cor. 9 Preme verbum, *Factus sum, vt facerem.* Qui loquuntur verbis, non semper faciunt saluos auditores At qui facti sunt omnia omnibus, hoc est, omnia, quibus egent. Quis luxurie laborat, factus est ei Paulus puritas Euangelica. Auaritia vulneratur, factus est ei Paulus munificentissimus elargitor, gratis donans, quod gratis acceperat. Factus est Prædicator? Ergo omnes lucrifaciet, omnes saluos efficiet. Chrysologus serm. 101. *Probant hoc Apostoli, & maximè Paulus, qui vapulando docuit. Vt eximius Magister: quod ferret, & exciperet passiones.* Vapulando quonammodo docuit? Quia se patientiæ exemplum exhibuit esuriendo, ignoscendo, sustinendo, ieiunando, à voluptatibus abstinendo, contemnendo munera, vt omnium passiones contrariis virtutibus expressis ablegaret.

Chrysol.

33. *Christum factione persuadebat, Philosophi non factores, eloquentia non proficibat ad persuadendum.* Luc 12.

Magistrum cœlestem audiamus. *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* Luc. 12. Quam difficilis doctrina! Quid morte acrius, & quid nece horribilius? Tam facilè ne homines vitæ iura agnata contemnent, séque vltronei, ac gestientes occisori committent? Facillimo negotio huic Dominico monito obtemperabunt auditores Discipuli videntes Christum exemplo confirmare, quæ voce proferebat. Quid Christi Domini vita tot calamitatibus acta, nisi continua mors? Huius vulnera Dominus contemnens se præsentat exemplum, vt persuadere possit, necem minimè esse formidabilem. An potuere id Philosophi eruditissimi, qui dicendo persuadere conantur? Chrysologus serm. 101. eleganter, *Ne terreamini*, inquit Dominus, *ab iis, qui occidunt corpus. Audiant, qui de bono mortis veterum venusta volumina detriuerunt, nihil tamen inde capere virtutis, aut consolationis aliquid inuenire valuerunt. Quia etsi totis eloquentia viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarunt lacrymas, suspiria sustulerunt, negarunt gemitus, incluserunt dolores: nihil tamen aut de spe certa, aut de perpetua vita, aut de vera suis lectoribus salute conquisierunt. Quid homini, quid sapienti dicat? Mori, natura est; necesse est, deperire. Nobis vixerunt veteres, viuamus nos futuris. Mors antequam veniat, non est: cum autem venerit, venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas, quod cum amiseris, non dolebis. Sed hæc talia*, (attende,) *cum dixerint, dicunt totum de sententia, non de vita.* Pulchrè. Inutilis eloquentia vita non confirmante.

Chrysol.

Observat. III.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cœlorum fermento, &c.

Christus in Eucharistia fermentum est faciens massam, cui hærescit, eleuari.

Ostendo, Hispaniæ Reges Austriacos ex Eucharistia mirum in modum eleuatos, augustissimum eorum dilatatam imperium.

34. Cyrill.

EDocemur experimento fermenti vim ad massæ eleuationem. Quod si, authore Cyrillo, fermentum cœleste est Eucharistia ad hominum celsitudinem operandam: augustissima expectant incrementa eum, cuius pectori

Eucharistia

Euchariſtia recluditur. Contemplatus ne aliquando vndénam Auſtriacis Hiſpaniæ Regibus tam mirifica ex potentia, & dilatatione eleuatio? Certè Hiſpani Reges ſibi agnato in Euchariſtiam obſeqoio vti maſſa ex fermento eleuantur ad ſuperos, eorum imperium mirificè dilatatur.

35. *Reges Hiſpani duplici corona ſignantur ex menſa Euchariſtica.* Exod. 25.

Auſtriadum Regum corona eſt Euchariſtia. De propoſitionis menſa Dominus, *Facies illi labrum aureum per circuitum, & ipſi labro coronam interraſilem, altam; & ſuper illam alteram coronam aureolam.* Exod. 25. In menſa Euchariſtica duplex corona? Ita planè in Hiſpanorum Regum ex Euchariſtia eleuationem. Vno hi, & altero orbi ex vi Euchariſtici epuli dominantur. Pro corona interraſili LXX. legerunt *coronam pugilem.* Nam qui Euchariſtiæ præſidio Auſtriaci Principes ad bella procedunt duplicata corona potiuntur, hoſtibus ſuperatis, orbibus obſequentibus.

36. *Hiſpano Auſtriaci Regni protectio ex Euchariſtico epulo.* Pſalm 26.

Vndénam potentiſſima Hiſpaniæ Regna ſpecialiſſimo fidei robore donantor niſi ex Euchariſtiæ protectione? Dauid Rex Auſtriadum Regum gerens perſonam cecinit dulciter, *Vt videam voluptatem Domini, & viſitem Templum eius* Pſalm. 26. LXX. *Et protegar a Templo eius.* Auguſtinus aſſecuit Euchariſtiam Regum, Regnorúmqoe exiſtere protectionem. Aptè Caſſiodorus, *Rex poſtulabat protegi à Chriſti corporis Templo. Vnde & firmitatem fidei, & inuictum robur defenſionis accipiat.* O agnata Auſtridis poſtulatio, qui ex Chriſti corpore firmitudinem fidei, imperiique robur exortum glorianto!

Caſſiod.

37. *Euchariſtia corona eſt Regni Hiſpani ac ſimul ſcutū protectionis.* Pſalm. 5. Lorin.

Et quidem Hiſpanicum imperium, quod ex Euchariſtia exſorgit, & eleuatur: Euchariſtia defenditur Nam orbiculus ille, qui coronam præſtat, ſimul vertitor in ſcutum. Ex D. Thoma Lorions ad Carmen illud: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Pſalm 5. adnotat, milites olim non modo in bello ſcutum geſtare, ſed etiam in triumpho; nam ſcuto, vt diademate coronari ſolebant. Euchariſticus orbis ad ſubiiciendum orbem Auſtriacis Regibus dat fortitodinem, aduerſus hoſtes fidei munimentum, victoriæ coronam.

38. *Regnum Hiſpanicum eſt Aſer, id eſt, Beatitudo, ac Felicitas Regibus ſuis dans ex pane Euchariſtico protectionem, dilatationem, abundantiam, fidem, &c.* Gen. 49. Rupert.

De Auguſtiſſimo Aſere Hiſpanico Regno Iacobus profabatur, *Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Gen. 49. Ac ſi diceret, Aſer, cui ſpeciali munere datus eſt panis cœleſtis, præbebit Regibus delicias, id eſt, imperium, quod ſpecialiſſimo munere à cœlo accepit piiſſimum in Euchariſtiam affectum: hac pietate, ac religioſo obſequio ſuis Regibus præbebit Euchariſtiæ delicias, ſeu effectus, nempè ſpiritualem ſatietatem, protectionem, omnium rerum abundantiam, dilatationem, fidem, gloriam, æterni Regni pignus. Ex Ruperto confirmo. *Aſer, qui Euchariſtici panis pinguedine perfruitur, præbebit delicias Regibus, qui ſunt digni menſa Regalis curia, delicias inquam vitalis alimonia.* Iam delicias expoſui, queis fruuntur Auſtriaci Reges. Quonam autē iure in Aſer Iacobi filio Regnum Hiſpanicum adumbratum? Scio Aſer filium Caatō per *Samech vinctum* interpretari. At Aſer Iacobi filius per *Sin Beatitudo* ac *Felicitas* ſonat. Regnum Hiſpanicum Iacobi Apoſtoli filius, quid niſi Beatitudo, ac Felicitas? Paternè à Numine bellorum aſperitate corripitur: ſed pinguis panis eius id ſemper conſeruabit Aſerem Beatitudinis, ac Felicitatis identitatem.

Hiſpanicum Regnum Iacobi Apoſtoli filius.

39. *Hiſpania prandens erigit trophæa.*

Vis ô Regnum Hiſpanicum beatiſſimum, Turcas delere, hæreticos comprimere, ac debellare, Chriſticolas fortaſſe hoſtes vincere, rebelles ſubditos ad meliorem mentem afferre? Menſæ Euchariſticæ epulo fruere, tibi enim epulanti victoria præparatur. Regni Iſraëlitici Imperatorem audi: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Pſalm. 22. Menſane Euchariſtica tota eſt Regis protectio, & contra hoſtes repugnatio? Ita planè. Rex comedit, & triumphat. Quam facilis Hiſpaniæ victoria! Chryſoſtomus, *Quis eſt igitur inimicos tam facilè vincens, vt prandens trophæum erigat? Propter hoc & Rex Propheta dicit: Paraſti, &c.*

Pſalm. 22. Chryſoſt.

40. *Hiſpanorum Procerum obedientia, & totius Regni ſubiectio erga Reges ſuos ortum habet ex affectu in Euchariſtiam.*

Nulli noo innoteſcit Hiſpanorom erga ſuos Reges obedientia. Principes noſtri circa obſequium Regium vulgari cuique comparantur: imo inde abſtracti adorantur à vulgò, Regióque ex ſanguine orti coſpiciuntur, quod ad Regis ſui Auſtriaci manum promptiores accurrant. Vndénam ſubditorum adeò mirabilis ſubiectio? Certè ex Euchariſtiæ virtute. Iacob ſic Regiæ Tribui: *Non auferetur ſceptrum de Iuda.* Huic Tribui pacificum aptatur imperium, corona æternabitur, vbique Rex Iuda. Addit, *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Gen. 49. In vinea, in vite, in ſanguine vuæ Euchariſtia paſſim annutatur. Preme particulam, *Ligans ad vineam pullum ſuum.* Hieronymus, *Hoc ſciendum, quod vbi nos legimus, Alligans ad vineam pullum ſuum, pro pullo in Hebræo poteſt legi vrbes ſuas.* Vrbes Hiſpaniæ, inſtar ſubiecti pulli, humiles, obſequentes oſtentantur: ſi temporum iniuriis, ſi bellorum inſtantia neceſſariò præter Principis Catholici deſiderium, & affectum pergrauantur: pulli ſunt alligati. Vndénam precor & ſubditis vrbibus tam mira ſummiſſio, & Regibus Hiſpanis tam auguſta dominatio? Vi Euchariſtiæ & vrbes continentur, & Reges roborantur. *Alligans ad vineam pullum ſuum, vrbes ſuas.* O beatiſſimum, ac feliciſſimum imperium viue, & comede, quod victoriis edis, nunquam non Cæſareum, ſemper auguſtum. Liga ad Euchariſticam vineam vrbes tuas Regna, Orbes, & cum propaginibus dilatatis vſque ad mare, vſque ad flumina imperium dilatabitur.

Gen. 49. Hieron.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Quod acceptum mulier, abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.

Si vir granum ſinapis curæ ſerendi dat operam: fœmina interim fermento admiſcendo farinæ impendit ſtudium. E cœlo labores communiter omnibus ſubditis exponuntur.

Principatus enim præcelſi eſt, haud hos plus, quam illos ſubditos pergrauare.

41. Chryſol.

Recolo Chryſologi ſerm. 99. ſententiam. *Vir in agro ſinapis arborem ſerit, domi mulier fermentum*

fermentum procurat, & panes praeparat alimonia. Quia virum foris expectat labor, intus mulierem domesticus curu continuegit. Familia subdita Regno coelorum aequaliter laboribus pergrauatur. Non quiescunt hi, vt illi solummodo incumbant labori. Tyrannicae imperij leges hunc onere grauant, illum leuant ab onere. O leges coelestis Regis aequaliter cunctis subditis onera exponentis.

41. An quia indixit Adamo, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. existimas foeminae nullum indixisse laborem? Si vir fert, si metit, foemina triticum actum in farinam fermento admiscet, vt panes efficiat viro laboranti. *Vir in agello serit, agro serit,* (ait Rauenatis Praesulis sermo,) *mulier domi fermentum procurat, & panes praeparat alimonia.* Quam apposite Franciscus Petrarch. *Omne illud leue, facile imperium, cui omnes familia humeri adhibentur. Intolerabile pondus, quod humero singulari adducitur.*

Non soli vesceris pane tuo. Adamo viro enim impositur, sed & Eua famulier fermentas. Gen. 3. Chrysol. Petrarch.

43. Abrahae Dominus circumcisionis legem indicens, fatur: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem praeputij vestri, vt sit in signum foederis inter me, & vos.* Gen. 17. Quaeris, an mandatum circumcisionis fuerit indictum pro opere iustitiae? Respondet Textus aperte, *Vt sit in signum.* Quare igitur datur in signum, & non in iustitiae opus? Crediderim, quia commune opus non est, cum ad foeminas non attinet: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Opus enim iustitiae quod ad merita acceruanda iniungitur vt onus fidelis populi communitet omnibus debet indici, vt omnium humeris subleuetur; D. Iustinus Dial. aduers. Iudaeos. *Ex eo, quod non possunt foemina corporis circumcisionem percipere, intelligitur signi causa datam esse non pro opere iustitiae. Fecit enim Deus, vt ea, qua iusta sunt, virtutisque consentanea, omnia aque mulieres seruare possent.*

Non erat opus iustitia sed signum, quia communis omnibus viris sola imposita, non feminis. Gen. 17. Iustin.

44. Moyses exprimit luminarium natalitium. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei: & luminare minus, vt praeesset nocti,* Gen. 1. Quaeritis, cor sol magnum luminare vocitatur? An quia fons luminis? Ao quia cunctas stellas procentate superat? Crediderim magnum luminare appellatum esse, quia cum diei praesit, omnibus creaturis indifferenter lumen spargit. Ambrosius exam. *Inter Sol lumina e maius appellatur, quem sibi tantum adesse, atque lucere singuli populi credunt: cum similiter luceat vniuersis.* Haud Praeses sol vni ant alteri lucet, reliquis subditis obcaecatis: sed omnibus indifferenter lumen spargit.

Sol indifferenter diei, qui indifferenter omnibus lumen spargit. Gen. 1. Ambros.

45. *Luminare,* (adicit Moyses,) *minus, vt praeesset nocti.* Gen. 1. Dixerat lunam magnum esse luminare: *Fecit Deus duo luminaria magna.* Si ergo luna magnum est luminare: cur *luminare minus* appellatur? Crediderim, quia additum est: *Vt nocti praeesset.* Atque praesidentiam luna magnum erat luminare, accedente munere praesidendi luminare minus apparet. An quia ex se detrahit Praeses quod subditis impendit? Minime; sol enim etiam deberet ex Praesulatu minus luminare apparere. Igitor ideo lunam existimo minus luminare esse vocitatam, quia non apte probi Praesidis munus videtur obire, cum quod altera parte deest, semper aliis offert. Interminabili accretione, ac diminutione luna non aequaliter sublunaribus cunctis fulgorem impendit. Basilius Magnus pulchre in exam. *Cernus luna est magnum, & splendidissimum sane post solem. Non tamen semper eius conspicitur magnitudo. Sed nunc tota insinuatu in orbem, nunc accrescens, aut decrescens, haud tota conspicitur, id altera parte quod deest, offerens semper.* Periander adnotans, quam difficile sustineat sapiens, in tenebris abscondi, aliis fortasse stultis fulgore donatis: cecinit,

Luna sit magnum luminare, dum praesidentia minus apparet, quia non semper illuminatio. Gen. 1. Basil. Periand.

Leues hae tenebrae, sed importabiles.

Lunae igitur noctis Reginae deuenustatur praesidentia, dum totum tenebrarum pondus vni Polo addicit, altero Polo tota claritate donato.

46. Sub lapidis pondere Lazarus morabatur, Dominus autem ad vitam eum reuocaturus Rex viuorum & mortuorum lapidem ab humeris Lazari iubet attolli: *Tollite lapidem.* Adnotat Ioannes Christum lacrymas profudisse: *Et lacrymatus est Iesus.* cap. 11. Cur Princeps viuorum, & mortuorum plorat? Chrysologus serm. 64. *Fremit spiritu Iesus, & toto se visceram commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat.* Ac si diceret, Domini coelestis facinus fuisset, ab omnium subditorum humeris communis mortalitatis ponderosum lapidem aufetre. Quam meae munificentiae agnatum, omnes indifferenter subditos grauatos pondere alleuiare! Grauare enim oneribus hunc subditum, vt alter ab onere eximatur, Praesulum terrenorum est.

Christus Rex viuorum, & mortuorum plorat, quia cogitur ab vno tantum subdito pondus abliberare, quod ab omnibus superes auferri. Ioan. 11. Chrysol.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.

Fermentum in massae insipiditatem non transit, sed potius massam ad saporis sui trahit aemulationem.

Iusto enim agnatum est, ab iniquis sociis non solum non peruerti, sed eos ad sui imitationem allicere.

47. Fermentum in farinae satis tribus abscondi- tur, donec omnia fermentantur. Quis non crederet magnam farinae vim modicum fermenti ad suam insipiditatem attracturam? At potius fermenti particula totam massam insipidam ad saporis sui imitationem traxit. Eo iusti societas. Haeret iustus peccatoribus, nec tamen ab eorum iniquitate peruertitur: imo iniquitate percunte improbi socij ad iusti haetenus similitudinem reformantur.

Vis bona sociata.

48. Testor Apostolos, queis Dominus indixerat, *Nolite possidere aurum, neque argentum: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Matth. 10. Quanam pietate ô Domine, oues tuas ad lupos immittis? An iotendis ab animantibus horribilibus deuorari? Minime vero. Quid igitur?

Mittuntur Apostoli ad lupos, non ab eis vincendi, sed lupi in oues commutandi. Matth. 10.

Cupio

Cupio oues meas socias lupis sdduci, vt lupos attrahant ad sui æmulationem. Non itaque lupi vorabunt oues, sed in oues earum exemplo conuertentur. Vident enim Discipulos ab auro, argento, omnibúsque abstinere diuitiis, quas lupi sibi exoptant abripere. Vnde nihil in ouibus aspiciunt, quod ad earum excitet delectionem: multa autem annotantur, quæ ad earundem imitationem possit allicere. Isaias Abbas orat. 16. *Præcepit Dominus eis, vt nihil acciperent in via: cum enim nihil luporum haberent, non poterant lupi eos deuorare.* Facti enim oues non poterant non exuere feritatem.

Isaias Abb.

49. Christum Ambrosius fermentum appellauit, quod hominum massæ admixtum, illam in Christũ commutauit. Audi Ioannem. *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* cap. 1. Admiscendum erat fermentum hoc cœleste toti hominum massæ. At Iudæorum aufugiente portione, Gentilium farinam Dominum excipientem Dei vertit in progeniem. Ambrosius serm. de fermento pulchrè profatur, *Rectè fermento Dominus comparatur, qui cum esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate abiectus: tanta intrinsecus sapientia virtute pollebat, vt doctrina ipsius mundum ipse vix caperet. Qui cum se cœperit per totum orbem diffundere vigore diuinitatis, statim hominum genus omne in substantiam suam sui potestate protraxit; vt & ingum Spiritus sancti sui infunderet omnibus: hoc est, Christianos cunctos faceret esse, quod Christus est.*

Christus fermentum, quod massã se recipientem conuertit in Dei filium

Ioan. 1.

Ambros.

50. Olim *mortuus est Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit supra pedes suos.* 4. Reg. 13. O vis fermenti! Etiam post mortem virtus iustorum in ossibus latitat, quæ immixta cadaueri id facit eleuari, vt vitali iustorum cœtui adscribatur. Bachiarius epist. de recip. lapſ. *Esto ergo si mortuum ducis, vel inter Elisei ossa illum constitue. Nolo, vt eum longè segreges à Christi membris; quia & ipse consortio meliorum resurget in vitam.* Porrò membrorum Christi conditio socios sui facere æmulatores.

Vel mortuo iusto fermēti vis ad hominum conuersionem.

4. Reg. 13.

Bachiar.

51. Aridam Deus pelago coronauit. Germinibus terra fœcunda monstratur post præceptum Conditoris, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Postmodum perfecto quarto die, Deus profatur. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli.* Gen. 1. Miror vim aquis inesse ad animantium generationem. Cur non potius cœlo hæc virtus addicitur ad volatilium natalium; sed aquis? An terra fœcunda cingens pelagus id ad sui æmulationem adduxit? Pulchrè D. Basilius Seleuc. orat. 1. *Cum aridam mari coronasset Deus, non vsibus ineptum ostendit mare, ne quidem genitura. Oportebat id siquidem vicina terra ad partus edendos non inferius videri.* Si vel pelago sterili cura hæc agnata sociam fœcundam terram æmulandi: strictiori iure iustorum fœcunditas expetet sterile pelagus in sui imaginem efformare.

Terra fœcū pelagus suā edocuit fœcunditatem.

Gen. 1.

Basil Sel.

52. Paulus ad hæc. *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego sum.* Act. 26. Dixerat Paulo Agrippa, *In modico suades me, Christianum esse.* Quódnam illud modicum? Certè *fermentum*, (ait Augustinus,) *cum sit modicum totam massam corrumpit*, seu conuertit. Quid non modicus Paulus Agrippam posset reducere si electorum numero esset adscribendus: qui toto orbi fermentando potens obsistitur. Preme illud: *Opto apud Deum.* Hic iustorum conatus fermenti in morem, eos sui reddere æmulatores, quos socios acquisierint.

Paulus modicum fermentum, totam orbis massam vult in imaginem suam efformare.

Act. 26.

August.

53. Cum aspectare lubet fœcundissimam germinum naturam, cogor inquirere, vndénam tanta vis habuerit exortum? Meæ autem quæstioni illud Geneseos satisfacit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen: & lignum pomiferum iuxta genus suum.* cap. 1. Quódnam, quæso, genus, aut progenies lignorum, quod ipsa debeant æmulari? Credidero esse ipsum fœcundissimum conditorem totius creaturarum massæ fermentum. Fœcundissimus Deus terræ proximus eam sui efformauit æmulatricem. Augustinus q. 9. *Qui habuit ergò Filium Deus totis sibi similitudinis partibus congruentem, hoc est, vnus vnicum, probus probum, bonus benignum, beatus beatum, maximus maximum, sempiternus æternum: habuit vtique ante mundum creata sobolis principatum, de qua rebus oriundis impertiebat exemplum; vt gignentium germina suo respondere generi cogerentur.* Vis peccatores sterilitate laborantes cœlesti virtutum fœcunditate donari? Te exhibe illis socium virtutibus stipatum: fallar, nisi in tui imaginem illicò efformati obiiciantur.

Deus fœcundissimus terræ proximus eam edocuit fœcunditatem.

Gen. 1.

August.

LIBER OCTAVVS.

S E M E N.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput octauum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

P R O L V S I O.

Ligni vitæ fen I e-su locuti in Parabolis, FRVCTVS OCTAVVS.

TRES Parabolas modum, ac vim incrementi Euangelicæ doctrinæ significantes, adiicit. Vnam quidem de semine, quod iactum in terram sensim increscit. Certè semen est verbum Deus, sine terreno semine fœcundissima terra Maria. D. Ildephonsus lib. de Virg. Mar. cap. 3. premens illud Psalmi 84. *Veritas de terra orta est*, ait, *Hæc terra est, de qua veritas oritur, quæ veritas Christus est. Hæc terra fructum suum dedit, id est, Christum nostrum genuit, in quo & benedixit nobis, id est, Deus noster, vt benedicat nobis Deus, & simus per Mariam benedicti à Deo ter vocabulo repetito. Quem in Trinitate vnum Deum omnis terra excipiant fines.* O bonæ terræ fructum centesimum.

Psalm. 84. Ildeph.

LVCAS CAP. VIII.

VERS. 4. CVM turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.

5. Exiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.

PARAPHRASIS.

4. TANTA *vis hominum ex vicinis vndique ciuitatibus concurrebat ad Christum, vt condensantibus se turbis, coactus fuerit ingredi nauim: atque hinc promiscuam multitudinem velut è cathedra inuolucris similitudinum edocere. Primam igitur sic similitudinem proposuit.*

5. *Egressus est seminator quidam, vt suam faceret sementem. Ac dum ille nusquam non iacit grana sua, vberrimum cupiens prouentum, non æquè felici solo excepta sunt semina. Nam aliud iactam excidit iuxta viam, sed partim conculcatum est pedibus viatorum; reliquum quoniam non erat coopertum, volucres cæli deuorarunt.*

6. *Rursus*

6. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

6. Rursus aliud in solum decidit petricosum, & tenui terra exceptum superficie, quæ petram tegebat, enatum quidem est; sed mox exortum ad solis ardorem exaruit, humore deficiente, qui vi posset ardoris opponi.

7. Et aliud cecidit super spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

7. Aliud præterea incidit in spinas, enatum quidem est, sed simul exortæ spinæ. Quæ quidem quia celerius prouenitunt, & densius se spargunt, herba boni seminis suffocatur, ne in auram liberiorem liceret emergeret.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

8. An omnia grana infeliciter exciderunt? Incidit portio in terram bonam, & enata semina fructum centuplum reddidere. Hæc locutus Dominus, inclamabat: Qui habet aures ad audiendum Euangelicam sapientiam idoneas, audiat hæc, quæ dixi; non enim poscunt crassum, aut oscitantem auditorem.

9. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.

9. Discipuli, qui erant proximi IESV, *vt explicaret parabolæ ænygmata rogitarunt, haud surdi, vt Pharisæi, ad veræ pietatis doctrinam.*

10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est, nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes, non videant, & audientes, non intelligant.

10. Quibus Dominus, Vobis, inquit, tanquam domesticis amicis, datum est, mysterium Regni Dei nosse. Habent aulæ Regum arcana sua, quæ plebeiis celentur. Habet & Euangelij Regnum sua secreta non temerè cuiuis proferenda, sed ita peruulganda, vt ab iis tantum cernantur, qui sunt aulæ domestici: cæteris inuoluta parabolis, vt qui indigni sunt, videntes non videant, & audientes non intelligant.

11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.

11. Est autem hic parabolæ sensus arcanus. Filius hominis seminator est, solum est cor hominis; semen sermo Euangelicus. Hoc semen nunquã nõ spargit Dominus, sed hominũ vitio in paucis feliciter prouenit.

12. Qui autem secus viam; hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, nè credentes salui fiant.

12. Semen enim, quod cecidit iuxta viam, eos signat, qui leuiter, & oscitanter Dei audiunt sermonem: ac mox priusquam in eorum animis insideat, venit diabolus, & immissis diuersis cogitationibus, tollit ex animis illorũ, quod audierant. Videlicet inuidẽs illorũ saluti, & impiis suggestionibus obsistẽs, ne salutẽ assequantur.

13. Nam qui supra petram; qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent; quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

13. Porrò semen in terra petricosa receptum notat eos, qui sermonem auditum cum gaudio excipiunt, & in animum suum recondunt. At quoniam quod audierũt, non penitus defixum est, ad tempus obtemperant sermoni diuino, verum deficiunt ad malorum exortam procellam. Facilè est, prosperis rebus, Euangelij seruare doctrinam: cæterùm nisi veræ pietatis affectum imbiberis, vbi res aduersæ Euangelici pectoris robur desiderant, tum illa temporaria sanctitatis species euanescit.

14. Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

14. *Iam ſemen, quod incidit in ſpinas adnotat iſtos, qui poſtquam ſemen ſermonis acceperunt, nullum fructum vera referunt pietatis; propterea quod affectus ille vitæ meliorꝰ ſollicitudinibus huius mundi, diuitiis, ac voluptatibus vitæ præſentis ſuffocatur, obruitur.*

15. *Porrò ſemen iactum in terram bonam, notat eos, qui corde ſyncero, attento, ac vacuo ſalutiferum ſermonem accipiunt, & acceptum memoria recondunt, ac penitus in intimos demittunt affectus, ſic vt nullo malorum incurſu poſſint à ſemel accepto pietatis ſtudio dimoueri. Hanc parabolam dignatus eſt Dominus ſuis Diſcipulis priuatim exponere, vt poſt ſuo tempore palàm omnibus prædicarent.*

SECTIO PRIMA.

Similitudinis Propoſitio.

TEXTVS.

Vers. 4. Cvm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem. 5. Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit ſuper ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De vſu Parabolarum, aut ſimilitudinum.

1. *Quinam tempore hác ſimilitudinē protulerit Dominus.* Beda.

Dixit *per ſimilitudinem.*] Aſſerit Matthæus eodem die, quo quæ narrauerat accidere, Chriſtum è domo egreſſum, mare Galilææ, ſiue Tiberiadis petiiſſe. Aliqui aſſerunt, non eodem die, ſed eodem tempore parabolam huiuſmodi expreſſam fuiſſe, exponentes ſic Matthæi illam particulam: *In illo die*, id eſt, *in tempore illo.* Aſt aptius cum Beda eodem die propoſitam parabolam aſſero.

2. *Sedens in cymba prædicauit.* Euthym.

Factus itaque ad cœleſtem Concionatorem magnus hominum concurſus; quamobrem in cymbam, quæ prope littus erat, ſe recipit, indéque docet, &, vt Euthymius ait, *Sedens in cymba eos, qui in terra aderant, piſcabatur. Sedit autem in cymba,* (inquit Theophylactus,) *vt omnes commodius audirent, & ne a turba comprimeretur.* Tunc igitur *per ſimilitudinem* profatus eſt.

3. *Cur Chriſtus parabolæ vſus eſt.* Chryſoſt. Theophyl. Clem. Alex.

Cur Chriſtus tot parabolis vtitur? Chryſoſtomus hom. 45. in Matth. reſpondet, *In parabolis Chriſtus loquitur, vt tenacius memoriæ, quæ dicuntur, commendari poſſint. Et expreſſior propter ſimilitudines ſermo res ipſas ante oculos opponat.* Clemens Alex. lib. 5. Strom. cap. 4. *Omnia, quæ oſtenduntur per aliquod velamentum, maiorem, & præclariorem oſtendunt veritatem: Sicut res, quæ in aqua pellucent,* &c. Et Cyrillus in Ioan. cap. 62. *Figura intellectualium hæc corporalia ſunt. Quæ cum ſentiantur, clariora plerumque faciunt ea, quæ aliter vix poſſumus intelligere.* Cyrill.

4. *Parabolas proferendo Chriſtus, miſcuit vtile dulci.* Auguſt.

Nec dubium, vtilitati ſermonis huiuſce etiam dulcedinem commiſceri, vt omne Concionator cœleſtis punctum ferat, *qui miſcuit vtile dulci.* Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 6. Iucundius audiri, ait, quod per comparationes effertur, quam ſi ſimpliciter abſque ſimilitudine proferatur. Et epiſt. 119. ad Ianuar. *Plus mouent figuratè dicta & accendunt amorem, quam ſi nuda & ſine vllis ſacramentorum ſimilitudinibus ponerentur. Cuius rei cauſam difficile eſt dicere. Sed tamen ita ſe habet, vt aliquid per allegoricam ſignificationem intimatum plus moueat, plus delectet, plus honoretur, quam ſi verbis propriis diceretur apertiſſimè.* Si

Si feratur, (inibi addit,) *anima motus ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritualia, quæ illis figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur.* Audi Chrysostomum hom. 3. in Ioan. *Quid sibi hæ volunt translationes, quibus non hic tantum, sed per totum vtitur Euangelium Christus? Primum, vt significantius loqueretur, & magis ante oculos poneret. Mens enim familiarium rerum imagine concepta, magis suscitatur, & tanquam in pictura rem ipsam magis amplectitur. Deinde vt iucundior esset narratio, & diutius animo immoraretur. Non enim tam facile sententia capitur, neque ita trahit auditorum multitudinem, vt rerum narratio, & per ea maximè, quorum periculum fecimus, descriptio. Similitudo quoque multam præfert sapientiam.*

Chrysost.

§. II.

De similitudinis huiusce expressione.

5. *Tota similitudinis descriptio.*

EXiit, *qui seminat, seminare semen suum.*] Ex Patribus, & expositoribus carptim sic parabolæ textus apponitur: Exit domo sua ad tritici gerendam sementem arator. Dúmque spargendo semini operam adhiberet granorum pars vna propè viam, pars altera in saxa, tertia pars in spinas, quarta bonam decidit in terram. Ex quatuor itaque seminis expositi partibus, vna tantummodo fructum attulit, non tamen eadem quantitate, sed varium. Nam quædam terræ portio centesimum, alia sexagesimum, alia tricesimum, id est, quædam fructum attulit magnum, alia mediocrem, alia denique paruum. Porrò aliæ tres seminis partes periere. Nam semen iuxta viam satum, & volucres diripuerunt, & conculcauere viatores. Illud, quod in saxosam incidit tellurem, ortum quidem est, sed deficiente exaruit humore. Quod verò inter spinas est productum, ab eisdem est suffocatum.

6. *Christus exiit à Patre concionaturus. Exeant Prælatos ad omnes requirendũ. Beda.*

Exiit.] Profectò Patres plura ingerunt animo ex verbis Domini similitudinem narrantis documenta. *Exiit.* Beda, *De sinu Patris egrediens, venit in mundum.* Chrysostomus, *Per amictum carnis nobis appropinquauit. Eramus exclusi à Deo, & rei: exiuit ergo vt reconciliaret, & dignos factos aspectu Regio introduceret.* O quam augusta vis ad auditores alliciendos Prædicatoris approximatio, familiaris Euangelici ministri consuetudo. Prælati ediscant ex aula exire, ad agricolas festinare despectos, eorúmque indumenta imitari, vt eos possint ad Dominum adducere.

7. *Concionatori seu ministro Euangelij vnica exeundi occasio debet esse, nempe animarum vtilitas. Emissen.*

Qui seminat, seminare semen.] An non sufficeret expressisse agricolæ egressionem? *Non,* (ait Theophylactos,) *quia sæpè agricola ob aliam causam exit.* Cœlestis agricolæ vna occasio exeundi, sementi Euangelij operam nauare subtaxans Euangelij ministros, qui ad sæcularia negotia sesollicitos exerunt, cum proprium vix impleant ministerium, obliuioni tradentes monitum Apostolicum, *Ministerium tuum imple.* Eusebius Emiss. *Exierunt Angeli, & ad homines descenderunt, non vt sererent, sed in ministerium missi. Moyses etiam, & Prophetæ non inseruerunt hominibus mysteria Regni cælorum, sed ab errore retrahendo, quasi in nonalia redigebant.* Solus Christus exiit seminare.

Suum.] Titus Bostr. *Non mutuatum, vt Paulus, & Ioannes. Profert enim Dominus doctrinam ex sua natura. Vnde Iudæi, Quomodo, obiiciunt, hic literas scit, cum non didicerit?* Solus Dei Filius doctrinæ author, reliqui Euangelij ministri ab hoc mysteriorum fonte debent mutuatam accipere. Vile est, quod tuum.

8. *Ministro Euangelij à Domino mutuetur semina spargenda. Titus.*

Aliud cecidit secus viam, &c. Theophylactus, *Si conculcatum est semen in via, haud culpa aratoris. Non seminans proiecit, sed sermo diuersimodè cadit in audientes.* Cyrillus, *Inculta via sunt immundis spiritibus frequentata.* Hæ volucres comedentes. Strabus autem semen ait *a pessimis cogitationibus* absumptum.

9. *Culpa auditoris, non Concionatoris, semen deperditur. Theophyl. Cyrill. Strab.*

Et aliud cecidit super petram, &c.] Anselmus, *Vbi non est altitudo terræ, id est, studium disciplinæ.* Beda autem *durum & indomitum cor* petram exposuit. Arescit natum semen, quia caret humore. Anselmus, *Humor hic amor, & perseuerantia virtutis.* Certè perseuerantia amorem sequitur. Quam faciles, agiléque amantis actiones! quam difficilia non delinquentis obsequia!

10. *Cordis duritie inepta Euangelij sementi. Anselm. Beda. Anselm.*

Et aliud cecidit inter spinas, &c.] Quænam spinæ? Anselmus, *Corda sollicitudinibus agitata.* An culpa agricolæ semen deperiit? Minimè, potuit enim sollicitudinibus ablegatis cor ad seminis exceptionem vtilem præparari. Chrysostomus, *Non est possibile, viam non esse viam, aut petram terram fieri, aut spinas non esse spinas. In rationabilibus autem secus est; potest enim petra conuerti in terram pinguem, & via non conculcari, & dissipari spina.*

11. *In manu tua est, spinas à corde extirpare. Vnde suo piaculo perit grana. Anselm. Chrysost.*

Et aliud cecidit in terram bonam, &c.] Anselmus, *Bona terra cor mite, & docile.* Cyrillus, *Mens munda. Fecit autem semen iactum,* (ait Anselmus,) *fructum bonorum operum. Centuplum* quidem, (Beda addit,) *id est, perfectum. Denarius enim numerus perfectionem significat; quia in decem præceptis legis custodia, & quia centenarius fit multiplicatione denarij, magnam significat perfectionem.* Denarij ad perfectionem replicantur, id est, obseruatio decem mandatorum accuratè expenditur ad perfectionis augmentum, quia ex assidua, accuratáque obseruatione legis perfectionis initur ascensio.

12. *De semine fructificante ex corde miti, ac docili. Anselm. Beda.*

Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.] Græcè, ὦτα ἀκούειν, id est, *aures ad audiendum, audiat.* Captauit attentionem, Qui habet, inquit, aures, attentè similitudinem exaudiat, percipiat, scrutetur. D. Hieronymus, *Prouocamur ad dictorum intelligentiam, quoties his sermonibus commonemur: Qui habet aures, &c.* Euthymius ad Matth. cap. 1. asserit Christum de auribus intellectualibus esse locutum. *Aures dicit intelligibiles; omnes siquidem auditores habebant sensibiles. Dicit autem, Qui habet intelligibiles, ad intelligendum intelligat, quod dictum est.* Theophylactus, *Multi aures habent, sed non ad audiendum.* Ij videlicet, qui attentionem diuino verbo minimè præstant, quique perinde verbum audiunt, ac si non audirent. Audire namque verbum, est, attentè, vtiliter, obedientérque audire. Beda denique, *Aures audiendi aures sunt cordis, & sensus interiores, aures obediendi, & faciendi, quæ iussa sunt.* Plura in Panegyrico.

13. *De audiendi auribus. Hieron. Euthym. Theophyl. Beda.*

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX SIMILITVDINIS PROPOSITIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.

Agricola hic non exiuit ſeminationis prætextu ad alia negotia ſuo muneri repugnantia: ſed ad offerendum ſuum terræ granum exiuit.

Subtaxans Euangelij miniſtros, ac ſpirituales parentes, qui miniſterij ſacri prætextu ſæcularibus negotiis implicantur, & proprijs commodis ſtudent.

14. ALIQVANDO viſa mihi ſuperfluens illa particula: *Qui ſeminat exiit ſeminare,* quia ſi ſeminat, neceſſario ſeminare debuerat. At iam agnoſco neceſſariò appoſitam ad ſacrorum miniſtrorum eruditionem. Multi enim aratores ſpirituales exeunt ſeminare, ſed quidem non exeunt ſeminare ſemen verbi, aut miniſterij: Siquidem prætextu muneris ſacri vel negotijs ſæcularibus implicantur, vel proprijs commodis ſtudere videntur. *Qui ſeminat* verè Euangelij operarius *exit ſeminare ſemen ſuum,* nulli alij curæ ſtudium expendit.

15. *Agricola ſpiritualis non debet egredi, niſi ad Euãgelij miniſteriũ, quia qui Seminat appellatur, non Qui emit, &c. Theophyl.*

Aſſerit Theophylactus agricultorem non ſemper exire, vt ſeminet, quia ad vitæ ſubſidia plura alia munia ei gerenda obiiciuntur. At verbi præco, aut Euangelij operarius ſoli ſacro miniſterio debet incumbere, ad nullúmque miniſterium exire, niſi vt det operam Euangelij ſementi. *Sæpè,* (inquit,) *egredietur agricola, & propter alia; non ſolum vt ſeminet. Sed exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Preme *τὸ, Sed exiit, qui ſeminat.* Ac ſi diceret, Agricola exiit ad alia negotia, ſed qui ſeminat, id eſt, operarius Euangelicus non exiit ad alia munera gerenda: Sed ſolummodo ſeminare ſemen ſuum. Cur operarius Euangelicus appellatur, *Qui ſeminat?* Quia verè Euangelij miniſter non poteſt aptè appellari, *Qui emit, qui vendit, qui lites gerit, qui inuiſit, qui commoda requirit.* Ac ſi nihil aliud agere valeat, & gerere ſciat niſi ſementis miniſterium.

16. *Si æquum nõ eſt, prædicatorem ad*

Petrus egregius agricola Euangelicus profabatur, *Non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Act. 6. Quódnam illud menſarum miniſterium? Certè viduis, orphanis, pauperibus alimenta impendere. Quid magis pium ſacro miniſtro? Attamen Præſul ſummus curans Euangelij miniſtros ſoli ſeminationi verbi incumbere ſine ſæcularium negotiorum diſtractione: vel ab operibus miſericordiæ eos abſtrahit. Hieronymus ad cap. 2. Malach. *Sanctum eſt, & Apoſtolicum miniſterium, viduis, & pauperibus miniſtrare. Et, Non oportet, inquiunt Apoſtoli, dimiſſo verbo Dei, miniſtrare nos menſis.* Si non oportet, miniſtrare pauperibus, qui gerit verbi ſacri proferendi munus: oportebit ne miniſtrare propinquorum negotiis, commodíſve proprijs, prædicandi prætextu?

opera miſericordiæ diuerti, quid ad propria commoda, & ad negotia ſæcularia? Act. 6. Hieron.

17. *Nec diluere ſacra vnda gentiles volebat Apoſtolus, vt qui ſeminat, ſolum exiret ſeminare. 1. Cor. 1. Anſelm.*

Exaggerat Paulus, *Non me miſit Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* 1. Cor. 1. Quódnam miniſterium Apoſtolico viro magis agnatum, quam gentiles, ſeu Iudæos ſacra vnda diluere, & Chriſticolas facere? Cur ergo Apoſtolus ſeſe à diluendi miniſterio optat expedire? *Quia exiit qui ſeminat ſeminare.* Qui exit baptizare, baptizet: qui ſeminare Dei verbum, ei ſolummodo miniſterio litet operationem. Anſelmus, *Quia alij minores poſſunt baptizare, qui ſapientiam, & virtutem prædicandi non habent: adeò non baptizare miſſus eſt Paulus; ne retardaretur à prædicatione, ſed Euangelica ſemina ſpargeret.* Miſſus es prædicare? Prætextu ergo prædicationis non diluas: vt edoceatis quam abſtractum te debere à ſæcularibus eſſe commodis, dum miniſteria ſacra geris.

18. *Chriſtus agricola duodenus, nõ quærẽdus in foro, nec inter cognatos, ſed in agro, quia ſolũ prædicationis ſementi ſtudium impendit. Luc. 2. Theophyl. Antioch. Ambroſ.*

Chriſtum agricolam agricolæque Filium cœleſtis contemplamini. Inuentus Dominus à parentibus apud Templum Ieroſolymitanum ſic eis quærentibus reſpondit. *Sed quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc. 2. Particulam *Quid eſt, quod me quærebatis,* ſic vertit Theophylus Antioch. *Sed vbi me quærebatis?* Me per vicos & plateas requirere, inter cognatos veſtigare ineptum prorſus; quia vni ſementi debebam nauare ſtudium. Si me ſpirituali quæreretis in agro, haud neceſſum fuiſſet huc illuc dolentes diuagare. Iam expendo illud, *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Fatur D. Ambroſius lib. 2. *A duodecimo anno Dominica ſumitur diſputationis,* ſeu prædicationis *exordium. Hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur.* Præſignabat Chriſtus duodennis Apoſtolorum duodecim numerum, eóſque iam curat edocere ſoli miniſterio ſeminandi eis eſſe incumbendum. O parentes, ſi filius agricolæ à Patre exiui ſeminare, *vbi me quærebatis?* Neſciebatis, quod me ſolo in agro dantem operam ſementi poteratis inuenire?

Hinc

19\.

Improbi ministri Euangelij prætextu serendi verbi triticum, seminãt auri, & argenti grana, id est, proprio commodo student. Ose 2.

Hinc taxantur, qui ministerij sacri prætextu secularibus negotiis implicari satagunt, propriis cõmodis studentes. De improbis sacri verbi ministris aiebat Oseas, *Ego dedi ei frumentũ, & vinum, & oleum; & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* cap. 2. Debuerat agricola rei frumentariæ operam dare, vini & olei incrementis studere. At qui simul aurum & argentum acceperat ad victum, ne inopia laborans à ministeriis verbi distraheretur: dum seminabat verbi grana, simul terræ inferebat aurum, & argentum, vt fructus temporarij commoda colligeret. Porrò illa granorum aureorum, argenteorumque in agrum immissio non promittit spicarum vbertatem, sed Baal auaritiæ natalitium.

Blesens.

Audi perpulchram Petri Blesensis sententiam epistol. 16. *In sacris ordinibus constitutus, & sacro eloquio pollens, qui iam tenetur sonato saot deriuare foras, salemuenque seu triticum sibi à Domino creditum lucro ad Dominum reportare, omnino inexcusabilis est, si curialibus vinculis se innectit. Audite, quid de talibus dicat Dominus, Dedi eis frumentum, & aurum: ipsi verò de auro fabricauerunt Baal.* Non curauerunt frumentum serere, ac metere: sed seminando auro operam dedere, vnde loco triticeæ messis, Baal auaritiæ exortus aspicitur. *Idcirco* (addit Dominus) *conuertar, & sumam frumentum meum, & vinum meum,* &c. Ibid. Cur non & aurum argentumque repetitur? Frumentum & vinum resumitur à cœlesti agricola, aufert à prauo Euangelij prædicatore sacrum ministerium, & ei relinquitur auaritiæ seminarium in æterni supplicij offendiculum. Cadat à ministerio sacro, qui totum se secularium bonorum acquisitioni dedidit: bonis fruatur perituris afficiendus simul perditione.

20\.

Dum curas horrea in eodem metere & frumenti Euangelici, & commodi secularis fructus, horreum ipsum destruis, perdis omnia. Luc. 12. Basil.

Hinc stulti diuitis æmulatur inclamitat, *Destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia.* Luc. 12. Cur intendit prima horrea destruere? Quia dum intendit omnia congregare, hoc est triticum fructus Euangelici, ac simul temporalium curarum lucra: horreum Euangelicum quasi inutile destruatur necesse est; nihil enim percipit rei frumentariæ, qui commodis temporariis implicatur. D. Basilius homil. 6. *Destruam horream mea, & maiora faciam, ais. Vbi ista frumento adimpleueris, quid quaso amplius cogitabis. An rursus destrues, & rursus ædificabis? Quid stultius, quam laboribus nunquam finiendis se conficere, ac summo cum studio ædificare, nec minori cura eadem demoliri?* Sementi Euangelij vnum sufficit horreum, quid plura ac maiora horrea ædificare curas? An ad granorum aureorum copiam custodiendam; Profectò qui *omnia* intẽdit simul colligere, hoc est, & frumenti sacri fructus, & ex prætextu frumenti, etiam auri redditus in horrea emittere: horrea destruit: & multiplicata horreorum ædificatione, ruinam multiplicari experietur. *Et illuc congabo omnia,* tritici, & auri fructus. Omnia pereunt, dum communi horreo & spiritualis messis & temporarij lucri fructus recipiuntur: *Destruam horrea mea.*

* * *

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, &c. Et aliud cecidit supra petram, &c. Et aliud cecidit inter spinas, &c.

Verbi sacri semen diuersimodè cadit in auditorum terram. At misericordiæ grana nunquam non feliciter excidunt.

Nunquam enim perit, semper redit cum vsura, quod pauperi expenditur.

21\.

Non obest pauperis iniquitas, quominus largitori proficiat eleemosyna. Theoph.

Aiebat Theophylactus, *Non seminans proiecit, aut perdidit grana serendo: sed sermo diuersimodè cadit in auditores.* Verbi semen in via, in petra, inter spinas, auditorum culpa, proiicitur: bona in terra multiplicatur. Profectò munificæ misericordiæ grana nunquam non proficiunt, semper multiplicata exsurgunt; quia non à terræ qualitate, sed à serentis intentione aut comminuuntur, aut multiplicantur. Vnde munificæ intentionis iactus nunquam inanis redditur, sed quacunque in terra excidat eleemosyna vberrimo fructu coronatur.

22\.

Seminator metet secundum rationem misericordiæ, qua vsus est: non secundũ terræ excipientis qualitatem. Ose. 10. Saà.

Oseam præmitto, *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ.* cap. 10. Quid os misericordiæ: Emanuel Saà. *Seminate opera iustitiæ, id est pietatem, eleemosynam,* &c. *Et metetis in ore, id est, secundum os, seu secundum rationem misericordiæ, qua vsi fueritis.* Cur non dixit, Metetis secundum os, seu rationem terræ, quæ accipit semen iactum? Profectò quia siue in terram bonam immittatur eleemosyna, siue supra petram, siue in viam, siue inter spinas, hoc est, quicũque inops à te subleuetur, semper eleemosynæ fructus vberes exsurgunt iuxta seminantis pietatem: *Secundum rationem misericordiæ.*

23\.

Haud habenda bona terra ratio. Pauper est Bona terra est; quia iuxta serẽtis pietatem grana fructificãt eleemosynæ. Ambros.

Apprimè D. Ambrosius lib. de Nabuth, c. 7. *Bonorum fructus munerum in eos ipsos, qui contulerint reuertuntur: & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Esto spiritualis agricola, sere, quod tibi prosit.* Quærenda ne bona terra ad grana spargenda? *Bona satio in corde viduarum.* Deuotus enim fœmineus sexus eũ tribulationũ versatur aratro, granum misericordiæ accipit aptius, & reddit vberrimè. At iniustorum pauperum petra, via, spinæ recipiunt, & non minus abundanter reddunt seminaturi, quia iuxta pietatem agricolæ fructus exsurgunt misericordiæ. *Si terra bona tibi reddit fructus vberiores, quam acceperis: quanto magis misericordiæ satio qualibet* (siue in via siue in petricosa tellure, siue inter spinas) *reddet multiplicatiora quæ dederis?* Fructuum multiplicatio non pendet à qualitate telluris, sed à serentis pietate.

24\.

Eleemosyna ipsa terra est, in qua eleemosyna seminatur,

Fatur Apostolus, *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, & de benedictionibus & metet.* 2. Cor. 6. Pro *benedictionibus* alij legerunt, *eleemosynis.* Preme particulam: *Qui seminat in eleemosynis, de eleemosynis & metet.* Cur

Ideo terra bona semper ad fructus deferendos, independēter à paupere recipiente. 2.Cor.6.

non dixit, Qui seminat in terra eleemosynas? An eleemosynæ in eleemosynis seruntur? Profectò innuitur nullá telluris, cui spargitur misericordiæ granum rationem habendam; sed solum serentis pietas aspectanda. In quemcunque enim pauperum eleemosyna immittatur seminanti idem est, ac si sola in eleemosyna bona quidem terra seruisset. Vnde eleemosynæ bona terra recipiens eleemosynam, semper fructus vberrimos reddit largitori.

25\. *Illud ipsum serere pietatem, iā metere est fructuū vberrimorū copiam.* 2.Cor.6.

Cum granum terræ mandatur, tellus accipit, digerit, & post menses emittit in messem. At eleemosynæ triticum vix emissum obiicitur, cum metendum exponatur; vt ediscas, non pendere à telluris bona, aut praua qualitate multiplicatio seminis: sed à sola serentis pietate. Propterea inquit, *Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Si benedictio semen est eleemosynæ, quonammodo illico messis ipso in semine conspicitur? Certè quia multiplicatio grani non debetur telluris receptioni, ac digestioni: sed soli seminantis misericordiæ: Ideo non dixit, de tellure, de agro metet; sed *de benedictionibus*, seu eleemosynis; quia illud ipsum serere pietatem, iam metere, iam colligere est.

Chrysost.

Pulchram do Chrysostomi sententiam. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Semen fructuum messem vocauit, vt statim seminans, ad retributionem spectes, messisque recorderis: & discas, quod plura accipies, quam das.* Haud pendet multiplicatio ex terræ accipientis qualitate: sed ex pietate agricolæ grana immittentis.

26\. *Concludit quæ in corde terra, hoc est pauperis sinu eleemosynæ triticum non à sinu, sed ab ipso tritico expectandus fructus.* Eccli.29. Saà.

Hinc sapientissimus Salomon, *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eccli 29. τὸ *Et hæc pro te exorabit* premo. Ex eleemosyna prouentus expectantur? An non aptius ex sinu pauperis, ex corde inopis excipientis? Non asserit pauperis sinum, seu tellurem eleemosynam excipientem exoraturam commoda largitoris: sed ipsam eleemosynam; vt ostendatur grana eleemosynæ sine respectu ad pauperem excipientem, ex seminantis pietate fructus vberrimos parturire. Saà inquit, *Tu conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa eleemosyna exorabit à Deo liberationem, &c.*

27\. *Redditur eleemosyna frumentū in sinu pauperum Deo, quia illo ipso quod datur pauperi, Domino redditur independenter ab eo, cui datur.* Psal.75. Ambros. Prou.31.

Vates cecinit, *Reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius offertis munera.* Ps.75. Cuinam munera offeruntur? Pauperi in circuitu ostijstanti, vt eleemosynam accipiat. Cur ergo non dixit, reddite pauperi, sed Domino? Quia è manu largitoris immediatè videtur eleemosyna Domino potius reddi, quam inopi, vt innuatur à paupere accipiente non multiplicari velut à terra granum; sed ab ipsa manu largitoris. Ait D. Ambrosius lib. de Naboth, c.16. *Reddite Deo vestro munera. Reddite Deo in paupere, in egeno soluite, in inope fœnerate. Nam munus ipsum absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Prou.31.

28\. *Ipse Deus optima terra instar, excipis tuā eleemosynam. Quā copioso fructificatio!* Prou.31.

De forti fœmina Salomon. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Prou.31. Non memorat telluris, id est pauperis exceptionem frumenti eleemosynæ: sed solummodo manus extensionem ad actionem serendi eleemosynam exposuit. An fructu copioso manus illa donabitur? Certè illud ipsum palmas extendisse, idem est, ac cœlestia bona fuisse donatum. Vnde post manus apertionem ad largiendum præparat extensas ad recipiendum palmas. Chrysostomus hom.97. ad Popul. *Extende manus tuas non in cœlum, sed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus accipientium extendes, manu ipsum cœli verticem tetigeris. Qui enim supra sedet misericordiam suscipit.* O telluris fœcunditatem! Quisnam suscipit à tua manu misericordiam? Manus ne pauperis? Imo Dei sedentis in superis manus. Ergo independenter à terra pauperis fœcundissima Dei munificentia excipiens granum instar optimæ terræ, mirum in modum reddet multiplicatum.

Chrysost.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam. Aliud cecidit supra petram. Aliud cecidit inter spinas. Aliud cecidit in terram bonam.

Cœlestis Agricola in petram, in viam, in terram spinis redundantem, & in terram bonam beneficiorum grana immisit: bonos, & malos donis affecit.

Diuinissimo agnatum Principi, supremoque optimo Præsuli, nulli subditorum munera denegare.

29\.

DVm vides agricolam semina indifferenter omni telluris portioni offerentem, nec petricosæ terræ, nec spinis plenæ, nec iuxta viam expositæ abnegantem: Christum Principem æternum, Præsulémque summū Ecclesiæ contemplare. Beda, *Christus de sinu Patris egrediens venit in mundum serere semen suum: & dum seminat, aliud decidit secus viam, aliud supra petrā, &c.* O quam agnatum supremo Principi, summo Præsuli, munera sua cunctis subditis probis, ac improbis communia exponere! Edocentur terreni Proceres non vni concta impendere beneficia; sed subditis cunctis præparare.

Beda.

30\. *Christi Diuinitas ostenditur ex indifferenti donorū expensione.* Ioan.1.

Ait Ioannes, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia.* c.1. Vndénam Christi gloria quasi Dei Filij manifestata est? An ex miraculis? An ex virtutum exercitamento? Profectò ex eo quod plenus erat gratia, & veraciter, seu iustè omnibus tribuebat. Ideo addit Euangelista, *Et veritatis*, siue iustitiæ. Nec enim sufficeret ad diuinitatem explicādam plenum esse gratia, si non simul veritate plenus, æqualiter dona communia omnibus exhiberet. Agricolæ filius nullam terræ portionem vacuam reliquit semine, solis instar, super bonos & malos radios sparsit. Ad hæc Arnobius lib.1. cont. Gent. *Atqui Christus æqualiter bonus, malisque subuenit: nec repulsus ab hoc quisquam est. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiaque Regalis, benignitatem suam negare nulli: nec reputare, quis mereatur, aut minimè.* Pulchrè.

Arnob.

31\. *Deus ostenditur summe*

Paulus Diuinitatis diuitias memorans, ait: *Idem Deus omnium diues in omnes.* Rom. 10. Si Deus omnium est, quonámodo posset diuitias suas

uno Imperator, quia diues in omnes subditos. Rom 10. Chrysost.

suas in subditos omnes non expēdere. D. Chrysostom. ad Ps. 43. *Quia Deus est omnium, diues est in omnes, & super omnes.* Preme particulam, *super omnes.* Non seminat diues agricola solummodo in bona tellure, sed super petram, super vix hærentem terram, super spinosam; qui omnium Deus, omnium terræ portionum debuit studere culturæ, & beneficio. Addit Doctor, *Ista sunt Dei diuitia, quod donum suum in omnes effundit.*

32\. *Regia dona sunt semina, quæ in vnū coacta pereunt: dispersa multiplicantur.* Ioan. 15. Cassiod.

O si Reges terricolæ huiusmodi Deitatis proprietatem æmularentur. Se Reges omnium subditorum tunc existimēt, cum omnibus subuenire gestierint. Nec enim regnant super illū, cui non dona contulerint. *Pater meus* (Christus inquit) *agricola est.* Ioan. 15. Munus autem agricolæ exerit, dum super cunctas terræ portiones semina donorum spargit. Sic agricolæ Reges. Cassiod lib. 5. var. c. 29. pulchrè planè, *Hæc sunt Regia dona, quod semina; sparsa, in segetem coalescunt: in vnum coacta, depereunt. Optamus ergo munera multis collata diuidere, vt possint vbique nostra beneficia pullulare.* Si tua beneficia vbique non pullulant communiter sparsa, Regia dona non sunt; quia *hæc sunt Regia dona, quod semina; sparsa, in segetem coalescunt: in vnum coacta depereunt.*

33\. *Deus erat prodigi Pater, quia substantiam diuisit vtrique filio, nō vni totam dedit.*

An paterfamilias prodigum filium terrā iuxta viam (siquidem abiit in longinquam regionē) vacuam semine reliquit, & supra frugis filij bonam terram frumentum sparsit? *Diuisit* certè *illis substantiam.* Luc. 15. Hoc fuit Deitatis agricolæ, indifferenter semina spargere: illud fuit aut probitatis, aut iniquitatis terræ, aut reditus offerre, aut abnegare. Chrysol. serm. 1. *Potente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit. Tenebat Pater seruare substantiam filiis, non negare; manere eam pignoribus cupiens, nō perire.* Nec se Deum Pater exprimeret si soli vni filio substantiam impenderet. Frugi ait, Fili, *omnia mea tua sunt.* At ita omnia erant vnius filij, vt etiam alterius esse probarentur.

34\. *Moyses optimus Præsul, quia omnibus subditis sufficiens erat.* Num. 11.

Vis optimum Præsulem describam: Moyses Domino, *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* Numer. 11. Itáne summus Præsul exponitur omnem multitudinem indifferenter fouens? Quis poterit tot sufficere subditis? Fatur Dominus, *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti; & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis: faciésque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis.* Ibid. Augustin. q. 18. in Num. *De eisdem donis tuis communicabo illis.* Cur non dona eis noua contulit, sed de Moysi donis impleuit?

Theodor.

Theodor. q. 18. *Ex his verbis didicit legislator, se gratiam administrationis sufficientem accepisse, propterea dixit, Auferam de spiritu tuo.* Obiicis, ô legislator, te non posse omnes subditos donis implere: septuaginta viri Præsules efformantur, quibus vt omni multitudini possint sufficere, non dona noua impendo; sed de abundantia tua tribuo; vt te sufficientem omni populo ostendam subdito, qui & tot fuisti sufficiens Præsulibus. Haud Præsul obiiciat, omnibus non sufficio; qui enim dat Præsolatus munus, simul ad omnes subditos sufficientiam impendit.

35\. *Principes*

De iusto Præsule Dauid, *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Ps. 36. Semina spargit tota die, commodat, miseretur. An vni terræ portioni? Minimè, sed omnē tellurem replet frumento. Sunt seculares Principes, qui propinquis, aut familiaribus dona impertiunt omnia, aliorū obliti. Hosce planè cum feris, aut cum volucribus adscribam, & ab hominum cœtu exturbabo. Feræ ac volucres filios nutriunt, crudeles quidem reliquis: iustus homo, æquus Princeps omnibus nutriendis pendit studium. Ambrosius lib. 3. offic c. 3. *Hoc præstamus cæteris animantibus, quod alia genera animantium conferre aliquid omnibus nesciunt. Feræ eripiunt, homines tribuunt. Vnde Psalmista ait iustus miseretur, & tribuit. Sunt tamen quibus & feræ conferant, siquidem sobolem suam nutriunt; & aues pullos suos cibo satiant suo. Homini autem soli tributum est, vt omnes tanquam suos pascat.* Homini, inquam Regi animantium tributum est nullā telluris particulam semine vacuam derelinquere.

seculares sūt super terram propinquorum, ac familiarium, feræ quidem ac volucres, Princeps Dei æmulator seris sæpe omnes telluris portiones. Psal 36. Ambros.

36\. *Deipara Regina ideo in Rebecca figurata fuit, quia cunctis creaturis succurrit.* Richard. Laur. Gen. 24. Theodor.

Asserit Richardus Laur. Deiparam omnium Reginā creaturarum apprimè in Rebecca Isaaci vxore expressam extitisse. Quidnam ergo omnium Reginæ Mariæ cum Rebecca? Abrahami seruus, vt exploraret sponsam Isaaci à Deo præparatam, aiebat: *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, & bibam; & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Gen. 24. Adstitit Rebecca, petenti potum obtulit, & camelis exhibuit. Theodoret. q. 37. *Cúmque illa hausisset aquam, & camelis præbuisset fluentem, expectabat ille, an omnibus præberet, quantum opus erat.* Vnicus camelus sitibundus remaneret, haud esset illa à Domino Isaaco sponsa præparata. Omnibus sitientibus succurrit, non solum homini, sed & animantibus brutis fauet? O sponsa Isaaci! O Deiparæ Reginæ simulachrum! Debitricem enim se Regina Maria cunctis creaturis exposuit, omni telluris portioni sacra beneficiorum semina dispersit.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Seminare semen suum. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fructum fecit centuplum.

Licet ex seminibus tanta vis deperdita est, particula cadens in terram bonam, centuplum fructum reddidit, quia agricola non ex alieno penu, sed ex proprio tritico seminauerat.

Fructificant enim propria diuitiæ; quæ acquiruntur ex raptu, imminuuntur.

37\.

An non miraris ex granis emissis ab agricola maiorem portionem deperiisse, vnica particula fructificante? Quonammodo fructus centupli tanta copia ex exigua seminis portione exsurgit? Profectò hoc habent propria bona, dum negotiationis mittuntur in agrum: mirificè accrescunt. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Titus Bostr. *Non mutuatum.* Anonymus,

Titus. Anonym.

Non

Non raptum, sed suum. Si raptum seruisset, proculdubio periisset omnino. At quia non de alienis diuitiis, sed de propria substantia grana emisit, licet fortunæ iniquitate pars præcipua deperiit: portiuncula fructus reddidit vberrimos. Ausonius scripsit, *Rarò prædiuitem vidissi agricolam ex alieno frumento semina spargentem.*

Auson.

38. *Non florent grana ex raptu, quia nullus fructus ex rapina.* Iob.20. Damasc.

Vidisti aliquem pauperum nudatorẽ ex alienis bonis prædiuitem? Certè bona accepta rapina negotiationis in agro seminata, non florent ad fructus, sed arescunt. Iob audiendus, *Quoniã confringens nudauit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam. Nec est satiatus venter eius; & cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit. Non permansit de cibo eius, & propterea nihil remanebit de bonis eius.* c.20. D.Damasc.lib.2.Paral.c.17. Sic legit testimonium: *Multorum imbecillium domos confregit, victum autem pupillorum rapuit, & non stetit. Non est ipsi salus in bonis suis. In desiderio suo non saluabitur, non florebunt ipsius bona,* &c. Certè particula, *Non florebunt ipsius bona*, illis respondet: *Quæ concupierat, possidere non poterit.* Quid concupierat? Certè seminis sparsi incrementa videre. *At non florebunt ipsius bona*; sed instar seminis secus viam emissi, aut conculcabuntur, aut à volucribus absumentur; quia qui ex alieno seminat, nunquam colligit.

39. *Grana furtiua exsiccantur in herba, & non ante, ne pani conficiendo proficiant.* Iob.20.

Siue malis, alienas diuitias agricolam supra petram serere. Videtur illicò apparere herba virens, sed mox ex defectu humoris arescit. Sic diuitiæ alienæ pulchrè exurientes ostentantur illicò perituræ. Iob profatur. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* c.20. Græcè sic, *Stultè laborauit; diuitiæ autem, è quibus gustauit, sicut herba, quæ mandi, ac deuorari non potest.* Cur non potest deuorari? Alibi aliam reddidi causam. In præsenti autem, non potest deuorari satarum herba diuitiarum, quia instar grani supra petram, excidentes diuitiæ alienæ apparent, sed ob humoris defectum cito exarescit herba; vnde minimè mandi potest, nec vlli vtilitati apta esse exponitur. Catena Græca, *Qui putat se rapinis locupletatum iri, partis bonis ideo non potietur; quia Deus vindex, fortunarum illi possessionem eripiet.* Quonammodo ex granis fructuum accipies possessionem, si ipsa seminis grana à Domino eripiuntur in herba? Ipsa semina terræ mandantur, vt afficiantur corruptione, ne possint vllam raptoris commodis afferre vtilitatem incorrupta.

Cat. Græc. Comitoli.

40. *Semina in agro male parta, perduntur grandine.* Exod.9. Strab.

Ex sudore & bonis Hebræorum Ægyptij seruerunt, & metere expectabant. At *percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris.* Exod.9. Deperduntur messes, quæ ex rapina habuerant exordium. Strab. *Septimum præceptum, Non furaberis: septima plaga, grando in fructibus. Nemo ferit cum iniusto lucro, sine iusto damno. Qui forinsecus furatur, Dei grandinatur indicio, & ager eius deuastatur.*

41. *Dum messis propria aliquid habet alienum, deperditur omnino.* Exod.22. Raban.

Moses indicit, *Si læserit quispiam agrum, & dimiserit iumentum suum, vt depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo pro damni æstimatione restituet.* Exod. 22. Cur habens proprium agrum herba plenum, iumentum suum agro addicit alieno? Certè vt proprij agri messis accrescat, & feliciter feratur ad spicam. Profectò illud quod ex alieno penu additur agio tuo causa est, vt tota messis deperire cogatur; quia iam illud non semen tuum. Rabanus, *Hac sententia cupiditas humana constringitur. Quidquid enim in messe optimum habueris, pro damni alieni æstimatione perdes.* D. Basil. ad Psalm. 14. *Quæ ex natura fœcunda est terra, sterilis facta est & in pœnam eorum, qui ipsam ex alieno semine colunt, sterilitatis damnata est.* Sæpe alibi plura.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Exiit, qui seminat, seminare semen suum.

Exiit Dominus, siue nobis appropinquauit, non armis amictus, sed verbi sator; vt rebelles homines ad meliorem frugem adduceret.

Rebelles enim subditi non tam trahuntur armorum vi, quam beneficiorum vinculis alliciuntur.

42. Chrysost.

CHrysostomus contemplatur Dei Filium Regem hominum & Angelorum, ad terras è sinu Patris accedentem, vt rebelles homines ad suum reduceret Imperium. Cur ergo non cinctus multo milite apparet in campo? Quid cum aratro militi rebelles homines confracturo? O Regis increati sapientia! Sub agricolæ habitu appropinquat, vt verborum piorum, ac vrbanorum semina spargat, vt beneficiorum cultura tellurem emolliat, & terricolas petricosos ad cœleste reducat obsequium. Rebelles etenim qui sæpe armorum vulnere exasperantur, beneficiorum vi ad frugem meliorem adducuntur.

43. *Exiit Rex cœlestis amico, ac vrbano sermone armatus, vt rebelles homines Patri reconciliaret.* Luc.8.

Preme obsecro verbum. *Exiit*, qui seminat. Rebellis Regi deturbatur è Curia, eius autem propinquus aut amicus simul è curia egreditur, vt exuli rebelli addicatur, & eum curet amicis verbis, vrbanis sermonibus à rebellione abstrahere, vt Regi reconciliari possit. Haud aliter Dei Filius videns Absalonem rebellem à facie Regis esse exturbatum, exit è curia cœlesti, hominem quæritat, & amico sermone reducit: *Exiit, qui seminat seminare semen suum.* At *semen est verbum Dei.* Non exiit armis indutus, quia rebelles verbis vrbanis alliciuntur, armorum strepitu assolent exterreri. Pulchrè Chrysostomus apud Thom. in Cat. *Exiit autem, qui vbique est, non localiter, sed per amictum carnis nobis appropinquauit. Decenter autem aduentum proprium Christus exitum nominauit. Eramus enim exclusi à Deo. Et sicut rebelles Regi eiecti sunt, qui verò reconciliare vult eos, exeundo ad ipsos, extra cum eis loquitur, donec dignos iam factos aspectu Regio, eos introducat: Sic etiam Christus fecit.* Mihi credite Principes, amica potentiora verba, quam vis armorum ad rebellium subditorum reductionem.

Chrysost.

44. *Fortes Reges, si armis curant rebelles reducere, ipsos perdunt, & destruunt imperium.*

Verbis formidolosi pugnant, imbelles Principes sermonibus pro armis vtuntur. At fortissimi Principes rebelles subditos armis confringere curarunt. Vis ostendam apertè, Reges qui intendunt armis rebelles subiugare, inaniter dimicauisse & terram subditorum sanguine cruentasse: eosdemque armis abiectis, verbis

amicis

amicis profusis, potuisse rebelles ad mentem meliorem afferre? Hebræi olim contra Alexandrum rebellarunt, qui ira succensus ingratus curauit armorum strepitu comprimere, & ad ditionem reuocare. Quonam fructu? Egesippus lib. 1. de excid. cap. 9. *Prælio non uno, sed plurimis decertatum, quibus extincta ferè quinquaginta Iudæorum millia, quos Alexander interemit, suis, quam hostibus perniciosior: & maiore victor detrimento; quoniam Regni sui vires vincendo atriuerat. Vnde nec ipse quidem iam suis victoriis delectabatur.* Victor eudat Rex, rebelles commionat; quænam ei delectatio subditorum strage, ac simul Regni desolatione. Quidnam ergo? Conatur Alexander amicis verbis adducere subditos, quos armis amplius ablegauerat. *Auersusque à prælio, arte tractabat sibi subditos, vt iam non armis premeret, sed verbis vrgeret, ac solis sermonibus offensionum genera dissolueret.*

Egesipp.

Si amicis verbis pugnant, vincunt.

45. Quas non suscitauerat in Regno Dauidis strages rebellio Absalonis? Post tot tragœdias Absalon occumbit, & Dauid conans rebelles reliquias militum ad ditionem adducere ad Amasam legatum immittit amicum. *Et Amasæ dicito: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non Magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* 2. Reg. 19. Iustissime Regum, cur tam amicis, ac vrbanis verbis ad rebellem Principem legatum immittis, quem vinculis illigatum adduci curare debuisses capitalis supplicij reum? O fortissimi Regis astum! *Auersus à prælio*, quod tot suscitarat Regni strages, *arte tractabat sibi subditos vt iam non armis premeret, sed verbis vrgeret.* Cur autem præcipuè Amasa blando sermone allicitur. Respondet pulchrè Lyranus, *Iste inter omnes plus peccauerat contra Dauid, quia fuit Princeps exercitus Absalon, cum tamen esset nepos Dauid: & ideo ipsum specialiter nominauit.* Quia magis rebellionis reos, qui plus naturæ, & æquitatis iura violauerat, mitioribus verbis salutare iubetur; vt vrbanitatis & mansuetudinis vi adducat, quem armorum violenta amplius ablegauerant.

Rebellium Principem Amasā ingratissimum verbis blandis adducere curat Rex Dauid post bellorū incidia volutra.

2. Reg. 19.

Lyran.

46. Preme illud: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non Magister militiæ fueris coram me.* Ad rebellium adductionem valde conferunt beneficia. Regia præcedant munera, rebellis animus præstabit obsequium. Viam Dauid ipse affectabat in necem Nabalis, cui occurrens Abigail muneribus onusta, *Suscipe*, inquit, *benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi.* Porrò Dauid pepercit iniquo. 1. Reg. 25. Ad quæ D. Bonauentura in spec. *Abigail placuit Dauid verbis, & muneribus.* Edoctus ergo Rex munere iracundiam confringi, auersumque animum conuerti: & rebelli Nabali pepercit, vt ad se adduceret, & postmodum Amasam rebellem curauit beneficiorum promissione conuertere.

Si Rex addat verbis amicis munera, valdius rebelles reducet, quam exercitus potentia.

1. Reg. 25.

Bonau.

47. Esau rebellis iure sanguinis, & naturæ, à fratre Iacob fuerat abstractus, gladiatorioque animo in eum irruebat. At prudens Iacob, *Placabo illum*, ait, *muneribus.* Genes. 32. Cur non certauit armis, qui tot seruis muniebatur? Efficaciora munera ad rebellem animum confringendum. Ambrosius de Iacob, & vit. bea. cap. 10. *Certant muneribus, & obsequiis; vt indignationem omnem excluderet.* Arma muneribus cedunt, missilia missilibus.

Rebellis Esau debellatur muneribus Iacob.

Gen 32.

Ambros.

48. Quam verum illud monitum? *Ne accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Exod. 23. Hebraicè, *Munera excæcant apertos & videntes.* Caietanus, *Tanta est vis munerum, vt non solum parum aut mediocriter videntes: sed etiam perfectè videntes, quæ iuris sunt, excæcent.* Attamen si videntes, quæ iuris sunt, excæcare possunt: existimo cæcos posse luminibus donare, vt quæ iuris sunt videant, & ab iniuria facta Regi proprio recedant. Hinc pulchrè Adamus, *Munera videntes excæcant, & cæcos illuminant.* Curent Reges verbis pugnare amicis, oblatis beneficiis, ac munerum promissione dimicare: rebelles Prouinciæ manibus illigatis obuiam procedunt.

Munera excæcant ne aspiciatur ius; quid nō aperiēt oculos, vt videatur iniuria Regi facta.

Exod. 23.

Caietan.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

Granum iuxta viam, virtus in publico conculcatur; proficit in recessu, & honorabilis ostenditur.

Monentur iusti, à Curia recedere, ad occulta properare: vbi & virtus accrescit, & hominibus venerabilior obiicitur.

49. Ait D. Cyrillus *via frequentata sunt inculta*, id est semini excipiendo ineptæ. Vnde grano minimè in tellure abscondito, & conculcatur, & ab auolantibus volucribus absumitur. Quam conculcata, quam despecta virtus, quæ non operitur domus surculo, humo recessus: sed patet in viis, in plateis amat aspectari!

Cyrill.

50. Isaacus cœleste semen secus viam aliquando versatur in Curia, & à curialibus conculcatum est. Nam cum temporum iniuria Isaacus compulsus in Geraram Palestinorum metropolim, & Regis Abimelechi Curiam se recepisset, Regis edicto inhonorè egredi cogitur; quia grana, cœlestis seminis licet, secus viam, necessariò à transeuntibus conculcantur: virtus in publico ingloriè excipitur. Post exturbationem è Curia Isaacus diu apud Bersabee habitauit totus in eruderandis puteis à patre suo olim effossis intentus. Quo munere (ex Tilmanno) mentis abstractio à secularibus innuitur, & profundorum cœlestium mysteriorum vestigatio ostenditur. Igitur cum in abscondito Isaaci sanctitas elucesceret, honoratur à Regibus semen illud, è quo vitæ panis erat exoriturus. *Ad quem locum cum venisset de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol Dux militum locutus est eis Isaac, Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis à vobis?* Genes. 26. Mirum planè. *Locupletatus* (ait textus superius) *est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus*

Isaac granū cœleste iuxta Curiā viā conculcatur, in agro deserti honoratur à Regibus.

Tilm.

Gen. 26.

magnus vehementer effectus est. Ob hec inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris eius illo tempore obstruxerunt, in tantum vt ipse Abimelech diceret ad Isaac, Recede à nobis. Ibid. Si ergo Rex Abimelech è Curia Isaacum exturbauerat, quonammodo iam ad ipsum progreditur amicis verbis compellaturus? Quia iam virtus vernabat in deserto, à via semen iam erat abstractum. Ponderat D. Chrysostomus, *Vide Abimelech illum, qui abigere Isaacum conatus est, & dixit, Recede à nobis: nunc ad eum venientem; dicit enim textus, Ad eum locum cum venisset de Geraris Abimelech.* Preme particulam, *Ad eum locum.* Vide locorum differentiam; in loco Curiæ semen conculcatur, quia iuxta viam: in loco deserti honore afficitur.

Chrysost.

51. *Iacobi virtus magni habetur, quia in tabernaculis vernabat gramen, non iuxta viã.* Gen. 25.

De Iacobo fatur Moyses, *Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Gen. 25. Virtus Iacobi in abditis vigens, in agro occulto vernans minimè conculcata est, sed feliciter vberrimam venit in spicam. De rore cœli, & de pinguedine terræ eius benedictio. Esau repellitur, Iacobus honoratur vel ab inuito patre. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini: esto Dominus fratrum tuorum.* Vndénam virtus Iacobi effertur? Vndénam virtorum germina tam augustum deferuntur ad cumulum? Certè quia virtutis semen longè à via in tabernaculorum abditis morabatur. Pulchrè Chrysostomus, *Iacob quia domestica erat virtute præditus, etiam inuito patre, illius benedictionem arripuit.* Sicut enim virtus iuxta viam conculcatur, virtus in occulto admodum venerabilis obiicitur.

Chrysost.

52. *Quasi conculcata sũt cœlestium mysteriorum germina, post quã peruia obiiciuntur, & ab abscõdito agri recedunt.* Luc. 23. Leo.

Ait pulchrè Ausonius Episcop. *Post Christi mortem conculcata esse veteris paginæ mysteria.* Vndénam conculcationis iniuriæ subiacuere? Crediderim, quia secus viam sacra semina patere cogebantur. *Velum Templi scissum est medium. Et clamans voce magna* IESVS, *expirauit.* Luc. 23. Velum disrumpi idem fuit ac veteris legis augustissima mysteria vulgariter patescere. D. Leo. serm. 10 de Pass. *Velum, cuius obiectu includebatur sancta Sanctorum à summo vsque ad ima disruptum est: & sacrum illud, mysticumque secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est: vt nihil iam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis.* Ex discretionis defectu sanctitas deficit? Certè nihil sanctum æstimas, quod volgariter patet obturibus. Germina ergo sanctitatis antiquæ iam conculcantur post velaminis diruptionem, id est, postquam iuxta viam exponuntur.

53. *Deitatis grana sata in hominis terra amãt in occulto recondi, fugiuntque vias.* Gen. 1. Zeno.

Vel ipsa Deitatis grana amant longè à via telluri committi, ne margaritæ conculcentur. Cœlestis agricola in hominis terram Diuinitatis semina immisit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. Vbi D. Zeno quæstioni tradit, *Si Deus hominem ad imaginem suam fecit, quonammodo homo Dei imaginem portat? Cuius vultus passibilis, omni conuersioni subiectus, momentis omnibus demutatur, labore, ætate, languore, ira, gaudio, tristitudine: totque induat vultus, quot animi fuerint motus, nullusque prorsus diet, qui iugiter similis esse videatur. Cum hæc aliter non sint, ergo nec Dei (qui asserit, Ego sum qui sum, & non demutor) imaginem nos habemus.* Perpulchrè concludit, *Habemus planè, & quidem manifestam ex eo ipso, quod non est nobis portantibus nota. Incomprehensibilis enim Dei imago, inuisibilis sit necesse est.* An non margaritum aliquis immundus animans conculcaret, si manifestum esset? An non imago illa sine velamine minus religiosa veneratione pateret aspectui?

54. *Ioannes in deserto existimatur granũ Deificè germinans. Iacta iuxta viam veluti communis homo cõculcatur.* Ioan. 1. Origen.

Immittuntur Sacerdotes & Leuitæ ad Ioannem, *vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, & confessus est, Quia non sum ego Christus.* Ioan. 1. Christũ ex Tribu Iuda Iudæi sciebant nasciturum, constabat autem Ioannem, ex Tribu Leui fuisse exortum. Vndénam ergo addubitant, an Ioannes Christus verè existeret? Origenes, *Ioannem quærunt cum tanta veneratione, ergo Christum autem nihil huiusmodi factum legitur à Iudæis?* Quare? Iam Doctor illa particula: *Ioannem quærunt,* acutè respondit. Ioannes occultus morabatur in eremo, vnde necessum fuit quæri à Iudæis immissis, vt posset inueniri, & legatum Ierosolymitanorum Procerum exaudire. Christus non quærebatur in deserto, sed in ciuitatibus secus vias morabatur. vnde latitans in deserto agro granum Ioannis terrenum diuinum ac cœleste à Iudæis deputatur: expositum autem iuxta viam frumentum electorum communis homo habetur. O virtutis abstractio quam libera à conculcationis periculo degis! Iustus fuge plateas.

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.

In corde petricoso granum cœleste exaruit, ob humoris defectum.

Lachrymæ enim præcordia fœcundant, ad seminum cœlestium incrementa.

55. Beda. Anselm.

ASserit Beda petram, super quam seminis pars exciderat esse *durum, & indomitum cor,* quod quidem ex Anselmo *lachrymis deuotionis* emolliendum est, vt aptum reddatur grano cœlesti excipiendo, & conseruando vsque ad fructus maturitatem. O quam petricosum cor sine lachrymarum humore! quam sterilis telluris!

56. *Terra irrigua ex lachrymis idẽ est, ac fœcunditas messis.* Iudic. 1. Greg.

Axa dixit ad Caleb, *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.* Iudic. 1. Preme particulam, *Da mihi benedictionem,* id est, terram ex qua panis & vini possim benedictione donari; arens enim terra potius est maledictio. Donatur ergo benedictione, dum irriguam tellurem accepit. D. Gregorius Dial. 3. c. 34. & lib. 3. epist. 187. *Dat itaque ei pater irriguum superius cum se in lachrymis cœlestis Regni desiderio afficit. Irriguum verò inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Prius autem inferius, & mox superius datur. Sed quia compunctio amore dignitate præeminet, necesse fuit, vt prius irriguum superius, & mox inferius poneretur.* Adsit lachrymarum humor, germina feliciter proferentur ad fructuum benedictionem. Quia humore lachrymarum

marum donari terram idem est ac benedictionis fructuum possessione potiri. Vnde Axa, *Da mihi benedictionem*, id est, terram irriguam; lacrymis enim donari ad cor emolliendum, iam accipere est benedictionem fructus.

57. *Lacryma Christi nobis lapideis emollitur, ad germina salutis proferenda.* Apoc. 4. Cass.

Peccata hominum Deum ipsum lapideum hominibus adamantinumque reddiderunt. Vnde Ioanni totus apparuit ex lapide *iaspidis, & sardinis.* Apoc. 4. Simon de Cas. asseruit peccatorem seminaturum in terra humanitatis Christi salutis grana ad æternitatis messem: est enim *terra illa bona* vbi proficit granum. At si ex peccatorum nequitia Christi humanitas, instar lapidis, ostendatur, quonammodo poterit granum immitti ita, vt non exarescat? Certè si adsit lacrymarum humor.

58. *Magdalena lacrymis Christi terram petrificam irrigauit, vt semina proficerent pœnitentiæ.* Luc. 7. Chrysol.

Magdalenam testor ad Christum sibi petram durissimam accedentem salutis grana seminaturam. *Stans retrò, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Vbi Chrysologus serm. 93. *En mutatur ordo rerum, pluuiam semper terra cælum dat; ecce nunc rigat terra cælum; imo super cælos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, extinguunt gehennam. Rigant*, inquam, *cælum* vt lapis Dominicus emollescat, compunctionis nostræ grana recipiat, ad germen salutis proferendum.

59. *Lacrymæ panes sunt, quia terram emolliendo faciunt germina fructificare.* Psalm. 41.

Canit Dauid, seu potius lamentatur, *Fuerunt lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus* Psalm. 41. Quam durum peccatoris cor sine lacrymarum humore, granum illico perit cadens super terram. At lacrymis cor durum sic emollescit, ad seminis profectum, vt ipsæ lacrymæ panes iam esse videantur. Quam necessariæ lacrymæ cuilibet pœnitenti, ad lapideum cor emolliendum! Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 11. *Hunc panem lacrymarum Adam comedit in exilio, Noë in diluuio, populus in deserto, Ezechias in lecto, Dauid in adulterio, Petrus in negatione, Magdalena in corporis sui prostitutione. Quare? Vt anima emollescat, vt insequens hostis, lapidis instar, demergatur.* Id est, vt tollatur à corde delictum, quod illud lapideum reddebat iuxta illud, *Auferam ab eo cor lapideum, & dabo cor carneum.* Quilibet peccator sine lacrymarum profluuio durus existit ex perricoso crimine. Vnde necessarium est ei, lacrymas profundere ad cordis mollitudinem, vt fructus pœnitentiæ proferantur.

Abbas Cellens. *Quilibet pœnitens indiget lacrymis, ad cor emolliendum.*

60. *Plorat Dominus super lapideam Ierosolymam, vt edoceat, quenam modo fluenti salutis germina.* Luc. 19. Ambros.

Curauerat Christus agricola cœlestis Filius & verbi, & beneficiorum semina in Ierosolymæ agro iacta præualere. At aruere grana ex lacrymarum proculdubio defectu. Vnde Dominus *vidēs Ciuitatē, fleuit super illam.* Luc. 19. Cur Dominus fleuerit super aridam Ciuitatem, super lapideam vrbē? Porrò vt miseros edoceret, quonam modo cor lapideum emolliendum esset ad messis spem. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 6. *Christus Dominus super Ierusalem fleuit, vt quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret? Ipse nos flere vult vt euadere possimus.* Sine lacrymis cordis duritia laboramus, vnde vtpote indigni, salutis germina deperire coguntur, *quia non habebant humorem.*

61. *Agricola à vita exessit cum lacrymis ad petras conuertendas in terram bonam.* Matth. 27. Damasc.

Dominus è vita recessit *cum lacrymis, & clamore valido.* Mox autem post Dominicum obitum, *terra mota est, & petræ scissæ.* Matth. 27. Vndenam petræ scinduntur nisi è Domini profluuio lacrymarum, terra enim nostri cordis petricosa agricolæ gerentis tunc peccatorum personam emollescit. Damascenus, *Petra scissæ sunt, Dominico respersa luctu, tabem, sordesque idolorum excutiunt.* Vnde in bonam terram mutata salutis iam germina profert in culmum. O quam necessaria ad granum verbi sacri excipiendum vtiliter, lacrymarum deuotionis irrigatio!

OBSERVAT. VIII.

Ad illa verba:

Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

Bona, & noxia herba simul exoritur. At noxia nempè spinæ bonum semen suffocauerunt, non bonum semen noxiam herbam.

Facilius enim malorum societas inficit bonos, quam bonis contubernium malos ad virtutem adducit.

62.

Vides *simul* & granum & spinas exortas, sed spinarum iniuria triticum suffocari. Miraris, spinas exortas bono gramini exitiales existere? An non cœlestis triticeæ herbæ vis deberet spinas suffocare, & non è contrario? O contubernium impiorum! Facilius videris bonos à malis peruerti, quam malos societate conuerti bonorum.

63. *Vir iustus sedens cum impio socio peruertitur.* Psalm. 1.

Monet Psalmographus, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Ps. 1. Chaldæus, *Et in societate pestilentiæ non sedit.* Si vir iustus est, si in via peccatorum non stat, si consilio impiorum non acquiescit: sine periculo poterit in societate pestilentiæ morari. Nam ipse consilio prauorum non acquiescens, ea consilia proferet impio, vt conuertatur à sua iniquitate. Perfectus huiusmodi vir non sedeat cum improbo socio pestilenti; infici enim potest facillimè, difficillimè valebit illum ab infectione liberare. Quam verè Posidonius, *Plus enim nocent probis improbi, quam boni prosunt malis.*

Posido.

64. *Etsi iustus non acquiescat consilio impij, si cum eo vel dormiat inficietur, quia eo via pestilentiæ, vt dormientes laduntur.* Psalm. 1. Iansen. Agell.

Adhoc dubius hæresco, quonammodo iustus poterit ab iniusto peruerti socio, si eius prauis consiliis non aquiescit? *Qui non abiit in consilio impiorum?* Certè quia pestilentia communicatur sola societatis adhæsione. Fingite vos dormire iuxta aliquem pestilēti morbo correptum, haud securi quiescitis. Iansenius & Agellius illam particulam: *In cathedra pestilentiæ nō sedit,* Sic transferunt. *In cathedra pestilentiæ non dormiuit.* Beatus appellatur qui in societate pestilentiæ non coniacet. Vndenam dormiens poterit peruerti à pestilenti socio? si pestilenti morbo laborat socius, vel dormiens haud liberaberis à contagio.

65. *Monebantur dormientes meditari in lege Domini, quia dormientes quodammodo possunt à pestilente socio inficiß.* Deut. 6. Lorin.

Præcipitur Hebræis, vt in lege Domini nunquam non meditentur. *Et meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* Deut. 6. Vbi Lorinus, *Atqui commendat Deus præceptorum suorum obseruationem dormienti, & cubanti.* Cur dormienti,

ti ſoporatis animi ſenſibus piaculum minimè perpetratur? Certè quia poterit aliquando in cathedra peſtilentiæ ſedere, ſiue in ſocietate peſtilentis dormire. Tanta autem peſtilentis ſocij vis ad contagij communicationem, vt quodammodo dormientem valeat inficere. Quid ergo mirum, facilius bonum ſemen à malo ſuffocari, quam malum germen à probo reduci?

66\.

Separari nos ab impio ſocio, quaſi Redemptio eſt.

Exod 8. Chaldæ. Pſalm. 135.

Quonam modo ſocius malus nos exarnit libertate.

Cum Ægyptus plaga muſcarum vulneranda eſſet, Dominus diuiſionem appoſuit, ne Hebræi in terra Geſſem commorantes eidem calamitati ſubiacerent. *Ponamque diuiſionem inter populum meum, & populum tuum.* Exod 8. Chaldæus, *Ponam redemptionem.* Diuiſio bonorum ab improbis redemptio eſt? Dauid, *Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri: quoniam in æternum miſericordia eius. Et redemit nos ab inimicis noſtris.* Pſalm. 135. Alij *Redemiſti nos à ſocietate improborum.* An eſt captiuitas cum impiis contubernium? Ita planè. Nam quemadmodum captiuus libertate priuatur, quodammodò improbo ſocio hæreſceos ſine libertate eſt, ad reſiſtendum infectioni. O quodammodo neceſſaria ex ſocio improbo infectio? Mutaris iam facilius ſpinis herbam bonam peruerti, quam herbam bonam ſpinas reducere?

67\.

Ne cælum mutetur in terram, neceſſario ſeparantur?

Gen. 1.

Illuſtrem do argumenti confirmationem. *In principio creauit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis, & vacua.* Gen. 1. Pro *creauit* eſt Hebraicè, ברא *bara.* Oleaſter ex Hebraica radice *bara* ſic vertit *In principio diuiſit Deus cælum, & terram.* An idem eſt creari cœlum, & terram, ac diuiſam eſſe terram à cœlo, cœlum à tellure? Exiſtima idem eſſe creari cœlum, ac diuidi à terra. An non cœlum perlucidum, auguſtius, ſanctum, perfectum: terra vacua, inanis, ruſtica, immunda? Ergo vt cœlum in creationis ſuæ perfectione permaneat, neceſſarium fuit à terra ipſa creatione diuidi: quia ſi commiſtim terræ hæreſceret terræ indueret quodammodo proprietates. Vnde non creatum eſſet cœlum & terra, ſed ſolummodo terra creata exiſteret; cœlum enim & terra ſine diuiſione eadem ruſticitate, ac immunditia laborarent. An non efficacius cœlum tot luminaribus fulgens terram ad ſui alliceret æmulationem? Haud quaquam, *plus enim nocent probis improbi, quam boni proſunt malis.*

Poſſid.

68\.

Poteſt ad nocendum, dum male operatur, quilibet impius: ad conuertendũ homines, dũ bene operatur, ſolus quodammodo Chriſtus.

Pſalm. 51. Euthym.

Quam appoſitè Vates huiuſmodi malorum præſtantiam ad lædendum expreſſit! *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Pſal. 51. Ad quæ Euthymius, *ſermo eſt ad Doeg, quem oportuerat potius malitiam ſuam obtegere, quam de ea gloriari. Per malitiam autem omnem in vniuerſum prauitatem intelligit. Potentem verò eum appellauit in lædendo, malignè agendo.* Potens planè eſt in lædendo quicumque agit malignè. Vnde neceſſarium tibi à peſtilenti malignè agente ſeparari, ne inſtar boni graminis ab ſpinis ſuffoceris; quia potens malignus in malitia ad nocendum appellatur: potens autem ad reducendum in bonitate peccatorum ſpinas ille ſolummodò vocitatur, de quo Diſcipuli: *Qui fuit potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo.* Luc. 24. Potens vtique ad peccatorum ſocietate, ac contubernio, reductionem. *Coram omni populo.* Præſentia ſola Dominus peccatores adduxit? Poterat planè ſed operibus & ſermonibus adducebat.

Luc. 24.

OBSEVAT. IX.

Ad illa verba:

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

Terræ bonitas ex centuplo fructu auſpicatur.

Edoceris, eum appellandum veraciter bonum, qui non ſolum verbis ſed operibus probitatis auguſtiſsimam naturam oſtentat.

69\.

Anſelm.

AIt Anſelmus, *Terra bona faciens fructum centuplum eſt cor mite, & docile, quod tamen facit operum fructus.* An non ſufficit, vt bona terra poſſit quis appellari corde donari docili, ac miti? Minimè, bona enim terra non ex interna qualitatis vi, ſed ex fructibus eſt dignoſcenda: Quid prodeſt corde te docili donari, ſi exortæ ſpinæ te indocilem prædicant? D. Cyrillus exaggerauit, *Bona eſt terra eſt mens munda faciens fructum centuplum.* An non ſufficit munda mente præditum eſſe, vt bona terra vociteris, niſi interna bonitas vberi oſtentetur in fructu. Opera proba te internè ſanctum approbant.

Cyrill.

70\.

Ex operibus experimentum capit Ieſus, an febri mens corripiatur, nec ne.

Mar. 1. Chryſoſt.

Ægrotabat Petri Socrus, Dominus autem febrim ablegans *accedens eleuauit eam, apprehenſa manu.* Mar. 1. Cur manum apprehendit & non potius frontem? Cur Medicus cœleſtis non ex pulſu probare contendit ægrotantem fuiſſe ab ardenti febri liberatam? Chryſoſtomus reſpondet hom. 6. in Marc *Non tangit frontem, non tangit aliam corporis partem, ſed manum tangit. Propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat.* Tangit igitur manus, faciens de operibus periculum vt experimentum (non capiat ipſe, qui internam agnoſcebat cordis ſanitatem) ſed det aſpicientibus vetulæ ſanitatis ſeu myſticæ inueteratі hominis reductionis.

71\.

An ſeptem viri pleni intus eſſent Spiritu ſancto, externorum operum ex fructu Apoſtoli colligere ſatagunt.

Act. 6.

Apoſtoli profantur multitudini, *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu ſancto, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Act. 6. An Apoſtoli ab opere charitatis abſtineant, quod poſſent facile cum verbi prædicatione copulare? Minimè vero, ſed curant oſtendere, quonam modo ſpiritus probandi ſint, internaque cordis pietas exprimenda. Pleni erant ſeptem illi viri Spiritu ſancto, ſed conſtituendi fuere ſuper illud charitatis opus; vt innoteſcere interni ſpiritus plenitudo poſſet. Ipſi verò Diſcipuli ſi verbi prædicationi vacabant, ſimul orationis operi ſtudebant, quia interna cordis perfectio non famæ teſtimonio, vt in ſeptem Diaconis, nec verborum præconio, vt in Apoſtolis; ſed operum expreſſione oſtendenda eſt D. Cæſarius Dial. 3. *Chriſti Diſcipuli pietatis ſermonem capeſſere potius voluerunt. Non enim verbis tantum docendum eſt, ſed & factis. Nam bene loqui lyra, vel cymbalo ſimile eſt; vtiliter autem*

Diſcipuli oſtendebant propriã plenitudinem, non ex verbis ſolum, ſed & ex operibus.

Cæſar.

autem agere, cum Angeli natura coniunctum est. Naturæ itaque Angelicæ æmulatrix interna puritas ex operum expressione est manifestanda. Fructificatio enim fœcunda optimam telluris exprimit qualitatem.

72. *Hominum iudicio, Sanson bona terra habetur sine respectu ad fructus. At iudicio cælesti, ex fructibus operũ commendatur.* Iudic. 13. August.

Apparet Angelus Sansonis parenti. *Caue, ne bibas* (ait) *vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero; & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Porrò mulier marito narrans Angelicum nuncium, ait; Angelus mihi *respondit, Ecce concipies, & paries filium: caue, ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazaræus ab infantia sua, & ex vtero matris suæ vsque in diem mortis suæ.* Iudic. 13. Ad quæ D. Augustinus q. 52. Quod legitur dictum, *Ipse incipiet saluum facere Israel, non est à muliere memoratum.* Memorat illa Sansonem, futurum Nazaræum Deo consecratum: cur non simul gesta Nazaræi fortissimi expressit? Profectò mulier parum in spirituali peritia versata solum laudat terræ bonitatem, At Dei nuncius Cœlicola bonitatẽ telluris cum exprimit simul huiusmodi probitatis testimonium adducit ex operum fructu: *Et ipse incipiet liberare Israel.*

73. *Cornelius terra bona obiicitur ex orationum, ac eleemosynarum fructibus.* Act. 10. Chrysost.

Ad Cornelium Angelus, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Act. 10. Quid, ascendere in memoriam? An in memoria æterna erit iustus? Crediderim ascendere orationes, & eleemosynas in memoriam idem esse, ac memorandam, laudandáque iustitiã à Cornelio exhiberi. Nec enim bonitas viri efferenda ex verbis piis, sed ex operibus pietatis. Chrysost. ad Psalm. 4. *Placet Deo pura anima, & rectè factorum seu bonorum operum ostensio.* Si pura anima est Numini, quare necessaria additur rectè factorum, seu operum ostensio? Quia vel Deo iudici vix posse videtur subsistere puræ animæ, seu terræ bonitatem, si rectorum operum germina non ascendant: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt.* Id est, ex bona puræ animæ tellure pullolarunt.

74. *Plus commendabilis terra Iosephus apparet, dum dat messium fructus, quã cum, præsagiat futurã abũdantiã, & monet triticum recondendum.* Gen. 54. Sidoni. Apollin.

Post somnium Regis Pharaonis reseratum à Iosepho, ait Princeps: *Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam.* Gen. 54. Vbi quærit Sidonius Apol. lib. 6. epist. 12. An Pharao prudenter agnouisset internam Iosephi præstantiam ex præmonitione sterilitatis, & consilio circa messes colligendas? Et respondet, *Ioseph contra sterilitatem septem vberes annos insecuturam, facile verbo prouidit remedium, quod præuidit. Secundum autem moralem sententiam, maior est, qui in superueniente simili necessitate non diuinat, sed subuenit.* Ac si diceret, scio Pharaonem prudenter vestigasse, interna Iosephi merita ex indicta prouidentia. At spiritus cordis præstantia arguitur ex ipso opere pietatis exhibito. Verba possunt fallere, sed opera non possunt. Si Iosephus ex verbis sapientibus pietatem, terra bona innuitur: qui miseretur & commodat, ex operum fructibus plenus ager exponitur.

SECTIO SECVNDA.

Similitudinis Explicatio.

TEXTVS.

VERS. 9. INterrogabant autem eum Discipuli eius, quæ esset hæc parabola? 10. Quibus ipse dixit, Vobis datum est, nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. 11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. 13. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent; quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. 14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Discipulis rogantibus parabolæ expositionem.

1. *Quonam modo Discipuli ad Iesum accedebant, cum artesa fuerint morantem in cymba?* Hieron.

INTERROGABANT *autem eum Discipuli*, &c. Matthæus autem, *Accedentes Discipuli.* Hieronymus quæritat, *Quomodo accedant ad eum Discipuli, cum* IESVS *in naui sederet?* & respondet, *Nisi forte intelligi datur, quod dudum cum ipso nauem conscenderint, & ibi stantes, super interpretatione parabolæ sciscitati sunt.* Existimat ergo Doctor, Discipulos cum IESV in cymbam conscendisse ibique de parabolæ interpretatione interrogasse. Assero, post concionẽ, cum Christus solus adesset, recedẽte turba, Discipulos interrogasse. Sic Marcus, *Cum esset singularis, interrogauerunt eum duodecim parabolam.* Beda ad Lucam, *Nemo putet, fi-*

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX SIMILITVDINIS PROPOSITIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.

Agricola hic non exiuit ſeminationis prætextu ad alia negotia ſuo muneri repugnantia: ſed ad offerendum ſuum terræ granum exiuit.

Subtaxans Euangelij miniſtros, ac ſpirituales parentes, qui miniſterij ſacri prætextu ſæcularibus negotiis implicantur, & proprijs commodis ſtudent.

14. ALIQVANDO viſa mihi ſuperfluens illa particula: *Qui ſeminat exiit ſeminare,* qoia ſi ſeminat, neceſſario ſeminare debuerat. At iam agnoſco neceſſariò appoſitam ad ſacrorum miniſtrorum eruditionem. Multi enim aratores ſpirituales exeunt ſeminare, ſed quidem non exeunt ſeminare ſemen verbi, aut miniſterij: Siquidem prætextu muneris ſacri vel negotiis ſæcularibus implicantur, vel propriis commodis ſtudere videntur. *Qui ſeminat* verè Euangelij operarios *exit ſeminare ſemen ſuum,* nulli alij curæ ſtudium expendit.

15. *Agricola ſpiritualis non debet egredi, niſi ad Euāgelij miniſteriū, quia qui Seminat appellatur, non Qui emit,* &c. Theophyl.

Aſſerit Theophylactus agricultorem non ſemper exire, vt ſeminet, quia ad vitæ ſubſidia plura alia munia ei gerenda obiiciuntur. At verbi præco, aut Euangelij operarius ſoli ſacro miniſterio debet incumbere, ad nullúmque miniſterium exire, niſi vt det operam Euangelij ſementi. *Sæpè,* (inquit,) *egredietur agricola, & propter alia; non ſolum vt ſeminet. Sed exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Preme τὸ, *Sed exiit, qui ſeminat.* Ac ſi diceret, Agricola exiit ad alia negotia, ſed qui ſeminat, id eſt, operarius Euangelicus non exiit ad alia munera gerenda: Sed ſolummodo ſeminare ſemen ſuum. Cur operarius Euangelicus appellatur, *Qui ſeminat?* Quia verè Euangelij miniſter non poteſt aptè appellari, *Qui emit, qui vendit, qui lites gerit, qui innixit, qui commoda requirit.* Ac ſi nihil aliud agere valeat, & gerere ſciat niſi ſementis miniſterium.

16. *Si aquum nō eſt, prædicatorem ad opera miſericordia diuerti, quid ad propria commoda, & ad negotia ſecularia?* Act. 6. Hieron.

Petrus egregius agricola Euangelicus profabatur, *Non eſt aquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Act. 6. Quódnam illud menſarum miniſterium? Certè viduis, orphanis, pauperibus alimenta impendere. Quid magis pium ſacro miniſtro? Attamen Præſul ſummus curans Euangelij miniſtros ſoli ſeminationi verbi incumbere ſine ſæcularium negotiorum diſtractione: vel ab operibus miſericordiæ eos abſtrahit. Hieronymus ad cap. 2. Malach. *Sanctum eſt, & Apoſtolicum miniſterium, viduis, & pauperibus miniſtrare. Et, Non oportet, inquiunt Apoſtoli, dimiſſo verbo Dei, miniſtrare nos menſis.* Si non oportet, miniſtrare pauperibus; qui gerit verbi ſacri proferendi munus: oportebit ne miniſtrare propinquorum negotiis, commodiſve propriis, prædicandi prætextu?

17. *Nec diluere ſacra vnda gentiles volebat Apoſtolus, vt qui ſeminat, ſolum exiret ſeminare.* 1. Cor. 1. Anſelm.

Exaggerat Paulus, *Non me miſit Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* 1. Cor. 1. Quódnam miniſterium Apoſtolico viro magis agnatum, quam gentiles, ſeu Iudæos ſacra vnda diluere, & Chriſticolas facere? Cur ergo Apoſtolus ſeſe à diluendi miniſterio outat expedire? *Quia exiit qui ſeminat ſeminare.* Qui exit baptizare, baptizet: qui ſeminare Dei verbum, ei ſolummodo miniſterio liret operationem. Anſelmus, *Quia alij minores poſſunt baptizare, qui ſapientiam, & virtutem prædicandi non habent: adeò non baptizare miſſus eſt Paulus; ne retardaretur à prædicatione, ſed Euangelica ſemina ſpargeret.* Miſſus es prædicare? Prætextu ergo prædicationis non diluas: vt edocearis quam abſtractum te debere à ſæcularibus eſſe commodis, dum miniſteria ſacra geris.

18. *Chriſtus agricola duodennis, nō quærēdus in foro, nec inter cognatos, ſed in agro, quia ſoli prædicationis ſementi ſtudium impendit.* Luc. 2. Theophyl. Antioch. Ambroſ.

Chriſtum agricolam agricolæque Filium cœleſtis contemplamini. Inuentus Dominus à parentibus apud Templum Ieroſolymitanum ſic eis quærentibus reſpondit. *Sed quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc. 2. Particulam *Quid eſt, quod me quærebatis,* ſic vertit Theophylus Antioch. *Sed vbi me quærebatis?* Me per vicos & plateas requirere, inter cognatos veſtigare ineptum prorſus; quia vni ſementi debebam nauare ſtudium. Si me ſpirituali quæreretis in agro, haud neceſſum fuiſſet huc illuc dolentes diuagare. Iam expendo illud, *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Fatur D. Ambroſios lib. 2. *A duodecimo anno Dominica ſumitur diſputationis,* ſeu prædicationis *exordium. Hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur.* Præſignabat Chriſtus duodennis Apoſtolorum duodecim numerum, eóſque iam curat edocere ſoli miniſterio ſeminandi eis eſſe incumbendum. O parentes, ſi filius agricolæ à Patre exiui ſeminare, *vbi me quærebatis?* Neſciebatis, quod me ſolo in agro dantem operam ſementi poteratis inuenire?

Hinc

19. *Improbi ministri Euangelij praetextu serendi verbi triticum, seminădt auri, & argenti grana, id est, proprio commodo student.* Ose 2.

Hinc taxantur, qui ministerij sacri prætextu secularibus negotiis implicari satagunt, propriis cōmodis studentes. De improbis sacri verbi ministris aiebat Oseas, *Ego dedi ei frumentū, & vinum, & oleum; & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* cap.2. Debuerat agricola rei frumentariæ operam dare, vini & olei incrementis studere. At qui simul aurum & argentum acceperat ad victum, ne inopia laborans à ministeriis verbi distraheretur: dum seminabat verbi grana, simul terræ offerebat aurum, & argentum, vt fructus temporarij commoda colligeret. Porrò illa granorum aureorum, argenteorumque in agrum immissio non promittit spicarum vbertatem, sed Baal auaritiæ natalitium.

Blesens. Audi perpulchram Petri Blesensis sententiam epistol.16. *In sacris ordinibus constitutus, & sacro eloquio pollens, qui iam tenetur fontes suos deriuare foras, talentumque seu triticum sibi a Domino creditum lucro ad Dominum reportare, omnino inexcusabilis est, si curialibus vinculis se innectit. Audite, quid de talibus dicat Dominus, Dedi eis frumentum, & aurum: ipsi verò de auro fabricauerunt Baal.* Non curauerunt frumentum serere, ac metere: sed seminando auro operam dedere, vnde loco triticeæ messis, Baal auaritiæ exortus aspicitur. *Idcirco* (addit Dominus) *conuertar, & sumam frumentum meum, & vinum meum,* &c. Ibid. Cur non & aurum argentumque repetitur? Frumentum & vinum resumitur à cœlesti agricola, aufert à prauo Euangelij prædicatore sacrum ministerium, & ei relinquitur auaritiæ seminarium in æterni supplicij offendiculum. Cadat à ministerio sacro, qui totum se secularium bonorum acquisitioni dedidit: bonis fruatur perituris afficiendus simul perditione.

20. *Dum curas horrea in eodem metere & frumenti Euangelici, & commodi secularis fructus, horreum ipsum destruis, perdis omnia.* Luc 2. *Basil.*

Hinc stulti diuitis æmulator inclamitat, *Destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia.* Luc.12. Cur intendit prima horrea destruere? Quia dum intendit omnia congregare, hoc est triticum fructus Euangelici, ac simul temporalium curarum loera: horreum Euangelicum quasi inutile destruatur necesse est; nihil enim percipit rei frumentariæ, qui commodis temporariis implicatur. D. Basilius homil.6. *Destruam horream mea, & maiora faciam, ais. Vbi illa frumento adimpleueris, quid quaso amplius cogitabis. An rursus destrues, & rursus ædificabis? Quid stultius, quam laboribus nunquam finiendis se conficere, ac summo cum studio ædificare, nec minori cura eadem demoliri?* Sementi Euangelij vnum sufficit horreum, quid plura ac maiora horrea ædificare curas? An ad granorum aureorum copiam custodiendam; Profectò qui *omnia* intēdit simul colligere, hoc est, & frumenti sacri fructus, & ex prætextu frumenti, etiam auri redditus in horrea emittere: horrea destruit: & multiplicata horreorum ædificatione, ruinam multiplicati experietur. *Et illuc congabo omnia,* tritici, & auri fructus. Omnia pereunt, dum communi horreo & spiritualis messis & temporarij lucri fructus recipiuntur: *Destruam horrea mea.*

* * *

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, &c. Et aliud cecidit supra petram, &c. Et aliud cecidit inter spinas, &c.

Verbi sacri semen diuersimodè cadit in auditorum terram. At misericordiæ grana nunquam non feliciter excidunt.

Nunquam enim perit, semper redit cum vsura, quod pauperi expenditur.

21. *Non obest pauperis iniquitas, quominus largitori proficiat eleemosyna.* Theoph.

Aiebat Theophylactus, *Non seminans profecit, aut perdidit grana serendo: sed sermo diuersimodè cadit in audientes.* Verbi semen in via, in petra, inter spinas, auditorum culpa, proiicitur: bona in terra multiplicatur. Profectò munificæ misericordiæ grana nunquam non proficiunt, semper multiplicata exsurgunt; quia non à terræ qualitate, sed à serentis intentione aut comminuuntur, aut multiplicantur. Vnde munificæ intentionis iactus nunquam inanis redditur, sed quacunque in terra excidat eleemosyna vberrimo fructu coronatur.

22. *Seminator metit secundum rationem misericordiæ, qua vsus est: non secundū terræ excipientis qualitatem.* Ose 10. Saà.

Oseam præmitto, *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ.* cap.10. Quid os misericordiæ: Emanuel Saà. *Seminate opera iustitiæ, id est pietatem, eleemosynam,* &c. *Et metetis in ore, id est, secundum os, seu secundum rationem misericordia, qua vsi fueritis.* Cur non dixit, Metetis secundum os, seu rationem terræ, quæ accipit semen iactum? Profectò quia siue in terram bonam immittatur eleemosyna, siue supra petram, siue in viam, siue inter spinas, hoc est, quicúnque inops à te subleuetur, semper eleemosynæ fructus vberes exsurgunt iuxta seminantis pietatem: *Secundum rationem misericordiæ.*

23. *Haud habenda bona terra ratio. Pauper est Bona terra est; quia iuxta serentis pietatem grana fructificat eleemosyna.* Ambros.

Appositè D. Ambrosius lib. de Naburh, c.7. *Bonorum fructus munerum in eos ipsos, qui contulerint reuertuntur: & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Ecce spiritualis agricola, sere, quod tibi prosit.* Quærenda ne bona terra ad grana spargenda? *Bona satio in corde viduarum.* Deuotiùs enim fœmineus sexus cū tribulationū versatur aratro, granum misericordiæ accipit aptius, & reddit vberrimè. At iniustorum pauperum petra, via, spinæ recipiunt, & non minus abundanter reddunt seminatori, quia iuxta pietatem agricolæ fructus exsurgunt misericordiæ. *Si terra bona tibi reddit fructus vberiores, quam acceperis: quanto magis misericordiæ satio qualibet* (siue in via siue in petricosa tellure, siue inter spinas) *reddet multiplicatiora quæ dederis?* Fructuum multiplicatio non pendet à qualitate telluris, sed à serentis pietate.

24. *Eleemosyna ipsa terra est, in qua eleemosyna seminatur,*

Fatur Apostolus, *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, & de benedictionibus & metet.* 2. Cor, 6. Pro *benedictionibus* alij legerunt, *eleemosynis.* Preme particulam: *Qui seminat in eleemosynis, de eleemosynis & metet.* Cur

Ideo terra bona semper ad fructus deferendos, independenter à paupere recipiente. 2.Cor.6.

non dixit, Qui seminat in terra eleemosynas? An eleemosynæ in eleemosynis seruntur? Profectò innnitur nullâ telluris, cui spargitur misericordiæ granum rationem habendam; sed solum serentis pietas aspectanda. In quemcunque enim pauperum eleemosyna immittatur seminanti idem est, ac si sola in eleemosyna bona quidem terra seruisset. Vnde eleemosynæ bona terra recipiens eleemosynam, semper fructus vberrimos reddit largitori.

25. *Illud ipsum serere pietatem, id metere est fructus vberrimorū copiam.* 2.Cor.6.

Cum granum terræ mandatur, tellus accipit, digeritque, & post menses emittit in messem. At eleemosynæ triticum vix emissum obiicitur, eum merendum exponatur, vt ediscas, non pendere à telluris bona, aut praua qualitate multiplicatio seminis: sed à sola serentis pietate. Propterea inquit, *Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Si benedictio semen est eleemosynæ, quonammodo illico messis ipso in semine conspicitur? Certè quia multiplicatio grani non debetur telluris receptioni, ac digestioni: sed soli seminantis misericordiæ: Ideo non dixit, de tellure, de agro metet; sed *de benedictionibus*, seu eleemosynis; quia illud ipsum serere pietatem, iam metere, iam colligere est.

Chrysost.

Pulchram do Chrysostomi sententiam. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Semen fructuum messem vocauit, vt statim seminans, ad retributionem spectes, messisque recorderis: & discas, quod plura accipies, quam das.* Haud pendet multiplicatio ex terræ accipientis qualitate: sed ex pietate agricolæ grana immittentis.

26. *Concludit quis in corde terra, hoc est pauperis sinu eleemosyna triticum non à sinu, sed ab ipso tritico expectandum fructum.* Eccli.29. Saà.

Hinc sapientissimus Salomon, *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eccli 29. *Et hæc pro te exorabit* premio. Ex eleemosyna prouentus expectantur? An non aptius ex sinu pauperis, ex corde inopis excipientis? Non asserit pauperis sinum, seu tellurem eleemosynam excipientem exoraturam commoda largitoris: sed ipsam eleemosynam; vt ostendatur grana eleemosynæ sine respectu ad pauperem excipientem, ex seminantis pietate fructus vberrimos parturire. Saà inquit, *Tu conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa eleemosyna exorabit à Deo liberationem,* &c.

27. *Redditur eleemosyna frumentū in sinu pauperū Deo, quia illo ipso quod datur pauperi, Domino redditur independenter ab eo, cui datur.* Psal.75. Ambros. Prou.31.

Vates cecinit, „*Reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius offertis munera.* Ps.75. Cuinam munera offeruntur? Pauperi in circuitu ostij stanti, vt eleemosynam accipiat. Cur ergo non dixit, reddite pauperi, sed Domino? Quia è manu largitoris immediatè videtur eleemosyna Domino potius reddi, quam inopi, vt innuatur à paupere accipiente non multiplicari velut à terra granum; sed ab ipsa manu largitoris. Ait D. Ambrosius lib. de Naboth, c.16. *Reddite Deo vestro munera. Reddite Deo in paupere, in egeno soluite, in inope fœnerate. Nam munus ipsum absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Prou.31.

28. *Ipsa Dom optima terra instar, excipit tuā eleemosynam. Quā copiosa fructificatio!* Prou.31.

De forti fœmina Salomon. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Prou.31. Non memorat telluris, id est pauperis exceptionem frumenti eleemosynæ: sed solummodo manus extensionem ad actionem serendi eleemosynam exposuit. An fructu copioso manus illa donabitur? Certè illud ipsum palmas extendisse, idem est, ac cœlestia bona fuisse donatum. Vnde post manus apertionem ad largiendum præparat extensas ad recipiendum palmas. Chrysostomus hom.97. ad Popul. *Extende manus tuas non in cælum, sed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus accipientium extendes, manu ipsum cæli verticem tetigeris. Qui enim supra sedes misericordiam suscipit.* O telluris fœcunditatem! Quisnam suscipit à tua manu misericordiam? Manus ne pauperis? Imo Dei sedentis in superis manus Ergo independenter à terra pauperis fœcundissima Dei munificentia excipiens granum instar optimæ terræ, mirum in modum reddet multiplicatum.

Chrysost.

Observat. III.

Ad illa verba:

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam. Aliud cecidit supra petram. Aliud cecidit inter spinas. Aliud cecidit in terram bonam.

Cœlestis Agricola in petram, in viam, in terram spinis redundantem, & in terram bonam beneficiorum grana immisit: bonos, & malos donis affecit.

Diuinissimo agnatum Principi, supremoque optimo Præsuli, nulli subditorum munera denegare.

29.

Dvm vides agricolam semina indifferenter omni telluris portioni offerentem, nec petricosæ terræ, nec spinis plenæ, nec iuxta viam expositæ abnegantem: Christum Principem æternum, Præsulémque summū Ecclesiæ contemplare. Beda, *Christus de sinu Patris egrediens venit in mundum serere semen suum: & dum seminat, aliud deiecit secus viam, aliud supra petrā,* &c. O quam agnatum supremo Principi, summo Præsuli, munera sua cunctis subditis probis, ac improbis communia exponere! Edocentur terreni Proceres non vni cuncta impendere beneficia; sed subditis cunctis præparare.

Beda.

30. *Christi Diuinitas ostenditur ex indifferenti donorū exp ensione.* Ioan.1.

Ait Ioannes, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre plenum gratiæ.* c.1. Vndénam Christi gloria quasi Dei Filij manifestata est? An ex miraculis? An ex virtutum exercitamento? Profectò ex eo quod plenus erat gratia, & veraciter, seu iustè omnibus tribuebat. Ideo addit Euangelista, *Et veritatis*, siue iustitiæ. Nec enim sufficeret ad diuinitatem explicādam plenum esse gratia, si non simul veritate plenus, æqualiter dona communia omnibus exhiberet. Agricolæ filius nullam terræ portionem vacuam reliquit semine, solis instar, super bonos & malos radios sparsit. Ad hæc Arnobius lib.1. cont. Gent. *Atqui Christus æqualiter bonis, malisque subuenit: nec repulsus ab hoc quisquam est. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiaque Regalis, benignitatem suam negare nulli: nec reputare, quis mereatur, aut minime.* Pulchrè.

Arnob.

31. *Deus ostenditur summe*

Paulus Diuinitatis diuitias memorans, ait: *Idem Deus omnium diues in omnes.* Rom. 10. Si Deus omnium est, quonámodo posset diuitias

suas

vnus imperator, quia diues in omnes subditos. Rom. 10. Chrysost.

suas in subditos omnes non expēdere. D. Chrysostum. ad Ps. 43. *Quia Deus est omnium, diues est in omnes, & super omnes.* Preme particulam, *super omnes.* Non seminat diues agricola solummodo in bona tellure, sed super petram, super viæ hærentem terram, super spinosam; qui omnium Deus, omnium terræ portionum debuit studere culturæ, & beneficio. Addit Doctor, *Istæ sunt Dei diuitiæ, quod donum suum in omnes effundit.*

32.
Regia dona sunt semina, quæ in vnū coacta pereunt: dispersa multiplicantur. Ioan. 15. Cassiod.

O si Reges terricolæ huiusmodi Deitatis proprietatem æmularentur. Se Reges omnium subditorum tunc existimēt, cum omnibus subuenire gestierint. Nec enim regnant super illū, cui non dona contulerint. *Pater meus* (Christus inquit) *agricola est.* Ioan. 15. Munus autem agricolæ exerit, dum super cunctas terræ portiones semina donorum spargit. Sic agricolæ Reges. Cassiod lib. 3. var. c. 29. pulchrè planè, *Hæc sunt Regia dona, quod semina; sparsa, in segetem coalescunt: in vnum coacta, depereunt. Optamus ergo munera nostra collata diuidere, vt possint vbique nostra beneficia pullulare.* Si tua beneficia vbique non pullulant communiter sparsa, Regia dona non sunt; quia *hæc sunt Regia dona, quod semina; sparsa, in segetem coalescunt: in vnum coacta depereunt.*

33.
Deus erat prodigi Pater, quia substantiam diuisit vtrique filio, nō vni totam dedit.

An paterfamilias prodigum filium terrā iuxta viam (siquidem abiit in longinquam regionē) vacuam semine reliquit, & supra frugis filij bonam terram frumentum sparsit? *Diuisit certè illis substantiam.* Luc. 15. Hoc fuit Deitatis agricolæ, indifferenter semina spargere: illud fuit aut probitatis, aut iniquitatis terræ, aut reditus offerre, aut abnegare. Chrysol. serm. 1. *Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit. Tenebat Pater seruare substantiam filiis, non negare; manere eam pignoribus cupiens, nō perire.* Nec se Deum Pater exprimeret si soli vni filio substantiam impenderet. Frugi ait, Fili, *omnia mea tua sunt.* At ita omnia erant vtriut filij, vt etiam alteriut esse probarentur.

34.
Moyses optimus Præsul, quia omnibus subditis sufficiens erat. Num. 11.

Vis optimum Præsulem describam? Moyses Domino, *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum?* Numer. 11. Itāne summus Præsul exponitur omnem multitudinem indifferenter fouens? Quis poterit tot sufficere subditis? Fatur Dominus, *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti; & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis: faciésque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis.* Ibid. Augustin. q. 18. in Num. *De eisdem donis tuis communicabo illis.* Cur non dona eis noua contulit, sed de Moysi donis impleuit?

Theodor.

Theodor. q. 18. *Ex his verbis didicit legislator, se gratiam administrationis sufficientem accepisse, propterea dixit, Auferam de spiritu tuo.* Obiicit, ô legislator, te non posse omnes subditos donis implere: septuaginta viri Præsules efformantur, quibus vt omni multitudini possint sufficere, non dona noua impendo; sed de abundantia tua tribuo; vt te sufficientem omni populo ostendam subdito, qui & tot fuisti sufficiens Præsulibus. Haud Præsul obiiciat, omnibus non sufficio; qui enim dat Præsulatus munus, simul ad omnes subditos sufficientiam impendit.

35.
Principes seculares seruunt super terram propinquorum, ac familiarium, feræ quidem ac volucres, Princeps Dei æmulator feris super omnes tellure portiones. Psal. 36. Ambros.

De iusto Præsule Dauid, *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Ps. 36. Semina spargit tota die, commodat, miseretur. An vni terræ portioni? Minimè, sed omnē tellurem replet frumento. Sunt seculares Principes, qui propinquis, aut familiaribus dum impertiunt omnia, aliorū obliti. Hosce planè cum feris, aut cum volucribus adscribam, & ab hominum cœtu exturbabo. Feræ ac volucres filios nutriunt, crudeles quidem reliquis: iustus homo, æquus Princeps omnibus nutriendis pendit studium. Ambrosius lib. 3. offic c. 3. *Hoc præstamus cæteris animantibus, quod alia genera animantium conferre aliquid omnibus nesciunt. Feræ eripiunt, homines tribuunt. Vnde Psalmista ait iustus miseretur, & tribuit. Sunt tamen quibus & feræ conferant, siquidem sobolem suam nutriunt; & aues pullos suos cibo satiant suo. Homini autem soli tributum est, vt omnes tanquam suos pascat.* Homini, inquam Regi animantium tributum est nullā telluris particulam semine vacuam derelinquere.

36.
Deipara Regina idcō in Rebecca figurata fuit, quia cunctis creaturis succurrit. Richard. Laur. Gen. 24. Theodor.

Asserit Richardus Laur. Deiparam omnium Reginā creaturarum apprimè in Rebecca Isaaci vxore expressam extitisse. Quidnam ergo omnium Reginæ Mariæ cum Rebecca? Abrahami seruus, vt exploraret sponsam Isaaci à Deo præparatam, aiebat: *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, & bibam; & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Gen. 24. Adstitit Rebecca, petenti potum obtulit, & camelis exhibuit. Theodoret. q. 37. *Cúmque illa hausisset aquam, & camelis præbuisset fluentem, expectabat ille, an omnibus præberet, quantum opus erat.* Vnicus camelus sitibundus remaneret, haud esset illa à Domino Isaaco sponsa præparata. Omnibus sitientibus succurrit, non solum homini, sed & animantibus brutis fauet? O sponsa Isaaci! O Deiparæ Reginæ simulacbrum! Debitricem enim se Regina Maria cunctis creaturis exposuit, omni telluris portiunculæ sacra beneficiorum semina dispersit.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Seminare semen suum. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fructum fecit centuplum.

Licet ex seminibus tanta vis deperdita est, particula cadens in terram bonam, centuplum fructum reddidit, quia agricola non ex alieno penu, sed ex proprio tritico seminauerat.

Fructificant enim propria diuitiæ; quæ acquiruntur ex raptu, imminuuntur.

37.

An non miraris ex granis emissis ab agricola maiorem portionem deperiisse, vnica particula fructificante? Quonammodo fructus centupli tanta copia ex exigua seminis portione exsurgit? Profectò hoc habent propria bona, dum negotiationis mittuntur in agrum: mirificè accrescunt. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Titus Bostr. *Non mutuatum.* Anonymus,

Titus. Anonym.

Non

Non raptum, sed suum. Si raptom seruiſſet, proculdobio periiſſet omnino. At quia noo de alienis diuitiis, ſed de propria ſubſtantia grana emiſit, licet fortunæ iniquitate pars præcipoa deperiit: portiuncula fructus reddidit vberrimos. Auſonius ſcripſit, *Rarò prædiuitem vidiſti agricolam ex alieno frumente ſemina ſpargentem.*

Auſon.

38. *Non florent grana ex rapin, quia nullus fructus ex rapina.* Iob.20. Damaſc.

Vidiſti aliqoem pauperum nudatoré ex alienis bonis prædiuitem? Certè bona accepta rapina negotiatioois in agro ſeminata, non florent ad fructus, ſed areſcunt. Iob aodiendus, *Quoniã confringens nudauit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam. Nec eſt ſatiatus venter eius; & cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poteris. Non permanſit de cibo eius, & propterea nihil remanebit de bonis eius.* c. 20. D. Damaſc. lib. 2. Paral. c. 17. Sic legit teſtimonium: *Mulierum imbecillium domos confregit, victum autem pupillorum rapuit, & non ſtetit. Non eſt ipſi ſalus in bonis ſuis. In deſiderio ſuo non ſaluabitur, non florebunt ipſius bona,* &c. Certè particola, *Non florebunt ipſius bona*, illis reſpondet: *Quæ concupierat, poſſidere non poterit.* Quid concupierat? Certè ſeminis ſparſi incrementa videre. *At non florebunt ipſius bona*; ſed inſtar ſeminis ſecus viam emiſſi, aut conculcabuntur, aut à volucribus abſumentur; quia qui ex alieno ſeminat, nuſquam colligit.

39. *Grana furtiua exſiccantur in herba, & non ante, ut pani conficiendo proficiant.* Iob.20.

Siue malis, alienas diuitias agricolam ſupra petram ſerere. Videtur illicò apparere herba virens, ſed mox ex defecto humoris areſcit. Sic diuitiæ alienæ pulchrè exorientes oſtentantur illicò peritoræ. Iob profatur. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* c. 20. Græcè ſic, *Stultè laborauit; diuitiæ autem, è quibus guſtauit, ſicut herba, quæ mandi, ac deuorari non poteſt.* Cur non poteſt deuorari? Alibi aliam reddidi cauſam. In præſenti autem, oon poteſt deuorari ſatarum herba dioitiarum, quia inſtar grani ſupra petram, excidentes diuitiæ alienæ apparent, ſed ob humoris defectum cito exareſcit herba; vnde minimè mandi poteſt, nec vlli vtilitati apta eſſe exponitor. Catena Græca. *Qui putat ſe rapinis locupletatum iri, partis bonis ideo non potietur; quia Deus vindex, fortunarum illi poſſeſſionem eripiet.* Quonammodo ex granis froctoom accipies poſſeſſionem, ſi ipſa ſeminis grana à Domino eripiuntur in herba? Ipſa ſemina terræ mandantur, vt afficiantur corruptione, ne poſſint vllam raptoris commodis afferre vtilitatem incorrupta.

Cat. Græc. Comitoli.

40. *Semina in agro male parta, perduntur grandine.* Exod 9. Strab.

Ex ſudore & boois Hebræorum Ægyptij ſeruerunt, & metere expectabant. At *percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris.* Exod 9. Deperduntur meſſes, quæ ex rapina habuerant exordium. Strab. *Septimum præceptum, Non furaberis: ſeptima plaga, grando in fructibus. Nemo ferit cum iniuſte lucre, ſine iuſto damno. Qui forinſecus furatur, Dei grandinatur iudicio, & ager eius deuaſtatur.*

41. *Dum meſſis propria aliquid habet alienum, deperditur omnino.* Exod. 22. Raban.

Moſes indicit, *Si laſerit quiſpiam agrum, & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro ſuo pro damni æſtimatione reſtituet.* Exod. 22. Cor habeos proprium agrum herba plenum, iumentum ſuum agro addicit alieno? Certè vt proprij agri meſſis accreſcat, & feliciter feratur ad ſpicam. Profectò illud quod ex alieno penu additor agro tuo cauſa eſt, vt tota meſſis deperire cogatur; quia iam illud non ſemen tuum. Rabanus, *Hac ſententia cupiditas humana conſtringitur. Quidquid enim in meſſe optimum habueris, pro damni alieni æſtimatione perdes.* D. Baſil. ad Pſalm. 14. *Quæ ex natura fœcunda eſt terra, ſterilis facta eſt & in pœnam eorum, qui ipſam ex alieno ſemine colunt, ſterilitatis damnata eſt.* Sæpe alibi plura.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.

Exiit Dominus, ſiue nobis appropinquauit, non armis amictus, ſed verbi ſator; vt rebelles homines ad meliorem frugem adduceret.

Rebelles enim ſubditi non tam trahuntur armorum vi, quam beneficiorum vinculis alliciuntur.

42. Chryſoſt.

CHryſoſtomus contemplatur Dei Filium Regem hominum & Angelorum, ad terras è ſinu Patris accedentem, vt rebelles homines ad ſuum redoceret Imperiom. Cur ergo noo cinctus multo milite apparet in campo? Quid cum aratro militi rebelles homines confracturo? O Regis increati ſapientia! Sub agricolæ habitu appropinquat, vt verborum piorum, ac vrbanorum ſemina ſpargat, vt beneficiorum cultura tellurem emolliat, & terricolas perticoſos ad cœleſte reducat obſequium. Rebelles etenim qui ſæpe armorum vulnere exaſperantur, beoeficiorum vi ad frugem meliorem adducuntur.

43. *Exiit Rex cœleſtis amico, ac vrbano ſermone armatus, vt rebelles homines Patri reconciliaret.* Luc. 8.

Preme obſecro verbum. *Exiit*, qui ſeminat. Rebellis Regi deturbatur è Curia, eius autem propinquus aut amicus ſimul è curia egreditur, vt exuli rebelli addicatur, & cum curet amicis verbis, vrbanis ſermonibus à rebellione abſtrahere, vt Regi reconciliari poſſit. Haod aliter Dei Filius videns Abſalonem rebellem à facie Regis eſſe exturbatum, exit è curia cœleſti, hominem quæritat, & amico ſermooe reducit: *Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* At *ſemen eſt verbum Dei.* Non exiit armis iodutus, qoia rebelles verbis vrbanis alliciuntur, armorum ſtrepitu aſſolent exterreri. Pulchrè Chryſoſtomus apud Thom. in Cat. *Exiit autem, qui vbique eſt, non localiter, ſed per amictum carnis nobis appropinquauit. Decenter autem aduentum proprium Chriſtus exitum nominauit. Eramus enim excluſi à Deo. Et ſicut rebelles Regi euecti ſunt, qui verò reconciliare vult eos, exeundo ad ipſos, extra cum eis loquitur, donec dignos iam factos aſpectu Regio, eos introducat: Sic etiam Chriſtus fecit.* Mihi credite Principes, amica potentiora verba, quam vis armorum ad rebellium ſubditorum reductionem.

Chryſoſt.

44. *Fortes Reges, ſi armis curant rebelles reducere, ipſos perdunt, & deſtruunt Imperium.*

Verbis formidoloſi pugnaot, imbelles Principes ſermooibus pro armis vtuntur. At fortiſſimi Principes rebelles ſubditos armis confringere curarunt. Vis oſtendam apertè, Reges qui intendunt armis rebelles ſubiugare, inaniter dimicauiſſe & terram ſubditorom ſanguine cruentaſſe: eoſdemque armis abiectis, verbis

amicis

amicis profusis, potuisse rebelles ad mentem meliorem afferre? Hebræi olim contra Alexandrum rebellarunt, qui ira succensus ingratos curauit armorum strepitu comprimere, & ad ditionem reuocare. Quonam fructu? Egesippus lib. 1. de excid. cap. 9. *Prælio non vno, sed plurimis decertatum, quibus extincta ferè quinquaginta Iudæorum millia, quos Alexander interemit, suis, quam hostibus perniciosior: & maiore victor detrimento; quoniam Regni sui vires vincendo atriuerat. Vnde nec ipse quidem iam suis victoriis delectabatur.* Victor euadat Rex, rebelles comminuat; quænam ei delectatio subditorum strage, ac simul Regni desolatione. Quidnam ergo? Curauit Alexander amicis verbis adducere subditos, quos armis amplius ablegauerat. *Auersusque à prælio, arte tractabat sibi subditos; vt iam non armis premeret, sed verbis vrgeret, ac solis sermonibus offensionum genera dissolueret.*

Egesipp.

Si amicis verba pugnant, vincunt.

45\. Quas non suscitauerat in Regno Dauidis strages rebellio Absalonis? Post tot tragœdias Absalon occumbit, & Dauid curans rebelles reliquias militum ad ditionem adducere ad Amasam legatum immittit amicum. *Et Amasa dicito. Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non Magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* 2. Reg. 19. Iustissime Regum, cur tam amicis, ac vrbanis verbis ad rebellium Principem legatum immittis, quem vinculis illigatum adduci curare debuisses capitalis supplicij reum? O fortissimi Regis astum! *Auersus à prælio*, quod tot suscitarat Regni strages, *arte tractabat sibi subditos vt iam non armis premeret, sed verbis vrgeret.* Cur autem præcipuè Amasa blando sermone allicitur. Respondet pulchrè Lyranus, *Iste inter omnes plus peccauerat contra Dauid, quia fuit Princeps exercitus Absalon, cum tamen esset nepos Dauid: & ideo ipsum specialiter nominauit.* Quia magis rebellionis reus, quia plus naturæ, & æquitatis iura violauerat, mitioribus verbis saluere iubetur; vt vrbanitatis & mansuetudinis vis adducat, quem armorum vulnera amplius ablegauerant.

Rebellium Principem Amasam ingratissimum verbis blandis adducere curat Rex Dauid post bellorum inuitiba vulnera. 2. Reg. 19.

Lyran.

46\. Preme illud: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non Magister militiæ fueris coram me.* Ad rebellium adductionem valde conferunt beneficia. Regia præcedant munera, rebellis animus præstabit obsequium. Viam Dauid ipse affectabat in necem Nabalis, cui occurrens Abigail muneribus onusta, *Suscipe*, inquit, *benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi.* Porrò Dauid pepercit iniquo. 1. Reg. 25. Ad quæ D. Bonauentura in spec. *Abigail placuit Dauid verbis, & muneribus.* Eductus ergo Rex munere iracundiam confringi, auersumque animum conuerti: & rebelli Nabali pepercit, vt ad se adduceret, & postmodum Amasam rebellem curauit beneficiorum promissione conuertere.

Si Rex addat verbis amicis munera, valdius rebelles reducet, quam exercitus potentia. 1. Reg. 25. Bonau.

47\. Esau rebellis iuris sanguinis, & naturæ, à fratre Iacob fuerat abstractus, gladiatorioque animo in eum irruebat. At prudens Iacob, *Placabo illum*, ait, *muneribus.* Genes. 32. Cur non certauit armis, qui tot seruis muniebatur? Efficaciora munera ad rebellem animum confringendum. Ambrosius de Iacob, & vit. bea. cap. 10. *Certauit muneribus, & obsequiis; vt indignationem omnem excluderet.* Arma muneribus cedunt, missilia missilibus.

Rebellis Esau debellatur muneribus Iacob. Gen. 32. Ambros.

48\. Quam verum illud monitum: *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Exod. 23. Hebraicè, *Munera excæcant apertos & videntes.* Caietanus, *Tanta est vis munerum, vt non solum parum aut mediocriter videntes: sed etiam perfectè videntes, quæ iuris sunt, excæcent.* Attamen si videntes, quæ iuris sunt, excæcare possunt: existimo cæcos posse luminibus donare, vt quæ iuris sunt videant, & ab iniuria facta Regi proprio recedant. Hinc pulchrè Adamus, *Munera videntes excæcant, & cæcos illuminant.* Curent Reges verbis pugnare amicis, oblatis beneficiis, ac munerum promissione dimicare: rebelles Prouinciæ manibus illigatis obuiam procedunt.

Munera excæcant ne officiatur iniuria quidem aperiit oculos, vt videatur iniuria Regi facta. Exod. 23. Caietan.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.

Granum iuxta viam, virtus in publico conculcatur; proficit in recessu, & honorabilis ostenditur.

Monentur iusti, à Curia recedere, ad occulta properare? vbi & virtus accrescit, & hominibus venerabilior obiicitur.

49\. Ait D. Cyrillus *viæ frequentatæ sunt inculta*, id est semini excipiendo ineptæ. Vnde grano minimè in tellure abscondito, & conculcatur, & ab auolantibus volucribus absumitur. Quam conculcata, quam despecta virtus, quæ non operitur domus surculo, humo secessus: sed patet in viis, in plateis amat aspectari!

Cyrill.

50\. Isaacus cœleste semen secus viam aliquando versatus in Curia, & à curialibus conculcatum est. Nam cum temporum iniuria Isaacus compulsus in Geraram Palestinorum metropolim, & Regis Abimelechi Curiam se recepisset, Regis edicto inhonorè egredi cogitur; quia grana, cœlestis seminis licet, secus viam, necessariò à transeuntibus conculcantur: virtus in publico ingluuiè excipitur. Post exturbationem è Curia Isaacus diu apud Bersabee habitauit totus in eruderandis puteis à patre suo olim effossis intentus. Quo munere (ex Tilmann) mentis abstractio à secularibus innuitur, & profundorum cœlestium mysteriorum vestigatio ostenditur. Igitur cum in absondito Isaaci sanctitas elucesceret, honoratur à Regibus semen illud, è quo vitæ panis erat exoriturus. *Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol Dux militum locutus est eis Isaac, Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis à vobis?* Genes. 26. Mirum planè. *Locupletatus* (ait textus superius) *est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec* magnus

Isaac granum cœleste iuxta Curiam viam conculcatur, in agro deserto honoratur à Regibus.

Tilm.

Gen. 26.

magnus vehementer effectus est. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris eius illo tempore obstruxerunt, in tantum vt ipse Abimelech diceret ad Isaac, Recede à nobis. Ibid. Si ergo Rex Abimelech è Curia Isaacum exturbauerat, quonammodo iam ad ipsum progreditur amicis verbis compellaturus? Quia iam virtus vernabat in deserto, à via semen iam erat abstractum. Ponderat D. Chrysostomus, *Vide Abimelech illum, qui abigere Isaacum conatus est, & dixit, Recede à nobis: nunc ad eum venientem; dicit enim textus, Ad eum locum cum venisset de Geraris Abimelech.* Preme particulam, *Ad eum locum.* Vide locorum differentiam; in loco Curiæ semen conculcatur, quia iuxta viam: in loco deserti honore afficitur.

Chrysost.

51.

Iacobi virtus magni habetur, quia in tabernaculis vernabat gramen, non iuxta viã.

Gen. 25.

De Iacobo fatur Moyses, *Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Gen. 25. Virtus Iacobi in abditis vigens, in agro occulto vernans minimè conculcata est, sed feliciter vberrimam venit in spicam. De rore cœli, & de pinguedine terræ eius benedictio. Esau repellitur, Iacobus honoratur vel abinuito patre. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini: esto Dominus fratrum tuorum.* Vndénam virtus Iacobi effertur? Vndénam virtutum germina tam augustum deferuntur ad cumulum? Certè quia virtutis semen longè à via in tabernaculorum abditis morabatur. Pulchrè Chrysostomus, *Iacob quia domestica erat virtute praditus, etiam inuito patre, illius benedictionem arripuit.* Sicut enim virtus iuxta viam conculcatur, virtus in occulto admodum venerabilis obiicitur.

Chrysost.

52.

Quasi conculcata sũt cœlestium mysteriorum germina, postquã peruia obiiciuntur, & ab abscõdito egrediũtur.

Luc. 23.

Leo.

At pulchrè Ausonius Episcop. *Post Christi mortem conculcata esse veteris pagina mysteria.* Vndénam conculcationis iniuriæ subiacuere? Crediderim, quia secus viam sacra semina patere cogebantur. *Velum Templi scissum est medium. Et clamans voce magna* IESVS, *expirauit.* Luc. 23. Velum disrumpi idem fuit ac veteris legis augustissima mysteria vulgariter patescere. D. Leo. serm. 10. de Pass. *Velum, cuius obiectu includebatur sancta Sanctorum à summo vsque ad ima disruptum est: & sacrum illud, mysticumque secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est: vt nihil iam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis.* Ex discretionis defectu sanctitas deficit? Certè nihil sanctum æstimas, quod vulgariter patet obtutibus. Germina ergo sanctitatis antiquæ iam conculcantur post velaminis diruptionem, id est, postquam iuxta viam exponuntur.

53.

Deitatis grana sata in hominis terra omãs in occulte recondi, fugiuntque vias.

Gen. 1.

Zeno.

Vel ipsa Deitatis grana amant longè à via telluri committi, ne margaritæ conculcentur. Cœlestis agricola in hominis terram Diuinitatis semina immisit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. Vbi D. Zeno quæstioni tradit, *Si Deus hominem ad imaginem suam fecit, quonammodo homo Dei imaginem portat? Cuius vultus possibilis, omni conuersioni subiectus, momentis omnibus demutatur, libore, ætate, languore, ira, gaudio, tristitudine: totque induat vultus, quot animi fuerint motus, nullusque prorsus dies, qui iugiter similis esse videatur. Cum hæc aliter non sint, ergo nec Dei (qui asserit, Ego sum qui sum, & non demutor) imaginem nos habemus.* Perpulchrè concludit. *Habemus plane, & quidem manifestam ex eo ipso, quod non est nobis portantibus nota. Incomprehensibilis enim Dei imago, inuisibilis sit necesse est.* An non margaritum aliquis immundus animans conculcaret, si manifestum esset? An non imago illa sine velamine minus religiosa veneratione pateret aspectui?

54.

Ioannes in deserto existimatur granũ Deifici germinis. Iesus iuxta viam vti communis homo cõculcatur.

Ioan. 1.

Origen.

Immittuntur Sacerdotes & Leuitæ ad Ioannem, *vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, & confessus est, Quia non sum ego Christus.* Ioan. 1. Christũ ex Tribu Iuda Iudæi sciebant nasciturum, constabat autem Ioannem, ex Tribu Leui fuisse exortum. Vndénam ergo addubitant, an Ioannes Christus verè existeret? Origenes, *Ioannem quærunt cum tanta veneratione, erga Christum autem nihil huiusmodi factum legitur à Iudæis?* Quare? Iam Doctor illa particula: *Ioannem quærunt,* acutè respondit. Ioannes occultus morabatur in eremo, vnde necessum fuit quæri à Iudæis immissis, vt posset inueniri, & legatum Ierosolymitanorum Procerum exaudire. Christus non quærebatur in deserto, sed in ciuitatibus secus vias morabatur. vnde latitans in deserto agro granum Ioannis terrenum diuinum ac cœleste à Iudæis deputatur: expositum autem iuxta viam frumentum electorum communis homo habetur. O virtutis abstractio quam libera à conculcationis periculo degis! Iustus fuge plateas.

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.

In corde petricoso granum cœleste exaruit, ob humoris defectum.

Lachryma enim præcordia fœcundant, ad seminum cœlestium incrementa.

55.

Beda.

Anselm.

ASserit Beda petram, super quam seminis pars exciderat esse *durum, & indomitum cor,* quod quidem ex Anselmo *lachrymis deuotionis* emolliendum est, vt aptum reddatur grano cœlesti excipiendo, & conseruando vsque ad fructus maturitatem. O quam petricosum cor sine lachrymarum humore! quam sterilis telluris!

56.

Terra irrigua ex lachrymis idẽ est ac fœcunditas messis.

Iudic. 1.

Greg.

Axa dixit ad Caleb, *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.* Iudic. 1. Preme particulam, *Da mihi benedictionem,* id est, terram ex qua panis & vini possim benedictione donari; arens enim terra potius est maledictio. Donatur ergo benedictione, dum irriguam tellurem accepit. D. Gregorius Dial. 3. c. 34. & lib. 3. epist. 187. *Dat itaque ei pater irriguum superius cum se in lachrymis cœlestis Regni desiderio affficit. Irriguum verò inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Prius autem inferius, & mox superius datur. Sed quia compunctio amore dignitatis præeminet, necesse fuit, vt prius irriguum superius, & mox inferius poneretur.* Adsit lachrymarum humor, germina feliciter proferentur ad fructuum benedictionem. Quia humore lachrymarum

marum donari terram idem est ac benedictionis fructuum possessione potiri. Vnde Axa, *Da mihi benedictionem*, id est, terram irriguam; lacrymis enim donari ad cor emolliendum, iam accipere est benedictionem fructus.

57. *Lacryma Christi nobis lapidibus emolliens, ad germina salutis proferenda.* Apoc. 4. Cass.

Peccata hominum Deum ipsum lapideum homioibus adamantinumque reddiderunt. Vnde Ioanni totus apparuit ex lapide *iaspidis, & sardinis.* Apoc. 4. Simon de Cas. asseruit peccatorem seminarurum in terra humanitatis Christi salutis grana ad æternitatis messem: est enim *terra illa bona* vbi proficit granum. At si ex peccatorum nequitia Christi humanitas, instar lapidis, ostendatur, quonammodo poterit granum immitti ita, vt non exarescat? Certè si adsit lacrymarum humor.

58. *Magdalena lacrymis Christi terram petrinam emolliens grana, vt semina proferrent pœnitentia.* Luc. 7. Chrysol.

Magdalenam testor ad Christum sibi petram durissimam accedentem salutis grana seminaturam. *Stans retrò, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Vbi Chrysologus serm. 95. *En mutatur ordo rerum, pluuiam semper terra cælum dat; ecce nunc rigat terra cælum; imo super cælos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, extinguunt gehennam. Rigant*, inquam, *cælum* vt lapis Dominicos emollescat, compunctionis nostræ grana recipiat, ad germen salutis proferendum.

59. *Lacryma panes sunt, quia terram emolliendo fœcunde germina fructificare.* Psalm. 41.

Canit Dauid, seu potius lamentatur, *Fuerunt lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus* Psalm 41. Quam durum peccatoris cor sine lacrymarum humore, granum illico perit cadens super terram. At lacrymis cor durum sic emollescit, ad seminis profectum, vt ipsæ lacrymæ panes iam esse videantur. Quam necessariæ lacrymæ cuilibet pœnitenti, ad lapideum cor emolliendum!

Abbas Cellens. Quilibet pœnitens indiget lacrymis, ad cor emolliendum.

Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 12. *Hunc panem lacrymarum Adam comedit in exilio, Noë in diluuio, populus in deserto, Ezechias in lecto, Dauid in adulterio, Petrus in negatione, Magdalena in corporis sui prostitutione. Quare? Vt anima emollescat, vt insequens hostis, lapidis instar, demergatur.* Id est, vt tollatur à corde delictum, quod illud lapideum reddebat iuxta illud, *Auferam ab eo cor lapideum, & dabo cor carneum.* Quilibet peccator sine lacrymarum profluuio durus existit ex petricoso crimine. Vnde necessarium est ei, lacrymas profundere ad cordis mollitudinem, vt fructus pœnitentiæ proferantur.

60. *Plorat Dominus super lapideam Ierosolymam, vt edoceat, quonam modo fluens salutis germina.* Luc. 19. Ambros.

Curauerat Christus agricola cœlestis Filius & verbi, & beneficiorum semina in Ierosolymæ agro iacta præualere. At aruere grana ex lacrymarum proculdubio defectu. Vnde Dominus *videns Ciuitatem, fleuit super illam.* Luc. 19. Cur Dominus fleuerit super aridam Ciuitatem, super lapideam vrbem? Porrò vt miseros edoceret, quonam modo cor lapideum emolliendum esset ad messis spem. Ambrosius lib. 1. de Pœnit cap 6. *Christus Dominus super Ierusalem fleuit, vt quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret? Ipse nos flere vult vt euadere possimus.* Sine

61. *Agricola à vita excessit cum lacrymis ad petras emmoliendas in terram bonam.* Matth. 27. Damasc.

lacrymis cordis duritia laboramus, vnde venia indigni, salutis germina deperire cognutur, *quia non habebant humorem.*

Dominus è vita recessit *cum lacrymis, & clamore valido.* Mox autem post Dominicum obitum, *terra mota est, & petræ scissæ.* Math. 27. Vndenam petræ scinduntur nisi è Domini profluuio lacrymarum, terra enim nostri cordis petricosa agricolæ gerentis tone peccatorum personam emollescit. Damascenus, *Petra scissæ sunt, Dominico respersa luctu, tabem, sordesque idolorum excutient.* Vnde in bonam terram mutata salutis iam germina profert in culmum. O quam necessaria ad granum verbi sacri excipiendum vtiliter, lacrymarum deuotionis irrigatio!

Observat. VIII.

Ad illa verba

Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

Bona, & noxia herba simul exoritur. At noxia nempè spinæ bonum semen suffocauerunt, non bonum semen noxiam herbam.

Facilius enim malorum societas inficit bonos, quam boni contubernium malos ad virtutem adducit.

62.

Vides *simul* & granum & spinas exortas, sed spinarum iniuria triticum suffocari. Miraris, spinas exortas bono gramini exitiales existere? An non cœlestis triticeæ herbæ vis deberet spinas suffocare, & non è contrario? O contubernium impiorum! Facilius videris bonos à malis peruerti, quam malos societate conuerti bonorum.

63. *Vir iustus sedens cum impio socio peruertitur.* Psalm. 1.

Monet Psalmographus, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit.* Ps. 1. Chaldæus, *Et in societate pestilentia non sedit.* Si vir iustus est, si in via peccatorum non stat, si consilio impiorum non acquiescit: sine periculo poterit in societate pestilentiæ morari. Nam ipse consilio prauorum non acquiescens, ea consilia proferet impio, vt conuertatur à sua iniquitate. Perfectus huiusmodi vir non sedeat cum improbo socio pestilenti; infici enim potest facillimè, difficillimè valebit illum ab infectione liberare. Quam verè Posidonius, *Plus enim nocent probis improbi, quam boni prosunt malis.*

Posido.

64. *Etsi iustus non acquiescat consilio impij socij, vel dormiens inficietur quia ea via pesti. corla, vt dormientes ladat.* Psalm. 1. Iansen. Agell.

Adhuc dubius hæresco, quonammodo iustus poterit ab iniusto peruerti socio, si eius prauis consiliis non aquiescit? *Qui non abiit in consilio impiorum?* Certè quia pestilentia communicatur sola societatis adhæsione. Fingite vos dormire iuxta aliquem pestilenti morbo correptum, haud securi quiescitis. Iansenius & Agellius illam particulam: *In cathedra pestilentia nō sedit*, Sic transferunt. *In cathedra pestilentia non dormit.* Beatus appellatur qui in societate pestilentiæ non concubat. Vndenam dormiens poterit peruerti à pestilenti socio? si pestilenti morbo laborat socius, vel dormiens haud liberaberis à contagio.

65. *Monentur dormientes meditari in lege Domini, quia dormientes quod laedi possunt à pestilente consocio.* Deut. 6. Lorin.

Præcipitur Hebræis, vt in lege Domini nunquam non meditentur. *Et meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* Deut. 6. Vbi Lorinus, *Atqui commendat Deus præceptorum suorum obseruationem dormienti, & cubanti.* Cur dormienti,

autem agere, cum Angeli natura coniunctum est. Naturæ itaque Angelicæ æmulatrix interna puritas ex operum expressione est manifestanda. Fructificatio enim fœcunda optimam telluris exprimit qualitatem.

72. *Hominum iudicio, casta bona terra habetur sine respectu ad fructus. At iudicio cælesti, ex fructibus operū commendatur.* Iudic. 13. August.

Apparet Angelus Sansonis parenti. *Caue, ne bibas* (ait) *vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero; & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Porrò mulier marito narrans Angelicum nuncium, ait; Angelus mihi *respondit, Ecce concipies, & paries filium: caue, ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazaræus ab infantia sua, & ex vtero matris suæ vsque in diem mortis suæ.* Iudic. 13. Ad quæ D. Augustinus q. 52. Quod legitur dictum, *Ipse incipiet saluum facere Israel, non est à muliere memoratum.* Memorat illa Sansonem, futurum Nazaræum Deo consecratum: cur non simul gesta Nazaræi fortissimi expressit? Profectò mulier parum in spirituali peritia versata solum laudat terræ bonitatem, At Dei nuncius Cælicola bonitatē telluris cum exprimit simul huiusmodi probitatis testimonium adducit ex operum fructu: *Et ipse incipiet liberare Israel.*

73. *Cornelius terra bona obiicitur in orationum, ac eleemosynarum fructibus.* Act. 10. Chrysost.

Ad Cornelium Angelus, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei,* Act. 10. Quid, ascendere in memoriam? An in memoria æterna erit iustus? Crediderim ascendere orationes, & eleemosynas in memoriam idem esse, ac memorandam, laudandāque iustitiā à Cornelio exhiberi. Nec enim bonitas viri efferenda ex verbis piis, sed ex operibus pietatis. Chrysost. ad Psalm. 4. *Placet Deo pura anima, & rectè factorum seu bonorum operum ostensio.* Si pura anima est Numini, quare necessaria adducitur rectè factorum, seu operum ostensio? Quia vel Deo iudici vix posse videtur subsistere puræ animæ, seu terræ bonitatem, si rectorum operum germina non ascendant: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt.* Id est, ex bona puræ animæ tellure pullularunt.

74. *Plus commendabilis terra Iosephus apparuit, dum dat messium fructus, quā cum, præsignat futurā abūdantiā, & monet triticum recondendum.* Gen. 34. Sidoni. Apollin.

Post somnium Regis Pharaonis reseratum à Iosepho, ait Princeps: *Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam.* Gen. 34. Vbi quærit Sidonius Apol. lib. 6. epist. 12. An Pharao prudenter agnouisset internam Iosephi præstantiam ex præmonitione sterilitatis, & consilio circa messes colligendas? Et respondet, *Ioseph contra sterilitatem septem vberes annos insecuturam, facile verbo prouidit remedium, quod prænidit. Secundum autem moralem sententiam, maior est, qui in superueniente simili necessitate non diuinat, sed subuenit.* Ac si diceret, scio Pharaonem prudenter vestigasse, interna Iosephi merita ex indicta prouidentia. At aptius cordis præstantia arguitur ex ipso opere pietatis exhibito. Verba possunt fallere, sed opera non possunt. Si Iosephus ex verbis sapientibus pietatem, terra bona innuitur: qui miseretur & commodat, ex operum fructibus plenus ager exponitur.

SECTIO SECVNDA.

Similitudinis Explicatio.

TEXTVS.

VERS. 9. INterrogabant autem eum Discipuli eius, quæ esset hæc parabola? 10. Quibus ipse dixit, Vobis datum est, nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. 11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. 13. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent; quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. 14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Discipulis rogantibus parabolæ expositionem.

1. *Quonam modo Discipuli ad Iesum accesserint, cum ipse solus moraretur in cymba?* Hieron.

INTERROGABANT *autem eum Discipuli,* &c. Matthæus autem, *Accedentes Discipuli.* Hieronymus quæritat, *Quomodo accedant ad eum Discipuli, cum* IESVS *in naui sederet?* & respondet, *Nisi forte intelligi datur, quod dudum cum ipso nauem conscenderint, & ibi stantes, super interpretatione parabolæ sciscitati sunt.* Existimat ergo Doctor, Discipulos cum IESV in cymbam conscendisse ibique de parabolæ interpretatione interrogasse. Assero, post concionē, cum Christus solus adesset, recedēte turba, Discipulos interrogasse. Sic Marcus, *Cum esset singularis, interrogauerunt eum duodecim parabolam.* Beda ad Lucam, *Nemo putet, finita*

nita mox parabola, Discipulos hæc interrogasse;sed, vt Marcus ait, cum esset singularis.

2. *Quonam modo Discipulis datum, nosse Regni Dei mysterium?*

Vobis datum est, nosse mysterium Regni Dei.] Quonam modo Discipulis data est Regni Dei cognitio? Vobis gratis à Patre sine parabolis data est cognitio absconditi Regni Messiæ Cognoscebant enim Apostoli Dei, & Messiæ Regnum, fidemque habebant. At cæteris incredulis cognitio hæc per parabolas exhibetur, Marcus, *Illis autem, qui foris sunt in parabolis omnia fiunt.* Euthymius foris esse ait, qui extra fidem notabantur, *in verum Messiam increduli.*

Mar.4. Euthym.

3. *Quomodo videntes nō vident, &c.*

Vt videntes non videant, &c. At Mathæus, *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt.* Videntes enim Messiam oculis, animo non aspectant. Audiunt Messiam auribus non audiendi, id est interna animi submissione fidei mysteriis. Adimpletur Isaiæ vaticinium ex LXX. lectione, *Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis.* cap.6. Porrò verba Matthæi videntur verbis nostri Euangelistæ Lucæ aduersari, significat enim Matthæus, Iudæos iam tunc fuisse non videntes, & non audientes, cum Christus loquebatur. Non ergo loquebatur in parabolis, vt videntes non viderent, & audientes non audirent Respondeo, iam ante quam Christus loqueretur, Iudæos non audientes, nec videntes fuisse, vt Matthæus asserit. *Ideo loquor in parabolis, quia videntes non vident,* &c. Apud Lucam verò Christus se in parabolis loqui ait, *vt videntes non videant; & audientes non audiant;* hoc est, vt in sua permaneant cæcitate;& in eo, quod male habebant, iniquè perseuerent.

Isai.6.

4. *Difficultati fit satis.*

§. II.

De Parabolæ significatione.

5. *Semina iuxta viā, quid?*

Est autem hæc parabola.]Respōdet Dominus Discipulorum quæstioni. *Semen est verbum Dei.* Tunc semen iuxta viam cadit, cum ab auditoribus, vt innuit Matthæus, non intelligitur. Diripitur verò à volucribus cæli, hoc est à tartareis hostibus, qui hoc in aëre, instar volucrum, volitant. Amplius ex Matthæo expendam. *Omnis, qui audit verbum Regni, & non intelligit, venit malus* (hoc est. Diabolus) *& rapit, quod seminatum est in corde eius.* At is auditor verbum non intelligere dicitur, ex Caietani mente, *qui intelligit quidem, quæ dicuntur;sed non animaduertit, non meditatur, non penetrat.* Euthymius, *Hic non intelligit, qui profundo corde verbum non recipit.*

Matth.13. Caiet. Euthym.

6. *De seminibus supra petram.*

Nam qui supra petram, Terræ saxosæ similes ait auditores, qui cum gaudio diuinum audiūt verbum, sed radices profundas iacere non sinunt. Vndè quando propter verbum, & fidem se tētatio offert, & persecutio potius fidem abiiciūt, quam priuationem, & amissionem temporalium bonorum admittant. *Credunt cum gaudio* (ait Toletus) *à principio bonis per Euangelium promissis delectati; at quando propter ea bonorum sensibilium suorum amissio sustinenda est, illa postponunt vt hæc retineant.*

Tolet.

7. *Varietas lectionis.*

Particula illa *Nam,* Græcè est *Autem.* Ac si dctū esset: *Qui autem supra petram.* Apud Matthæum adiunctum est, *Propter verbum* tentamina excitati. Vt signetur, non à quacumque tentatione, aut persecutione hominem à fide remoueri;sed ab ea, quæ illata est, vt à fide recedat. Quam tentationem passi sunt Martyres cum victoria, multique alij succubuere, & ne vitam, diuitias, honores amitterent, fugerunt à nece, ex qua æterna felicitas.

8. *Quænam radices, quarum defectu perit semen?*

Rogas, quænam hæ radices, quarum defectu verbum Dei fructum non refert? Ea quæ faciunt hominem in fide suscepta permanere, quæque efficiunt, vt per fidem fructificet opera, radices appellari. Harum quidem quædam sunt in intellectu, quædam in affectu. In intellectu adsunt Spiritus sancti dona, scientia, intellectus, ac sapientia; quibus mysteria, quæ credimus, penetramus. Paulus, *Postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis in omni sapientia, & intellectu spirituali.* Colos. 1. Porrò qui sunt his radicibus destituti, facile à fide recedunt; vtpote non bene perceptis, ac apprehensis his, quæ fidei sunt. In affectu autē sunt charitas Dei, qua eum præ omnibus diligimus; & omnia mala potius subire, quam ab eo eligimus separari. De hac fortissima radice idem fatur Apostolus, *Christum habitare per fidem in cordibus vestris, radicati in charitate, & fundati.* Eph.3. Adsunt etiā virtutes reliquæ, patientia, humilitas, *&c.* quæ fidem roborant. *In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia, & longanimitate.* Col.1. Cūm fides hisce radicibus oritur, fortis est, nec facilè cedit tentationibus. Vnde Petrus, *Resistite fortes in fide* 1.epist.5.

Col.1. Ephe.3. Col. 1. 1.Pet.5.

9. *De spinis semina suffocantibus.*

Quod autem in spinas cecidit, &c. Semen terræ hæc portio suscepit, radices granum emisit, fructum tamē non retulit; quia spinæ exortę simul subtraxerunt humorem, ad fructificandum necessarium. Significantur hi, qui fideles sunt, fidem, quam susceperunt, retinentes; tamen fidei operibus, quæ per dilectionem operatur, non incumbunt; distracti aut sollicitudinibus, id est, variis secularium negotiorum studiis; aut diuitiis dediti, quæ non solum animos solicitudinibus occupant; sed & molles efficiunt, vt ea quæ spiritus sunt subire refugiant; aut demum tracti voluptatibus seculi, quæ à sanctis operibus affectum auertunt.

10. *Patrum expositiones.* Gregor. Chrysost.

Profectò Gregor. hom. 15. in Euang. hæc ad vnum refert, nempè diuitias, quæ & mentem sollicitudine replent, & sua affluentia voluntatem ad delicias trahunt. Chrysost. hom. 45. contestatur. Prætereà quod Lucas noster diuitias appellat, Matthæus fallaciam diuitiarum, Marcus diuitiarum deceptionem appellarunt. Quia vt Chrysostom. & Gregorius citati profantur, diuitiæ potius apparent, quam sunt, sicque decipiunt animos hominum hisce inhærentium, ac si perfecta bona existerent.

11. *Sollicitudo temporaliū nocet hæreditati.* Basil.

O quantum nocet Dominicæ hæreditati tēporalium rerum sollicitudo! D. Basil. hom. ad Ps.45. explicans illud: *Vacate, & videte,* &c. profatur, *Quatenus his rebus vacamus, quæ aliena sunt à Deo, Dei notitiā recipere non valemus. Quis enim eorū, quæ mūdi sunt, sollicitus, seque immergens multimodæ distractioni carnis, attēdere possit verbū Dei, satisvè facere tot, tantarumque contemplationū exactæ comprehensioni? Nonne vides, quod in spinas delapsum verbū a spinis suffocatur? spinæ namque carnis voluptates, & diuitiæ, & curæ sunt huius seculi. Extra hæc omnia constitutum esse opus fit eum, qui cognitionem Dei desiderat: debetque ab omnibus perturbationibus, atque affectibus vacare vitiosis: sic demum Dei scientiam apprehendere.*

12. *De bona terra fructu.*

Quod autem in bonam terram, &c.] Bona

equidem

equidem hæc terra dicitur, non quod alterius substantiæ esset à primis; sed quod impedimentis careret, scilicet viæ vicinitate, petris, spinis. Per hanc significantur homines illi, qui bono corde verbum audiunt; ipsi enim credentes auditum verbum retinent, & fructificant, patienter sustinendo labores, ac tentamina, cæteraque, quæ bene agentes patiuntur. De qua patientia Paulus, *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Hebr. 10.

13. *De corde bono, & optimo.*

Qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent.] D. Bonauentura totam sententiam ad eandem refert personam, vt vnus & idem dicatur bonum, & optimum cor habere: bonum quoad partem intellectiuam, optimum quoad affectiuam; vt in intellectu veritas, & in affectu sit rectitudo. Aptius existimo cum Toleto & aliis, ad diuersas personas hæc duo referri; vt alij bono corde, alij optimo præditi esse dicantur. Vt enim superius expressum, quædam pars terræ bonæ trigesimum, quædam sexagesimum, quædam centesimum fructum attulit. Quas terræ partes Lucas significauit dicens, quosdam esse bono, quosdam optimo corde: priori verbo indicans eos, qui fructum trigesimum & sexagesimum posteriori eos, qui centesimum fructum afferunt. Incipientes & proficientes in spiritu, bono sunt corde, perfecti autem optimo. Audi Toletum. *Per bonum cor significatur studium veritatis intelligẽdæ, & rectitudinis, seu sanctitatis assequendæ, quale est in incipientibus, & proficientibus; per optimum verò, qui totis viribus, ac conatu perfectioni incumbunt. Tam hi, quam illi verbum auditum semel susceptum retinent, & fructum referunt in patientia, licet non æqualibus passibus; vnde fit, vt non sit æqualis & fructus.*

Tolet.

14. *De qua patientia sermo?*

Et fructum afferunt in patientia.] Patientia in hoc loco, quæ Græcè ὑπομονή dicitur, ea est, quæ in laboribus, tentationibus, ac afflictionibus sustinendis versatur. Per multas enim tribulationes in Dei Regnũ oportet intrare. *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem,* Rom. 5. *Patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini.* Iacob. 5.

Rom. 5. Iacob. 5.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX SIMILITVDINIS EXPLICATIONE.

Observ. I.

Ad illa verba:

Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum.

Potentissimum ad salutem hominum vel vnici verbi sacri granum.

Ad iustorum profectum, & ad peccatorum correctionem sacrum verbum est potentissimum, in Prædicationis commendationem.

15.

QVæ video diabolum pernicissimum, volucris instar, in grana immissa deferri, vt absumat; verbi Dei efficaciam agnosco. Expetit dæmon, ne vel vnico instanti Dei verbum in hominum præcordiis commoretur; granulum enim vnici verbi sacri exiguo temporis interstitio hominis præcordia tangens tam efficax est, vt valeat hominem ad supremum sanctitatis cumulum eleuare omnino à mundialibus abstractum.

16. *Vnico ex verbo sacro totam quodammodo Dei dulcedinem degustamus.*

Monebat Dauid; *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Ps. 33. Cur non dixit, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini, charissimi?* Cant. 5. Sed solum *Gustate.* An poterit videri, seu agnosci tota Dei suauitas prima gustus voluptate? Certè gustus ille ex verbi sacri granulo percipitur, capitur ex stilla; quæ quidem ad eum perfectionis verticem potest hominem adducere, vt percipiat quodammodo totam Dei suauitatem. Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. c. 3. *Quemadmodum qui gustu præcipuam mellis quantitatem probant, ex minima, quam gustauerunt, particula totum cognouerunt; sic qui vel parum Saluatoris verba intellexerunt, bonum esse ipsum cognoscent, & cognoscentes admirabuntur.*

Psalm 33. Cant. 5. Cyrill.

17. *Quasi totũ Deum capis ex vnius verbi sacri auditione.*

Fatur sponsa, *sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 5. Christi vmbra Prophetarum præconia, scripturæ verba. Vmbrarum ergo vna mihi obiecta est, vnum verbum audiui, & totius fructus percepi dulcedinem. Theodoretus, *In verbo eius, quod vmbra eius, concupiui, & sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo, Etenim sub verbi vmbra sedens, fructum decerpo, & comprehendo.* O verbi vis, ô granuli efficacia, quæ totum Deitatis frumentum vsque ad comprehensionem quodammodo gustui spirituali exponit!

Cant. 2.

18. *Vnicum sacrum verbum peccatorũ cedros comminuit.*

Miraris vim in granulo occultam ad animũ alliciendum? Certè vnica Dei vox sufficiens ad animos hominum rebelles confringendos, Propheta canente: *Vox Domini confringentis cedros.* Psalm. 28. An voce vnica cedri exterrentur, peccatores conteruntur? August. epist. 64. *Si quid minamur cũ dolore fiat, de scripturis cõminãdo vindictam futurã, ne nos ipsi in nostra potestate, sed*

Psalm 28. August.

Deus in nostro sermone timeatur. Ita primo verbo mouebuntur spirituales, vel spiritualibus proximi, quorũ authoritate catera multitudo frangatur. Vnicone verbo tam magnus tribuendus effectus? Clamitat Ionas, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* cap. 3. O verbi vnius efficacia! *Et crediderunt viri Niniuita in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis a maiori vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se,* &c. Ibid. Sic verbum vnicum innumerabile peccatorum vulgus ad contritionem adducit: *Et confringet Dominus omnes cedros Libani.*

Vnico verbo Iona tota Niniue subuertitur id est, conuertitur. Ion. 3.

19\. Prædixit Isaias de Christo, *Iudicabit gentes, & arguet populos multos. Conflabunt gladios in vomeres, & lanceas suas in falces.* cap. 2. Verbi vnici Christi efficacia intuitur. Cum iudicaturus aduenit vnico verbo peccatores deturbabit in tartarum: & vnico verbo iustos adsumet in superos: *Discedite maledicti, venite benedicti.* More ergo iudicaturi, arguet populos multos enthymematis breuitate. At illi verbi vnius efficacia affecti gladios suos conflabunt in vomeres, ad cordis terram post iactum granuli proscindendã in fructium vsum, id est, in fructuum vbertatem. Petrus Dam. lib. 6. epist. 106. *Congruus ordo, dum primum quidem peccator arguitur, deinde & gladij in vomeres, & lancea conflantur in falces. Nam dum impatiens quisquam per disciplinam mitior factus, tanquam planus ager suaui grano prædicationis aspergitur: gladij huic facti sunt vomeres, & lancea conuertuntur in falces. Quia vomerem sacra doctrina libenter sustinet, vt fructum ferat, & falcem superna messionis expectat; vt horrei cælestis promptuarium repleat.*

Vnico verbo Domini peccatores recipientes granum, conuertunt gladios in vomeres, ad operãdum; lanceas in falces, ad metendum fructuum vbertatem. Dami.

20\. An non scintilla assolet totam syluam incendere? Vnicum verbum sacrum scintilla est. Christus illud protulit verbum: *O stulti, & tardi corde ad credendum!* At Discipuli accensi proclamant, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?* Luc. 24. Gregorius hom. 30. in Euang. *Ex audito verbo, inardescit animus. Audire ei libet præcepta cælestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur.*

Verbũ vnicum sacrum fax ad animos succendendos. Luc. 24. Gregor.

21\. Rubi, quæso, ignem contemplere *Et vidit, quod rubus arderet.* Exod. 3. Quinam ignis ille arborem exornans, non absumens? Ambrosius asserit esse Dei verbum illud, *Qui est misit me ad vos*, quod quidem Hebræos mundauit, flagellauit Pharaonem, fidelium præcordia succendit. O verbi vnius efficaciam! *Iam vos* (inquit Dominus) *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ioan. 15. *Mundat ergo* (Doctor ait) *hic ignis verbi, omnium consumit errorem. Hoc igne vrebatur rubus. Vrit enim sermo diuinus vt corrigat conscientiam peccatoris.* Plura alibi.

Vnicum Dei verbum Hebræis omnibus ignis mundandis. Exod. 3. Ioan. 15. Ambr.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.

Magna sollicitudine curat diabolus, volucris præpetis in morem, arripere verbi sacri granum à fidelium præcordiis.

Quid mirum, si verbum sacrum inferni est euacuatio ob peccatorum conuersionem.

22\. IAm requiro, cur diabolus tanta sollicitudine procuret à corde fidelium verbi sacri grana diripere, priusquam vomeris reperiio ministerio operiantur? Certè quia verbum sacrum tartari euacuatio est, dum peccatores tam validè adducit ad pœnitentiam.

23\. Mirum sanè quod in omni terra Israel aliquando faber ferrarius nullus inueniretur. *Porrò* (Textus ait) *faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* 1. Reg. 13. Gregorius, Beda, Hugo Cardin. & Dionysius Carth. asserunt in Philisthæis Israelitis vsum armorum prohibentibus significari diabolum armis spiritualibus animas fidelium spoliantem. At quidnam spiritualium armorum nomine intelligendum? Profectò verbum Dei ad prædicationem, peccatorumque correptionem necessarium. D. Petrus Dami. lib. 6. epist. 18. *Spiritualis quisque conuentus si fraterni zeli frequẽti correptione non vtitur, Israelitica plebis mystica laborat inopia; qua videlicet, incipiente Saul Regis imperio fabrum ferrarium non habebat. Philisthæi de terra Israel fabros ferrarios tollunt, cum maligni spiritus falsa pietatis obtentu zelum correptionis de prædicatorum labiis auferunt.* Si spiritualis Conuentus cuiusque satagit diabolus semen verbi è labiis prædicatorum abripere antequam excidat in tellurem, quid non præpetis volucris in morem studebit prohibere, ne ad peccatorum terram sterilem correptionis semen immittatur. Preme illud *De prædicatorum labiis auferunt.* Cur de labiis, & non potius de terra? Quia agnoscit diabolus verbi sacri virtutem, & veretur, ne excidens in cor licet petricosum, fructus afferat mox salutares. Vnde curat à labiis auferre, ne in terram granum emittatur.

Diabolus Philisthæorũ astu, curat fabros ferrarios, id est, prædicatores corripientes crimina, à Dei populo ablegare. 1 Reg. 13. Dami.

A labiis prædicatorũ diabolus expetit verbum abripere, prius quã cadat.

24\. Vis efficaciam verbi sacri expendam? Haud à fabri ferrarij metaphora abscedam. Reddens rationem Cardinalis, cur diabolus correptionis, seu prædicationis verbum tantopere exterminandum curet: adiicit, *Sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat: ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit; & quasi cudendo rigida mentis duritiem frangit.* Vnde diabolus, qui maximè nititur, ne vitiorum metalla conterantur, diligenter curat, vt prædicationis feruidæ corripientis malleus exterminetur.

Efficacia verbi sacri ut malleus. Dam.

25\. An non necessum, vt tota diuinæ legis obseruantia

Excidit obseruantia legis, silente prædicatione fermentis verbo. Dam.

uaoria destruatur, si desit verbum corripientis Concionatoris? Damianus citatus, *si de sacro conuentu correptionis censura subtrahitur, disciplinæ vigor funditus eneruatur, & Religio tota destruitur. Quia dum vnusquisque propria sequitur voluntatis arbitrium, ad secularia rediens, spiritualis obseruantiæ violat institutum.* Si ex defectu corripientis verbi tota Religio cadit: facilius ex eiusdem defectu Christiani instituti excidet obseruatio. Vnde non mirum diabolum satagere, vt sacra vox corripiens feruidis è labiis Concionatoris abripiatur ad hominum exitium.

26. *Timet diabolus arma prædicationis.* 1. Reg. 13. Damia.

Expende rationem, qua affecti Philisthæi fabros ferrarios exturbarint. *Ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* 1. Reg. 13. Id quod eleganter ad argumentum nostrum premit Damian. vbi sup. *Dum Philisthæi timent gladios, tollunt fabros; vt dum armorum fabricatura compescitur, non sit etiam, qui cætera exercendi laboris vtensilia fabricetur. Hunc gladium quia peruersi timent spiritus, fabros de terra Israel auferunt, dum eos, qui redarguere delinquentium errata debuerant, a tenenda censuræ disciplina compescunt. Et hac negligentiæ dissolutione contingit, vt in seruorum Dei quibusque Conuentibus non modò sacræ prædicationis sermo cesset audiri: sed etiam honestarum artiù exercitia frequentari.* Audi Eucherium, *Philisthæi filios Israel fabris armorum priuant, cum maligni spiritus animos fidelium à meditatione sacri verbi secularia illis negotia inferendo* (eo spinarum suffocantium incommodum) *retardant; ne vel ipsi per huius exercitium resistendi fiduciam sumant. Tollant fabros armorum, cum eos, qui sacra eloquia norunt, in tantis sceleribus obruunt, vt dicere bona, quæ didicerant, prorsus erubescant.*

Euche.

27. *Faber ferrarius Prædicator fermoni.* Hugo. Card.

Porrò ad perfectionem argumenti necessarium exponere, quam appositè prædicatores fabri ferrarij typo designentur. Hugo Cardin. duplicem similitudinis rationem assignat. Primam quidem, *Quia operatur in igne, & malleo, id est, in verbis sacræ Scripturæ, quæ sunt ignis, & malleus, iuxta illud: Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Ierem. 23. Ignis quidem, quia consumunt rubiginem peccatorum, & calefaciunt ad amorem Dei, & illuminant ad cognoscendum articulos fidei. Malleus autem, quia duritiam cordium frangunt, & emolliunt ad compunctionem. Lapis igne calefactus citè frangitur malleo: sic cor hominis, quando est calore verbi Dei calefactum, citò liquescit in deuotionem.* Secundam autem, *Iste faber ferrarius non inuenitur in Israel, id est, in omni Ecclesia non inuenitur Prædicator, aut Doctor verbi Dei. Multi sunt Doctores, & multi Prædicatores: sed pauci fabri ferrarij; quia pauci sunt, qui ob studium verbi Dei sustineant ardorem, & laborem, vt faber ferrarius facit.*

Ierem. 23.

28. *Quanto studio curet diabolus verbi Dei fontes obturare.* Gregor.

Dæmones igitur fabros huiusmodi nobis abripere moliuntur. *Quia apertè scimus* (cum D. Gregorio loquor) *quod dum, vel secularibus literis instruimur, in spiritualibus adiuuamur.* Si secularis disciplinæ proficit ad spiritum exauditio: quid verbi sacri prædicatio! quotiens dæmones suos ministros armarunt ad sacras, & humanas literas inter fideles abolendas, vt obstruerent sacræ prædicationis fontem? Nabuchodonosor, capta Ierosolyma, sacros libros pariter succendit 4. Reg. 25. de quibus penitus

4. Reg. 25.

actum esset, nisi postea diuinitus ab Esdra restituerentur authore Irenæo lib. 3. cap. 25. Rege Antiocho totam Iudæam profanante, eius milites libros legis combustioni tradidere. 1. Mach. 1. vt Hebræi diuinam legem obliuiscentes facilius ruerent ad profana. Per hosce ministros curant dæmones, vt omnis literatura à Christianis abdicetur. Neque solum scientiam, sed etiam sciendi desiderium à Christianis volunt exterminare. Gregorius, *A nonnullorum cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt; vt & secularia nesciant, & ad sublimitatem spiritualium non pertingant.* Beda, *sicut cum regnante Saule, cum venisset dies prælij non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, excepto Saul, & Ionatha: Ita planè cum quotidie instet dies prælij contra aduersarias Potestates, plurimis sua rusticitate contentis, pauci admodum idonea lectione, vel auditione Scripturarum ad hoc prælium ritè armati procedunt. Vnde nostro corpore adimus quotidie, facit nobis spiritualis, quod tunc Israeli carnalis aduersarius fecisse describitur.* Hactenus ille.

Iren. 1. Mach. 1. Gregor. Beda.

Observat. III.

Ad illa verba:

Nam qui supra petram, qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent; quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Granum sine radicibus protinus exsiccatur.

Quia virtus non radicata ex laborum sustinentia, facilè temporum iniuria languet.

29. Tolet.

Grani spiritualis huiusce radices contemplatus es in Commentario ex mente Toleti. Profectò semina sine radicibus illicò exsiccantur, virtus non bene radicata ex laborum sustinentia, ex exercitamentis orationis, ieiuniorum, reliquorumque pœnalium operum protinus flosculi in motum tentaminis ardore languescit.

30. *Exarescit enim germen, quod orationis, & ieiuniorum, &c. exercitiis non radicatur.* Matth. 13. Cant. 1.

Matthæus sic, *Alia ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt; quia non habebant altitudinem terræ: sole autem orto æstuauerunt.* cap. 13. Sole tentaminum exuruntur virtutis germina, quæ solidis amaricantium pœnalium operum radicibus non nituntur. Fatur sponsa germē cœleste, *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant. 1. Græcè, *Quoniam Sol me aspexit, sum nigra facta.* Aspectatam esse à Sole, est pugna fratrum esse actam. Germen illud augustum solis aspectu æstuauit, non voluit tentamina sustinere. Vndenam, precor? Quia sponsa tunc

 altas

altas non immiserat exercitamentorum spiritualium radices. Nyssenus hom. 2. in Cant *Hic est sol lædens quando eius æstus non arcetur à nube spiritus. Hic est sol, qui nitidam corporis superficiem accendit insultu tentationum.* Preme illud: *Quando æstus non arcetur nube spiritus.* Quod nubem vocauit Nyssenus radices Toletus appellauit. Porrò germinis radices spiritus exercitamenta sunt oratio, ieiunia, vigiliæ, &c. horum defectu tentaminum insultu accedente, primo solis aspectu germen elanguit.

Nyssen.

Tolet.

31.
Isaacus radicari curat hisce exercitamentis, futurus germen fructus vberrimi, ad sustinenda futura tentamina.
Gen. 24.
Bernard.

Quis non sciat, Isaacum ex consortio Rebeccæ factum esse semen augustissimum, è quo fructus vberrimus Messias debebat exsurgere? Cum igitur expectaret Isaacus aduentum sponsæ, *deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum. Et egressus fuerat ad meditandum in agro.* Gen. 24. Cur studet meditationi cum expectat fieri granum cœlestis germinis? Porrò vt radices immitat per spiritualia exercitamenta, vt possit exortum germen contra tentaminum æstus præualere. Bernardus ad Eugen. lib. 2. de Cons. *In hunc quendam agrum Isaac exierat, cum primum Rebecca occurrit ei: & vt scriptura habet, exierat ad meditandum. Tibi iam præcessisse meditatio debet tempus faciendi. Ante, iuxta consilium Saluatoris sedere debet: ante æstimare opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum.* Hoc est radices immittere, ne tentamina exortum germen, instar solis ardoris, exurant.

32.
Germen Abrahami radicatur spiritualibus affectibus, vt possit temporis incursus sine læsione pati.
Gen. 12.
Ambros.

Facturus Deus Abrahamum Magistrum spiritus, cum prius curat germen illustre apparere, è quo fructus vberrimi postmodù exorirentur: *Egredere*, ait, *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Gen. 12. Cur particulatim Dominus sic difficultates, indicit? Certè vt germen tanctum radices immitteret, & ad temporis iniurias præparari posset. Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 2. *Satis fuerat, dixisse: Egredere de terra tua, ibi enim erat exire de cognatione, & exire de paterna domo: Sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret.* Quare Patriarchæ probatur affectus? Vt appareat, num alias radices immisisset; ne germen pulcherrimum fructuum illicò laborum æstu marcesceret. Probari oportet virtutem spiritualibus exercitamentis, vt radicata, potens sit tentamina sustinere.

33.
Pharisæi instar seminis supra petrã, exoriuntur Dominico in agro; sed quia radicũ carebant fundamento, illico aruerunt.
Matth. 3.
Ioann.

Exortum est cum pulchritudine granum aliquando Pharisæorum, sed carens radicum fundamento, illico exaruit. *Exibat* ad Ioannem *Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum venientes ad baptismum suum,* &c. Itaque Principes Ierosolymitani Ioannis baptismate diluebantur. Matth. 3. Porrò Ioannes inquit, *Miserunt Iudæi ob Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?* cap. 1. Post baptismum acceptum, tam cito germen exortum exaruit? Profectò illi spiritualibus orationis, ac vigiliarum exercitiis carentes, radicum fundamentum non habebant: ideoque ad exortum solis, ad difficultatis paruulæ obiectionem exsiccati conspiciuntur. Chysostomus hom. 15. in Ioann. *Qui ex Ciuitatibus ad Ioannem confluxerant, qui propria damnarant peccata, qui baptizati erant: post baptisma mittunt, qui Ioannem interrogent, Tu quis es? Quid hac stultitia stultius? Quomodo ad baptismum concurristis? Hæc omnia à vobis temerè facta sunt, cum fundamentum non habeatis.* O quam temerè in agro Dominico germen esse studet, qui non prius curat fundamento radicum stabiliri, vt valeat difficultatum certamina sustinere!

Chrysost.

34.
Apostolicũ germen radices immitit laborum, vt sustineat postmodum tyrannorum incursus.
Matth. 4.
Chrysol.

Apostolis Dominus, *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4. An non aptius à labore piscaturæ vocarentur ad requiem? Cur eos labore piscandi exactos adhuc inuitat ad laborem? Certè noua Ecclesiæ germina debuere radices ex exercitamento spiritualis piscationis immittere, vt ad futura æstus, ac frigoris certamina præpararentur. Chrysologus pulchrè serm. 28. *Ipsi ante illis vsum laboris indulsit, qui postea eis tolerantiam dedit virtutis. Hinc est, quod Regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, sæuientes homines terris omnibus sic vicerunt.*

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur.

Quis crederet granum à voluptatibus suffocandum esse?

Profectò voluptates verè sunt animi, corporisque tortores.

35.
Gregor.

GRegorius apud Emanuelem Saa. *Voluptates spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Voluptates per curam mentem opprimunt, & per affluentiam resoluunt. Suffocant autem semen importunis cogitationibus guttur mentis strangulantes.* O tortores delicias! Quis crederet aureo poculo venenum propinandum? Post voluptates scio gemitum profuudi: at voluptates esse gemitum, esse tormentum, vulnus, mortem non agnoui. Hoc redocere procurabo.

36.
Anima in deliciis viuens, mortua est.
1. Thes. 5.
Chrysost.

De deliciosa vidua Paulus, *Quæ in deliciis est, viuens mortua est.* 1. Thes 5. Quonam modo est mortua; si viuit in deliciis? Certè quia illud ipsum in voluptate viuere veraciter est mori. Chrysostomus, *Mortuus est quisque viuens, cum in deliciis degit. Quonam modo? Voluptati soli viuit, sensibus cæteris moritur.* Profectò aptius dixerim, *Voluptati soli moritur*; quia ipsa voluptas mors animi est. Ideo Bernardus serm. 48. *Vita in deliciis agens, mors est.*

Bernard.

37.
Sodomitæ deliciosi mortui viuentes.

Dauid appositè de Sodomiarum clade, *Descendant in infernum viuentes.* Psalm. 54. Mors assolet sepulturam præuenire: cur ergo in hisce mortem præuenit sepultura? *Descendant in infernum viuentes.* Profectò quia in deliciis viuentes mortui erant. Vnde diuina iustitia

viuentes

vinentes sepeliuit, quia voluptatibus addicti necessariò mortis amaritudine erant affecti.

38. *Deliciis vacātes ad Deum voluptatum amaritudine afferuntur.* Psalm 44.

Alibi Vates, *Adducentur Regi virgines post eam: proxima eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione.* Psalm. 44. Virgines vocat eas, quæ à voluptatibus abstinentes, vni addicuntur sponso cœlesti. His proximas appellat viduas, quæ aliquando voluptatibus indulgentes, iam pœnitudine affectæ adducuntur ad Dominum. Virgines ergo adducuntur, id est, facilè Agnum sequuntur ductorem. Viduæ autem afferuntur violentia. Quanam, precor. Certè voluptatum ipsarum amaritudine mortifera. Acutè Paschasius, *Virgines dicuntur adduci, quia corporis integritate robustiores sunt. Viduæ verò afferri, quia fractæ multis molestiis multa iam corporis imbecillitate fatigantur.* Fractæ multis molestiis afferuntur, dum ipsius voluptatis (si vidua *in deliciis* vixit) vulnere affecta, fugit delicias, vt requie animi, ac corporis potiatur.

Pasch.

39. *Segor dum viuens obicitur deuorata à flāma ostenditur; quia Ciuitas deliciosa dum viuit, mortua est.* Gen 19. Hieron.

Cum Pentapolis esset conflagratura, Loth ad Dominum, siue ad Angelos: *Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te: Est Ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, &c. Dixitque ad eum, Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen Vrbis illius Segor.* Gen. 19. Vrbs igitur, quæ prius vocabatur *Bala*, postquam Lothi precibus seruata est à communi conflagratione Pentapoleos, dicta est *Segor*. Asserit Hieronymus *Bala* ac *Segor* idem esse, ac *Absorpta, Deuoratio.* Anselmus, *Vrbs deuoratorum.* Erat Segor piaculi Sodomitici rea, & sola precibus Lothi seruata. Cur ergo post liberationem hæc Ciuitas adhuc retinet nomen prius, *Absorpta, Deuoratio, vrbs deuoratorum*? Quia dum non abluitur à luxuriei piaculo etiam dum viuens ostenditur à deuoratione immunis, deuorata est. Vita enim vrbis in deliciis degentis verax est lethum.

40. *Voluptatum abundantia ignis & ignis ad animi exitiū, & dolorem in profanes.* 3. Reg 11. Gregor.

Salomon Rex *adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas, de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel, &c. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.* 3. Reg. 11. Voluptates igneas? *Ardentissimo amore* copulatur, & reputat delicias? Quid cum igne voluptati? D. Gregorius lib. 6. in 1. Reg. cap. 1. *Quid enim est libido, nisi ignis? Et quid exorta virtutes nisi flores? Quid turpes cogitationes nisi paleæ? Quis ergo nesciat, quia si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parua scintilla, quæ remanet, omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum flores in mente non vult comburere, ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenuem scintillam nunquam possit ardere.* Si amoris profani scintilla tantam syluam incendit, quidnam, precor, luxuriei gehenna, cui Salomon immergebatur. *His copulatus est Salomon ardentissimo amore.*

41. *Ignis luxuriei in gehenna nō victus ab æterno flāma. En deliciarum voluptatat nunquā non ardere.* Deut. 32. Gregor.

Vnde Dominus, *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Deut. 32. Alij legunt, *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque ad inferos deorsum; comedet terram, & nascentia eius.* Et quinam iam exitialis ignis ab ira Dei immissus ab igne tartari non absorptos, sed & imbi crudeliter dilanians? Respondet D. Gregorius lib. 21. Mor. cap. 9. *Ignis terram, atque eius nascentia comedit, cum libido carnem, atque omnia benè acta consumit. Nam quid quid procedit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis.* Igitur luxuriei ignis potius tartareæ flammæ torturam æmulatur ad pœnam peccatoris, quam seruit voluptati. Iræ Numinis effectus horribilis est, hominem permitti obsequium præstare voluptati.

42. *Mors delicia amarissima.* Plutarch. Marsil.

Redeo ad suffocationis vocabuli vim: *Et voluptatibus suffocantur.* Voluptati indulgere, suffocari est. Plutarchus appositè, *Moritur quisquis amoris indulget voluptati.* Marsilius Orat. 2. in Conuiu. cap. 9. *Qui non in se operatur, neque in se ipso est, Æqua enim inter se hæc duo, esse, & operatio sunt. Non ergo in se amantis voluptates est animus, quia in se ipso non agit. Si in se ipso non est, nec viuit in se ipso. Qui non viuit, mortuus est.*

Cecinit Mantuæ decor Eclog. 2.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.
Delicias domini.

43. *Deliciis suis quisque fert sepulchrum, quia idē est deliciis frui, ac mori.* Cerda.

Deliciæ cuiusnam domini Alexis erat? Ipsius Corydonis ex alicuius expositione. Ergo Corydon deliciis amoris potiebatur. Iam expende *Corydon* vocabuli significationem. Græcè Κορύδος. Latinè *Alauda.* Hispanè *Cocuzada.* At Græcè vocabulo Synonymo Τυμβίδιε. id est, *quæ capite tumulum gestat.* Ardet Corydon? Sepulchrum ostentat, quo viuens in deliciis recluditur. Ioannes Ludouicus à Cerda *Dicta est verè auis hæc Corydos à cristis: & ab eadem Epytimbus quod tumbam aut tumulum in cristis formatum habeat.* O deliciis addicti, verè suffocati

---

Observat. V.

Ad illa verba:

Et à sollicitudinibus, & diuitiis vita euntes suffocantur.

Seculares diuitiæ spinæ triticum suffocantes.

Diuitiarum fallaciam expendo.

44. Strab.

STrabus, *Diuitiæ ab alio Euangelista fallaces vocantur.* Matthæus quidem asseruit, *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & intelligit; & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum.* cap. 13. Particulam, *Fallaciam diuitiarum* breuiter confirmandam assumo.

45. *Diues non habet, quia diuitiæ non sunt.* Luc. 12. Adam.

Ait Lucas, *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* cap. 12. *Non habeo* asseris, cum fructibus opimis abundas? Adamus affirmabat. *Veræ diuitiæ hoc habent, quod præcordia implent lætitia.* Ergo veræ diuitiæ non erunt, è quibus præcordia hominis coarctantur, & gemitibus opplentur. Quam aptè D. Ambrosius sermon. 81. *Angustatur hic diues ex abundantia, constringitur, & coarctatur ex opulentia. Infelix ex præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et, vt video, ager ei non tam redditus largiores, quam gemitus attulit grauiores.* Ergo diuitiæ veræ minimè appellandæ.

Ambr.

Dignus

46. *Dum ager fert vberes fructus fructus vberes non refert, quia diuitiæ nihil.* Luc. 12. Basil.

D. Basilius hom. in Ditescen. premit particulam, *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.* Luc. 12. Attulit fructus? Ergo diuitiis plenus erat. Ait acutè Doctor, *Non ei prouentus annui fruitionem terra ferebat? non ager fructuum copiam.* Quonam modo copiam fructuum ager non attulit; si diuitis agrum fructus vberes attulisse asseritur? Porrò quia illud ipsum copiosam fructuum vim agrum attulisse, idem est, ac fructuum inopia laborasse; quia fallaces diuitiæ solo nomine decorantur.

47. *Diues mendicus, quia non habet quod habet.* 3 Reg. 21. Ambr.

Locutus ad Naboth Achab, *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* 3. Reg. 21. Ditissimus Rex vineam petit à ciue? Eget ne vinea ad olera plantanda, qui Regno potitur? Ergo Regni diuitiæ fallaces. Ambr. lib. de Naboth cap. 2. *Qualis vox egentis est? Qua vox alia stipem publicè postulantis? nisi, Da mihi. Id est, da mihi, quia egeo.* Affluens diuitiis eget? Eget planè, quia diuitiæ seculares fallacia plenæ. *Ille Regni opibus affluebat, iste angusti soli cespitem possidebat. Nihil pauper de possessionibus diuitis concupiuit: Rex sibi egere visus est.* Ergo diues magis vacuus quam pauper. Iste enim exiguum id quod habet verè habet; quia exiguum aliquid est; ille autem magnum quod videtur habere, non habet: quia vis diuitiarũ prorsus nihil.

48. *Diues Rex pauper est quia plus habens, minus possidet.* 1 Reg. 25. Theod. Ambr.

Aliquando ditissimus Dauid stipem, instar pauperis postulabat. Pueros Rex immisit ad Nabal, qui nomine suo vitæ peterent necessaria. Quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid 1. Reg. 25. Vbi Theodoretus q. 54. *Quid differunt hæc verba a verbis, quibus vtuntur mendici?* Ita semper diues eget, præcipuè auarus, Ambrosio citato profante, cap 12. *Pauperiorem se iudicans omnis abundans quia sibi deesse arbitratur, quicquid ab aliis possidetur. Toto mundo eget cuius non capit mundus cupiditates.* Cur diuites mendici? Quia verè non habent: *Quid faciam? quia non habeo?* Plura alibi.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

Vberrimi bonæ terræ ex patientia fructus.

Assero, Euangelij ministros ex patientia vberrimos fructus conuersionis hominum reportare.

49. Gregor.

AIt D. Gregor. apud Saa, *Nulla sunt bona, quæ agimus, si non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus.* Fructus operum referuntur in patiẽtia. *Patientia igitur nobis necessaria est vt reportemus* operum bonorũ fructus ex verbi prædicatione. O quam copiosos fructus Ecclesiæ parantur ex Euangelij præconum patientia.

50. *Christus Gedeon patientia cum sermone mundum vicit Sic eius milites.* Iudic. 7.

Dux quidem noster patientia, ac tolerantia præmissa, mundum vicit, ad Patrisque adduxit ditionem, ipseque milites instruit, qui patientia mundum possint Euangelicam messem efficere Gedeon olim profatur ad milites, *Quod me facere videritis, hoc facite. Cumque per gyrum castrorũ in tribus personarent locis, & hydrias confregissent,* hostes comminuerunt. Iud. 7. Christus Gedeon personaturus, id est prædicaturus vtiliter ad victoriam, hydriam confregit, seu se se vulnerum vi exposuit. Euangelij ministri æmulatores vincunt, quia dum personant, constringi patiuntur. Greg. lib. 30. Mor, c. 32. *Tales quippe secum Dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent: eorumque gladios non armis, sed patientia superarẽt.*

Gregor.

51. *Paulus fructus vberrimos retulit, dum fit ex milite, ad patiendum, agricola.* Isa 2. Tertull.

Prædicatorum maximus Paulus patiẽtia orbẽ gentiliũ adduxit ad Christum. De prædicatoribus Euangelij ait Euangelicus Propheta: *Conflabũt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Isai. 2. Ex militibus (ac si diceret) agricolæ fiẽt, vt patiãtur, vt innumeris, instar agricolarum, laboribus agitentur. Vomere huiusmodi, hoc est, patientia terra hominum versatur, & falci magna vis messiũ offertur. Tert. l. aduer. Gnost c. 13. *Paulus Apostolus de persecutore, qui primus Ecclesiæ sanguinẽ fudit, postea gladiũ stylo mutans, & cõuertens machærã in aratrum, lupus rapax Beniamin, deinde afferens ipse etiam escam.* Effectus scilicet agricola ex tolerantia, agnus deuotãdus ex mãsuetudine patientiæ messium innumerabilium Ecclesiæ pertulit vbertatem.

52. *Dauid prædicator egregius ex patientia vt Saulem ad pœnitudinẽ adduxit.* 1 Reg. 24.

Profectò auditoris proterui mẽs ex prædicatoris patientia confringitur. Quam dura Saulis præcordia ad verba Dauidis, ad opera egregia, ad beneficia! At cũ potuisset cõfodere in spelũca hostẽ ei pepercit; vocẽ autem patiẽtia comite Regis immisit ad aures. *Inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit; dixitque ad Saul, Quare audis verba hominum loquentiũ: Dauid quærit malũ aduersum te. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, & pepercit tibi oculus meus.* Prædicatio ergo patientia roborata valuit rebellis præcordia conterere. Vnde auditor inclamat, *Nũquid vox hæc tua est, fili mi Dauid?* 1. Reg. 24. Quam fælix prædicationis exitus patientia ac voce dimicante! Chrysostom. hom. de Sau. & Dau. *Quid igitur Dauide fælicius, qui ex homicida fecit patrẽ?* Quam fælix prædicationis exitus, cum vox patientia comite incedens exauditur.

Chrysost.

53. *Prædicatio, quæ tolerat labores Lia est, fœcunda est.* Gen. 30. August.

Olim *cernens Rachel, quod infœcunda esset, inuidit sorori suæ.* Gen. 30. Expendã Liæ fœcũditatẽ ex pulchra admodum August. sentẽtia l. cont. Faust. *Duæ vxores liberæ Iacob duæ vitæ sunt contemplatiua, & actiua. Veruntamen vna amatur, & altera toleratur; sed quæ toleratur, ipsa prius & vberius fœcundatur, vt si non propter se ipsam, certè propter filios diligatur. Labor enim iustorum prædicatorum, qui filios prædicando Deo generant, maximum fructum habet; quia propter filios suos sunt in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: & propter eos habent foris pugnas, & intus timores.* Igitur prædicatio Lia, id est, quæ laborum tolerantia roboratur fœcundissima est, filiorum spiritualium corona cingitur.

54. *Prædicatio, quæ nõ tolerat, Rachel est, sterilitate laborat.* Gen 30. August.

Iam adnoto Rachelis sterilitatem. Diligitur à prædicatoribus contemplationis pulchritudo, abstinent à Liæ actionis exercitamentis, vt studeant Rachelis otio. O quanta sterilitate laborat prædicatio, quam laborum patientia nõ roborat! D. Aug. addit, *Rachel clara aspecta, videt quidem in principio Verbum Domini apud Deum, sed vult parere, & non potest; quia vacare vult ab omni labore, & ideo sterilis.* Igitur prædicatio Rachel, id est, quæ à patiendi occasionibus abstinet, sterilitate laborat, sororique inuidet; quia fructus conuersionis proximorum est *in patientia* referendus.

LIBER

LIBER NONVS.

VINEA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput vigesimum primum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vita, seu Iesus locutus in Parabolis, FRVCTVS NONVS.

PARABOLA est de Patrefamilias colonis vineam locante, qui ministros simul cum herili filio fructus poscente trucidarunt. Quam adduxit Dominus, vt sententiam rogati, se ipsos damnarent, qui pari scelere cum illis colonis notarentur. Periit meritò vinea Israelitica, quia Mariæ repulit custodiam; ideo aliis vineis Gentilium scilicet custodiendis addicta est. *Posuerunt me*, inquit, *custodem in vineis, vineam meam non custodiui* Cant. 1. Pulchrè Rupertus sic Deiparam locutam inducit: *Posuerunt me custodem in aliis vineis vnà cum Apostolis; quorum vnus hoc Iudæis apertè denuncians, dixit: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad Gentes. Act. 13. Sic me fugantes, posuerunt me custodem in aliis vineis, id est, curam Gentilium quasi mihi imperarunt. Non ego eos odio vllo deserui, sed illi me sua incredulitate repulerunt. Ideo vineam illam maternam non custodiui, quia noluit custodiri. Verum Deus pro vna vinea, plurimas mihi colendas, & custodiendas fuit largitus. Quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes, & pro huiusmodi custodia ad me iugiter clamantes.* Sic Rupertus.

Cant. 1. Rupert.

MATTHÆVS

MATTHÆVS CAP. XXI.

VERS.33. HOMO erat pater familias,qui plantauit vineam,& sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular , & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis , & peregrè profectus est.

34. Cum auté tempus fructuum appropinquasset , misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.

35. Et agricolæ , apprehensis seruis eius, alium ceciderunt,alium occiderunt , alium verò lapidauerunt.

36. Iterum misit alios seruos plures prioribus : & fecerunt similiter.

37. Nouissimè autem misit ad eos Filium suum,dicens: Verebuntur Filium meum.

38. Agricolæ autem videntes Filium , dixerunt intra se , Hic est hæres, venite , occidamus eum : & habebimus hereditatem eius.

39. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam , & occiderunt.

40. Cum ergo venerit dominus vineæ,quid faciet agricolis illis?

41. Aiunt illi:Malos malè perdet , & vineam suam locabit aliis agricolis , qui reddent ei fructum temporibus suis.

42. Dixit illis IESVS : Nunquam legistis in scripturis, Lapidem , quem reprobauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud , & est mirabile in oculis nostris?

PARAPHRASIS.

33. ERAT (*inquit ad confundendam Iudæorum ingratitudinem*) *quidam Paterfamilias,qui plantauit vineam, ei circumdedit sepem in custodiam, fodit lacum excipiendo musto è botris expresso, & extruxit in ea turrim ad habitationem. Atque ita pulchrè instructam locauit agricolis, vt bona fide colerent,fructus domino reddituri. Hoc facto profectus est peregrè.*

34. *Profectò cum tempus colligendi fructus appeteret , suos seruos immisit, vt ab illis acciperent fructus.*

35. *At agricolæ non solum non dedere fructus debitos, verum etiam seruis iniecere manus, & alios pulsarunt , alios occiderunt, alios lapidibus vulnerarunt.*

36. *Hoc cognito,Paterfamilias nō statim eos vocauit ad supplicium , patiens redditor misit ad illos maiorem numerum seruorum. At illi nihilo mitius tractauerunt hos quoque quam illos priores tractauerāt.*

37. *Tulit & hoc facinus Paterfamilias,ac postremo,quo vinceret eos sua lenitate, suum ad illos Filium immisit, dicens apud se : Quanquam in seruos sæuierunt, tamen Filium meum reuerebuntur.*

38. *At agricolæ, quo magis ad resipiscentiam prouocabantur,hoc magis irritabantur ad sæuitiam cum enim vidissent Filium,de eo occidendo consilium inierunt. Hic est, inquiunt, hæres,venite, occidamus eum,& hæreditatem illius occupabimus.*

39. *Mox iniecerunt illi manus , & protractum extra vineam horribilibus vulneribus occiderunt.*

40. *Cum igitur, inquit , venerit Dominus vineæ , quid illis faciet agricolis tam infando homicidio reis?*

41. *Respondent Pharisæi : Malos male perdet,& vineam suam locabit aliis , qui bona fide reddant locatori fructus temporibus statutis. Sic illi decepti ænygmate se se proprio ore condemnarūt, pronūciātes,se ob inuincibilē animi prauitatem dignos esse supplicio à resurgente hærede vulneratos.*

42. *Ad hoc indicandum,quominus offendas , prophetiam adducit è Psalmo. Nunquamne inquiunt , legistis in scripturis,lapidem , quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, &c. Significans eos ædificare Synagogam : sed eiecto Christo,sine quo nullum esset firmum ædificium , sed tamen ipsum reiectum ab ipsis lapidem magno in pretio futurum in Ecclesia Gentium.*

43. *Vnde*

43. Ideo dico vobis: quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

43. Vnde subiecit Christus, ideò dico vobis, Auferetur à vobis Regnum Dei; quod oblatum spernitis, & dabitur alteri genti, quæ dignos Euangelio fructus adferat.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

44. Atque, vt hic lapis salutem adferet iis, qui Euangelio obediunt; ita per incredulitatem repugnantibus adferet exitium. Quisquis enim in lapidem hunc impegerit, confringetur: rursus in quem ille inciderit, conteratur necessum est.

45. Et cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quia de ipsis diceret.

45. Tandem ex huius sermonis clausula Primores Sacerdotum, & scribæ intellexerunt, quod superiores etiam parabolas, quibus decepti pronunciauerant aduersus se sententiam, in ipsos dixisses.

46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas; quoniam sicut Prophetam eum habebant.

46. Eoque exarserat eorum vesania, vt iam fuerint illi iniecturi manus, ni metuissent populum, quod à plerisque magnifieret IESVS, *ac Prophetæ loco haberetur.*

SECTIO PRIMA.

Vineæ Plantatio.

TEXTVS.

VERS. 33. HOmo erat paterfamilias, qui plantauit vineam & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim: & locauit eam agricolis: & peregrè profectus est.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Plantatore, & vinea plantata.

1. *Ad quosnã parabola?*

HOMO *erat paterfamilias.*] Proposuerat Dominus Principibus Sacerdotum, scribis, ac senioribus parabolam duorum fratrum, qua ostendit illos à publicanis ac meretricibus superatos. Alteram addit, qua monstrat, se à Patre ad Iudæos immissum, à quibus prædicit esse suffigendum patibulo: grauissimasque pœnas de tanto piaculo sumendas. Lucas asserit, Dominum ad plebem parabolam profudisse: Matthæus & Marcus ad Sacerdotes, scribas, & seniores. Verũ vtrumque, quia ad hos præcipuè, ad plebemque simul parabola dirigitur. An non (vt mysticè exponam) Sacerdotes, scribæ, ac seniores illi vulgares ex moribus cum plebe erant computandi? Ergo ad plebem Dominus loquitur, cum ad Primores illos verba facit.

Sacerdotes, ac scribæ vulgus ex moribus.

2. *Deus vineæ plantator.* Chrysost.

Homo Pater.] Huius magnæ familiæ, id est, mundi Deus est; qui patrisfamilias in morem, totum orbem velut domum suam administrat. Chrysostomus, *Homo dicitur similitudine, non veritate; natura Dominus est, beneuolentia Pater.*

3. *Varietas lectionis.*

Plantauit vineam.] Marcus, *pastinauit.* Idem Græcum vocabulum est apud vtrumque Euangelistam, nimirum ἐφύτευσεν, id est, *plantauit.* Pastinare autem est, vineam fodere: repastinare, refodere. Interpres autem videtur sumpsisse pro fodiendi munere plantare.

4. *Quænam vinea?* Psal. 79.

Vineam.] Est vinea plantata à Domino Synagoga siue populus Israëliticus, qui cum vinea sæpe in scriptura confertur. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes,* (Chananæos) *& plantasti eam.* Psalm. 79. Nam quemadmodum studiosus plantator siluas excindit, comburit spinas, vt vineam plantet. Deus Chananæos veluti vepres spinasque auulsit, vt in Iudæa Israëlitas plantaret. Pergit Vates, *Dux itineris fuisti in conspectu eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare* Mediterraneum, *& vsque ad flumen* Euphratem (sic Chaldæus) *propagines eius.* Isaias autem, *Vinea facta est Dilecto in cornu filio olei.* cap. 5. Et Ieremias, *Ego plantaui te vineam electam.* cap. 2. Hieronymus, *Hæc vinea, de qua Isaias, vinea Domini Sabaoth domus Israël est.* Quandónam Dominus hanc vineam plantauit? Augustinus serm. 59. de verb. Dom. *Lege data in cordibus Iudæorum.* Aptius asseruerim, plantatam

Isai 5. Ierem. 2. Hieron. *Quandiuã plãtata vinea?* August.

plantatam esse, cum eam Dominus in terra repromissionis collocauit. Sic Vates, *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam*. Psalm. 79. Scilicet in Iudæa, seu Palestina. Moyses cecinit, *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ*. Exod 15. Barradius tom. 3. lib. 8. cap. 4. *Dicitur Deus plantasse populum Israëliticum; quia illum sibi assumpsit, & instar vineæ, in Palestina plantauit, eique instar vineæ, culturam præbuit.*

Psal. 79. Exod. 15. Barrad.

§. II.

De sepe, Torculari, ac Turri.

5. *Tria Deus sua vineæ præstitisse dicitur.*

SEpem circumdedit ei.] Tria vineæ suæ Pater Deus dicitur præstitisse. Sepe cinxit, ne aut bestiæ, aut fures, botros diriperent. Torcular extruxit, quo vindemia premeretur. Turrim ædificauit, in qua vel ipse, si liberet, habitaret tutus: vel vinitor commorari posset: vineamque veluti ex specula inspiceret, vinumque asseruaret. Isaias, *Sepiuit eam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea*. c. 5. Marcus pro torculari *lacum* posuit. *Fodit lacum*, in quem expressis vuis vinum fluit. Græcè ληνός, *torcular*.

Isa 5.

6. *Quid significet sepes?* Hieron. Anselm.

Quidnam, quæso, sepes significet? Hieron. *Vel murus vrbis, quo veluti sepe cingebatur, vel Angelorum custodia.* Anselmus, *sepem* existimat *communitionem murorum vrbis, aut Angelorum custodiam, vel bellicosorum virorum, vt Dauid, & Machabæorum.* Euthym. legem indicare putat, *quæ non sinebat Israelem gentibus commisceri.* Chrysostom. *Custodia Patrum iustorum.*

Euthym. Chrysost.

7. *Auctoris sententia.* Ambros.

Existimo, diuinæ protectionis custodiam sepis nomine annotari. Sepes ideo extruitur, vt vinea custodiatur. Ergo populi Israëlitici custodiæ sepes est vineæ. Ambros. Luc. 20. *Sepe circumdedit, hoc est, diuina custodia munitione vallauit.* Origen. *Dei custodia erat Synagogæ sepes.* Victor. Antioch. in Marc. *Per sepem diuinam custodiam, cœlestéque præsidium significat.*

Origen. Victor.

8. *Quid significet torcular?* Hieron. & alij.

Et fodit in ea torcular.] Quidnam in Torculari signatur? Hieronym. Theophylactus, Euthymius, Victor Antioch. & alij putant indicare holocaustorum altare. Hieronymus rationem reddit ad c. 5. Isai. *Quidam torcular altare significare putant. Sicut enim ad torcular omnes vuæ comportantur, atque calcantur, vt ex eis exprimatur vinum: Sic altare omnis populi excipit fructus, & immolatas hostias deuorat.* Euthym. *Torcular altare est in quo sanguis effundebatur.* Porrò Iansenius legem significari iudicat. *Per torcular significatur lex, quæ purum ab impuro discernit, malum à bono distinguens; & per quam è populo velut i exprimeretur dulcissimum bonorum operum vinum.* Hilarius torcularia Prophetas interpretatur. *Nam quemadmodum in torculari vinum fluit, sic in Prophetas musti modo quadam vbertas Spiritus sancti feruentis influxit.* Auctor Imperf. *Torcular Prophetæ, ex quibus quasi ex torcularibus gratia Spiritus sancti decurrebat vt mustum.* Hier. *Torcularia Martyres.*

Euth. Iansen. Hilar. Imperf.

9. *Auctoris sententia.* Anselm.

Interpretor torcular tormenta legalia, ac laborum pressuram, qua indigent fideles botri ad meri dulcissimi, siue operum expressionem. Fauet Anselm *Fodit in ea torcular, id est, imposuit ei tormenta legalia, per quæ cogeretur ad bene viuendum.* Cogit quidem homines laborum pressura ad legis obseruationem.

10. *Quidnam turris?* Hilar.

Et ædificauit Turrim.] Quid per Turrim signatum fuerit? Hilar. ait legis esse eminentiam, quæ in cœlum ex solo egressa proueheret, & ex qua Christi aduentus posset aspectari. Auctor Imperf. *Ædificauit turrim, id est, legis sublimitatem, & altitudinem ex qua Sacerdotes Christum venturum specularentur.*

Imperf.

11. *Auctoris mens.* Hieron. Origen.

At Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthym. Victor Antioch. & alij turri Templum designari existimant. Orig. tract. 19. in Ioan. asserit alios sic parabolam exposuisse: *Custodia Dei fuit sepes vineæ, turris Templum, torcular locus libationum.* Profectò Templum turrè signari verosimilius arbitramur.

12. *Cuncta opera Deus suæ vineæ præstitit.* Isa 5. Caietan.

Quid debui (inquit vineæ Dominus) *facere vineæ meæ, & non feci?* Isai. 5. Præstitit planè, quæcumque in vinea desiderari possunt, sepem, torcular, turrim. Caiet. *Sepes, turris, & torcular, sicut omnia, quæ oportet, & expedit habere vineam optimam significant: ita omnia opportuna, & spectantia ad bonum populi Israel, significat data à Deo. Munitiones scilicet ab extraneis tam spirituales, quam corporales, & securam habitationem velut in turri: & necessaria quæque instrumenta ad omnia, velut torcular.*

§. III.

De locatione vineæ.

13. *Locatur vinea Sacerdotibus, & Primoribus.*

ET locauit eam agricolis.] Deus suam Synagogam locauit Iudæis. An omnibus? *Auferetur*, inquit, *à vobis Regnum Dei*; ergo coloni vineæ erant Iudæi omnes. Sensus est, Auferetur à vobis Sacerdotibus, &c. Locata enim Synagoga præcipuè Sacerdotibus, Doctoribus, Reipublicæ administratoribus, vt illam colerent, fructúsque Domino redderent. Hier. *In colonis principum Sacerdotum, & Pharisæorum est species, quibus in plebem potestas est permissa doctrinæ.* Theophyl. *Agricolæ sunt Doctores populi, Pharisæi, & scribæ.* Sic ferè omnes Interpretes.

Hieron. Theoph.

14. *Quonammodo Deus peregrè sit profectus?* Caietan.

Et peregrè profectus est.] Numquid Deus peregrè proficiscitur, qui omnia sua complet immensitate? Quonammodo ergo Deus peregrinari dicatur? Caietan. asserit peregrinatione indicare substractionem auxilij gratuiti seruantis à malo Israëlitas. Non placet, locauit enim illis Deus vineam, sempérque fuit auxilium præstare paratus. Ambros. lib. 12. in Luc. *Peregrè profectus est Dominus, non quia de loco ad locum profectus est, qui vbique semper præsens est: sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest.* Theophyl. *Peregrinatio Dei longanimitas eius est. Videtur enim Deus & dormire, & peregrè proficisci, dum longanimus est, & non è vestigio peccatorum pœnas exigit.* Angelicus Doctor, *Deus dicitur peregrè proficisci, quando non ad quancumque culpam pœnam infligit.* Hieron. *Peregrè profectus est Deus, non loci mutatione: Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Hærent Beda, Anselmus, & Lyranus.

Ambros. Theophyl. Thom. Hieron. Beda. & alij.

15. *Auctoris placitum.*

Sic expono, Non proficiscitur Deus mutando loca, sed perinde se habet, ac si peregrè esset profectus. Quemadmodum paterfamilias, qui peregrè proficiscitur, oculis operantium seruorum non apparet, donec redit: Sic Deus nobis non apparet, donec ad iudicium reuertatur. Quamobrem multi ex seruis otio vacant, vineamque negligunt, qui si Dominum cernerent, diligenter operam vineæ nauarent.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX VINEÆ PLANTATIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba :

Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam.

Si vinea Regnum, Rex appositè Paterfamilias appellatur.

Reges enim, Principes, Præsules optimos illos habe, quos se se viderit patres gerere subditorum.

16. SI vinea Domini Sabaoth Regnum est iuxta illud, quod obiicitur: *Auferetur à vobis Regnum Dei*: aptius dixisset, *Erat Rex, qui plantauit vineam*. O quam aptè, *Homo erat Pater*; quia si Rex est, nihil sic Regis optimi explicat proprietates, quam se se patrem gerere subditorum. Fauet Anselmus, *Homo erat Paterfamilias, scilicet Dominus Sabaoth.* Et quomodo verè Dominus non se parentem hominum exhiberet? [Anselm.]

17. Christus orat Regem inuisibilem: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat Regnum tuum.* Matth. 6. Si Rex est, cuius Regnum ad nos aduentare postulas; cur ô Domine non potius Regem, quam Patrem appellas? An tuum Parentem nominas, quia gignit æternum? Certè illa particula: *Pater noster* omnium hominum Deum Patrem ostendit. Igitur dum subditorum gerens personam Regem seculorum immortalem, ac inuisibilem orat, appositè eum Patrem appellauit; quia si Rex verus, se debet Patrem hominum ostentare. [*Cum Rex immortalis oratur, vt tribuat subditis; Pater appellādus. Nam si Rex verus est, debet esse Pater.* Matth. 6.]

18. Fatur Moyses, *In principio creauit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua.* Genes. 1. Hebraicè creauit *Elohim*, id est, *iudices*. Quam seuerum vocabulum! Est planè, sed nunc, quum terra erat inanis, & vacua nec homo fuerat excitatus à puluere. Porrò cum homo efformandus fuisset, Deus præmisit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. Quid ad imaginem Dei fieri, nisi hominem Dei filium appellari. Adamus pulchrè, *Dei imaginem fieri hominem, Dei referre similitudinem, est Dei filium nominari.* Qui ergo iudex, imo iudices cœlum, & terram molitus est, accedens ad hominis formationem è iudice mutatur in patrem; vt sciat subditus Regem suum amandum potius, quam timendum. Præclarè Chrysostomus serm. 77. ad illud: *Pater noster. Qui iudicem mutauit in Patrem, amare voluit, non timeri.* [*Deus index terrarum subditum formaturus, se conuertit in Patrem.* Genes. 1. Adam.]

19. Ex ore Isaiæ Dominus, *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* c. 66. Parum esset æterni Regis pietati, se Patrem ostendere subditis, si non teneriori matris affectu se in filios ferri exprimeret! Sic Hieronymus exposuit. Tertullianus in Apolog. *Gratius est nomen pietatis, quam potestatis.* Vndè quia Regis nomen supremæ potestatis est, siluit: & quia nomen Patris aliquid potestatis seuerioris innuit: non Patrem se, sed matrem appellauit: *Quomodo si cui mater blandiatur.* Certè filius vel matri subditus debet ostentari, quia matri potestas in filium. Ideo cum se Dominus matrem appellat, se matrem non præcipientem innuit, sed exprimit blandientem: *Si cui mater blandiatur.* [*Deus se matrem omnimodo à potestate abstractā hominibus subditis ostendit.* Isa. 66. Tertull.]

20. Curaot optimi Principes huiusmodi Principis cœlestis pietatem æmulari. Theodosium Regem augustissimum extitisse, quis non agnouerit? Porrò Ambrosius sic Regis exposuit affectum serm. de eius obitu. *Cum haberet super omnes potestatem, quasi parens expostulare malebat, quam quasi index punire.* Illud: *Cum haberet*, idem est, ac *Quia haberet.* Ac si diceret, Quia erat Rex, se gerebat vt patrem. [*Principis optimus subditorum Pater.* Ambros.]

21. Sponsam audite, *Introduxit me Rex in cellaria sua. Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum.* Cant. 1. Quid Regi cum vberibus? Si Regem verum ostendere curat, quomodo posset ab vberum memoria abstineret? Verax Rex est. Ergo mater est subditorum: *Lætabimur in te, memores vberum tuorum.* Bernardus serm. 23. in Cantic. *Audiant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, vtilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere: non dominos; studete magis amari, quam metui.* [*Sponsa filium se subditā Regē sciens, illicò ad eius vbera accurrit, quia matrē agnouit.* Cant. 1. Bern.]

22. Noë Dominus, *Terror vester fit super omnia animalia terræ.* Gen. 9. Cur non addidit, *& super homines?* Quia terrore animantia bruta subigenda: homines verò paterna pietate. Vnde totus terror, ac tremor in animantibus impenditur, ne terroris homini subdito remaneat stilla. Hieronym. ad c. 4. Thren. *Antiqui patres nostri, non Reges hominum, sed Pastores fuisse memorantur. Vnde Noe, ac filiis eius Dominus dixit: Terror vester, ac tremor fit super cuncta animalia terræ: Quorum profectò terror, ac tremor esse super cuncta animalia terræ præcipitur: profectò esse super homines prohibetur.* Liceat mihi vulgariter explicare: *Gastad todo el horror con las animales, porque de ui vn fiero para los hóbres subditos.* Pastores seu patres hominibus subditis exhibeamini. [*Dum cunctis Deus Noēmum, ac filios Principes terrarum terrorem tū animantibus impēdendum vt homini sola materna pietas superesset.* Genes. 9. Hieron.]

23\. *Dum Rex nascitur, mater subditorũ ostenditur.* Matth. 2.

Reges, qui ab Oriente quæsitori verum Regem properarunt io stella vidisse fœminam puerum humeris gestantem, seu vberibus amouentem Historici testantur; in nati scilicet Regis documentum. An illa fœmina Maria IESVM infantem gremio addicens? Aptius putarim ipsum esse hominum verum Regem, cui agnatum est suorum matrem ostentari. *Vbi est qui natus est Rex?* Matth. 2. Ac si dicerent, vbinam est ille qui cum naios obiicitur, mater suorum ostentatur. Debeo hanc cogitationem Procopio de bello Pers. *Nascitur cum bono Rege materna pietas. Nam cædes, ac bella facere, ciuitates diripere, agros depopulari, aliis forte conuenit hominibus, non nato Regi.* Natus est Rex Christus? Ergo subditis maternam osteodit pietatem.

Procop.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Plantauit vineam.

Cum verè subditi homines Dei hæreditas exponuntur, appositè sub vineæ nomine signantur.

Quia Deus expetit homines in virtute persistentes; stabilibus bonis, non mobilibus delectatur.

24\. VIdimus Dei Ecclesiam sub vineæ nomine figuratam. Quare vineam appellauit Ecclesiam? Quia Dominus non bonis mobilibus, sed stabilibus delectatur. Liceat Hispano vti idiomate: *Gusta ser señor de hacienda raiz.* Porrò vioeam ad immobilia bona pertinere quis abnegat. Id vis verbi *plantauit* osteudit, id est, propagines terræ addixit, vt emissis radicibus, stabiliri possent.

25\. *Hæreditas laborũ Deo adscribitur, quia immobilis.* Psal. 15. Bellarm.

Cecinit Vates, *Dominus pars hæreditatis mea, & calicis mei.* Psalm. 15. Præmiserat, *Dixi Domino Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Bellarminus, *Imo ego bonis tuis indigeo.* Ideo *Dominus pars hæreditatis mea, & calicis mei.* Dei vtique indigeo hæreditate. Quænam Dei hæreditas? Calix. *Calix*, (ait Cardinalis noster) qui diuidi solebat inter conuiuas pro hæreditate accipitur. Cum autem Martyribus, ac fidelibus quibusque propinat, *Bibite amici, & inebriamini charissimi:* partem eis suæ vineæ, suæ hæreditatis impertit. Iam requiris, cur calix meri laborum ex vinea Dei hæreditas nuncupetur? Ait Antoninus, *Nihil apud homines magis stabile perhibetur, quam labores.* Ergo Dei hæreditas vocitatur calix appositè, quia labores iustorum ad stabilia bona spectant. O quam agnatus Nomini homo ille, qui laboribus continuo actus, semper persistens ac stabilis in cœlesti osteotatur obsequio!

Anton.

26\. *Deus non dicitur herbas germinare, qui plãtare Paradisum dicitur, quia bonum immobile.* Genes. 1.

Fatur Dominus, *Germinet terra herbam virentem: Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis.* Genes. 1. Cum Deus plantauit Paradisum, cur non simul productioni herbarum operam dedit, telluri offerendo semina herbarum, ac olerum. Aptè vsus illo vocabulo, *Germinet terra herbam virentem.* Nec enim Deus se se agricola ostentat herbæ illicò perituræ. At Paradisum stabile bonum ipse plantauit: *Plantauit vineam, Plantauerat Paradisum.* Pulchrè Rupert. *Quæcunque Deus fecisse dicitur, manent, stabilia sunt. Fecit firmamentum, & manet. Plantauit Paradisum, & manet.* Non autem plantare curat gramina, quæ tam facilè à sole exuruntur, à ligone eradicantur: sed terræ commisit: *Germinet terra herbam.*

Rupert.

27\. *Luminaria stabilia ipse condit, aut plantat velut vites: animantia mobilia iubet aquas partu edere.* Genes. 1.

Pergit Dominus, *Producant aquæ reptilia.* Genes. 1. Ex aquis animantia, ac volatilia prodiere. Aquæ ô Domine tanti partus curam commisisti? An non immediata tam nobilis productionis actio digna erat Maiestatis tuæ? Num non animalculum terræ, aut aquæ pisciculus Solem ac Lunam superat perfectione? Si ergo luminaria cœlestia condidisti, (*Fiant luminaria*) cur non te immediato ministerio ad animantium, ac volucrum accingis productionem? Certè Deus, cui bona stabilia admodum grata, manum dedignatur admouere immediatè bonis mobilibus, id est, sydetum plantationi. Nam si Periander *stellarum botros* vocitauit, oescio quid metaphoricum vineæ apud cœlos aspexit. Quàm bellè Rupert. *Quæ mouentur in terra, & in mari, non manent.* (*Son bienes mueblet, no son bienes raices.*) *Ideicò cantum est, vt non dixerit Deus, Fiant reptilia, quorum esse citò præterit: sed dixit Deus, Producant aquæ reptile.*

Rupert.

28\. *Deus hominem propria manu plantauit bonum immobile.* Gen. 2. Tertull.

Hominem Deus ipse propria mano plantauit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* Genes. 2. Quid ad imaginem Dei hominem fieri? Idem est, ac Dei à parte post immortalitate donari. Asserit Tertullianus lib. de Resurrect. carn. *Dei manu* hominem excitatum è puluere. Dei manu plantatur? Ergo bonum immobile est, vinea est, minimè est cum mobilibus aliis creaturis computandus. *Homo sermone Dei constitit propter formam: & amplius manu, ne corruptibili vniuersitati compareter.* Ac si diceret, Quia ex forma, id est, animo incorruptibilis est, & persisteos: ideo Deus propria manu plantauit.

29\. *Deipara est Dei vinea eius manu plantata, quia immobilitatis est Mater, persistētia Magistra.* Petrar. Richard.

Legi apud Franciscum Petrar. *Nihil difficilius, quam iuuenem in castitatis proposito persistere, & agnatos voluptatis frænare motus.* Ioannes Euangelista Dei hæreditas immobilis ex perpetuo virtutis proposito. Pluribus curat ostendere Richardus Laurentin. Deiparam à Deo plantatam vioeam extitisse: *Et radicaui in populo honorificato.* Eccli. 24. Vndénam constat Deiparentem vineam esse plantatam à Numine? Certè quia bonum immobile est, homines faciens bona immobilia existere. Pulchram do ex eodem Ioanne probationem. *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.* cap. 19. Explicat Augustinus Tractat. 119. in Ioan. *Quia Actorum 4. legitur: Quotquot possessores prædiorum, vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ad pedes Apostolorum; & distribuebatur autem vnicuique, prout cuique opus erat: intelligendum est sic distributum fuisse huic Discipulo, quod opus erat.* Quidnam erat ei opus. Porrò iuueni virgini opus erat perseuerantia in puritatis proposito. Ergo ideo Dei hæreditas immobilis Maria datur Ioanni immobilitatis in exemplum, & munimen. Plantata igitur Maria vinea à Domino ostenditur, dum adeò ad bona pertinet immobilia, vt iuuenis Ioannes ex Mariæ contubernio

Ioan. 19.

August. *Deipara est virginitatis Magistra iuuenibus.*

bernio tam constans obiicitur, vt pertinere etiam ad immobilia Dei bona videatur.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Et sepem circumdedit ei.

Vineam suam cœlestis Paterfamilias sepe circundedit, id est, Angelorum custodia.

Angeli tutelaris necessitas ad hominis, Dei vineæ custodiam, expenditur.

30. Paschas.

FAtur D. Paschasius lib. 10. in Matth. *Sepe circumdedit vineam, id est, Angelorum custodia. Angelos enim illis præfuisse ad custodiam nemo qui dubitet, cum in multis locis scripturarum sit ostensum. Vnde, vt Iosephus narrat, cum iam destruenda esset misera ciuitas, & populus obsessus, vocem in ea clamasse, transeamus ex his sedibus.* Cum enim vinea destruenda bestiis exponitur, sepes tollitur Angelorum Nec enim posset destrui Synagogæ vinea, si non prius sepis custodia recederet.

31. *Angelus in circuitu nostro, vallat sepis vinea.* Psal. 33. Barrad. Ps. 124.

Psaltes expressit, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Psalm. 33. Commentarium nostri Sebastiani Barradij Euangeliorum Interpretis tom. 3. lib. 8. cap. 5. accipite. *Immittet auxilium suum Angelus custos in circuitu: erit velut sepes in circuitu vineæ. Alibi Vates, Montes in circuitu eius.* Psalm. 124. *Montes, id est, Angeli tuentur Ecclesiam, & sepes eius sunt.*

32. *Culpa sua perit vinea, si se tradit destruendā animantibus, vnica Angeli custodia addicta.* Matth. 21. Hieron.

Postquam Paterfamilias vineam sepe circumdisset, & agricolis locasset, *peregre profectus est.* Matth. 21. Cur Dominus à vinea recessit? Hieronym. *Peregrè proficisci dicitur non loci mutatione; neque enim Deus alicubi abesse potest, quo complentur omnia. Sed abire videtur a vinea, vt viatoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Proh vinea diruenda à libero vinitore! Cur deseris ô Domine, vineam, quam plantauit dextera tua? Profectò à vitio vitis, à coloni iniquitate vinea peribit; quia dum Paterfamilias eam Angelorum septo circundat omni hostili liberat ab incursu; vnde securè potest peregrini in morem, abscedere, siue recessum simulare.

33. *Post exturbatū à Paradiso Adamū Angelus sepes hortui addicitur? Ergo in hominum vtilitatem.* Gen. 3. August.

Post exturbatum de Paradiso Adamum Angelus hortus sepes addicitur. *Eiecit Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium ad custodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. Quare Adamo eiecto, Angelus custos hortui datur? An Cherubim vacuo Paradiso excubias agere? Non dubito, quin causa hominis geratur, quando Angelus sepes hortus apponitur? Hinc acutè Augustinus lib. 11. de Gen. cap. 11 *Hoc per cœlestes potestates etiam in Paradiso visibili credendum est esse factum: vt per Angelicum ministerium ibi esset quædam ignea custodia. Non tamen frustra, sed quia aliquid de Paradiso significat spirituali.* Videns etenim Doctor Cherubinum hortus sepem, mox intellexit ipsum vacuum Paradisum typum gerere animæ fidelis, vineæ vtique à Domino plantatæ. Si quidem tam augustam Dei sepem ei circumdare dignatus est.

34. *Angelus sepes Lothi vineam custodiunt aduersus vallum diruptorum.* Gen. 19.

Plantauerat Deus in Sodomis, peruersa Natione vineam electam, Lothi nempe familiam. An circumdedit sepe? *Viri ciuitatis vallauerunt domum illius à puero vsque ad finem* O quam periculo pereundi, exposita est vinea, si vallum, aut sepes ipsa est deprædatio! *Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Iamque prope erant, vt effringerent fores: & ecce miserunt manum viri & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate.* Genes. 19. Cur non exierunt Angeli sicut Loth, sed solum manum exerunt? An quia Angelorum tutelarium tam validum præsidium, vt sola manus sufficiat ad victoriam. An solam manum ostentant, ipsique ostij permanent munimentum, ne Angelica custodia vinea priuata, hostium vites paterent incursibus? O castitas Angelica custodia munita! Anselmus, *Illud nobis in hoc facto insinuatur, quia cum castitas penè vsque ad lapsum impetitur; sepe bonorum Angelorum intra conscientiæ claustra inuiolata seruatur.* An non deperiret vinea, si sepe Angelorum circumdante non muniretur.

Anselm.

35. *Angelus ventris Ecclesiæ hæreditati liliorum vallū addictum.* Cant. 7. Luc. 12.

Sponsæ Dominus, *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cantic. 7. Ecclesiæ vterus fidelibus innumeris fœcundatur. En vineam Domini Sabaoth. Verum ex vtero, seu ex natalitio fideli cœtui Angelorum sepes circumdatur. Liliis enim vallatur vinea, cum ab Angelis custoditur. Asseruit id Dominus apud Lucam fatus: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.* cap. 12. Vbi Ambrosius, *Angeli verè istius mundi flores sunt, quod eorum claritatibus ornatur mundus, bonum odorem sanctificationis aspirant: quorum præsidio fulti possumus dicere: Christi bonus odor sumus Deo.* Non solum Angelorum custodia fructus conseruantur indemnitatis iura, verum nec contra fragrantiam eius malum potest spiraculum septa penetrare.

Ambros.

36. *Speciosa ostenditur spōsa vinea ex sepis Angelorum custodia.*

Sponsus proclamat, *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam,* Cant. 2. Quænam maceries aut sepes, quæ circumdat sponsæ speciosæ habitaculum? Certè sepes hæreditatis Domini Angelus custos est, apud quem siue intra cuius protectionem anima aut vitis, aut colūba securitate fruitur. Cassiodor. *In cauerna maceriæ moratur, qui præsidio Angelorum vndique circumdatur, & a tentationibus diaboli custoditur.* Ideo speciosa Dei dicitur, quia Angelorum sepe vinea circumdator.

37. *Angeli missi in ministerium sepa, propter electa vineæ custodiam.* Hebr. 1. Eccli. 24.

Ait Paulus, *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* Hebr. 1. Quidnam, precor, capere salutis hæreditatem, nisi in hæreditate Domini commorati, seu vitem vineæ Dei existere? Vel ipsa Virgo se huius hæreditatis vitem profitetur, *In hæreditate Domini morabor.* Eccli. 24 Missi ergo Angeli sunt in ministerium propter vites. Quódnam in ministerium missi obiiciuntur? Certè in sepis officium ad vineæ custodiam. Tertullian. lib. de Anim. c 37. *Nos diuina officia Angelos credimus.* Id est, omnibus

Tertull.

eis funguntur officiis, ac ministeriis, quibus Dei hæreditas indiget. Ad præsidium vineæ turris, ad exprimendos botros torcular, ad custodiam vineæ sepes ostentantur.

38. *Angelus velut Mercurius est ad omnia ministeria, quibus indiget homo, paratus. Adest vineæ? Sepes est.* Tertull.

Poëtæ Diuorum officia suum Mercurium finxere, quia muniis omnibus paratos auolabat. Pennatus ille Diuorum nuncium, eloquentiæ Magistrum, hominum custodem agebat. O Angelos Mercurios ad omnia præparatos erga salutem hominum ministeria! Tertullianus citat. cap. 52. *Tunc anima enunciat, quæ videt;* (agit de homine obeunte) *tunc exultat, aut trepidat; prout paraturam diuersorij sui sentit de ipso statim Angeli facie euocatoris animarum, animarum, Mercurij Poetarum.* Cur Angelum appellauit Mercurium. Certè quia quemadmodum ille fingitur ad omnia hominum subsidia paratus: sic Angelus cuncta circa hominum salutem exerit ministeria. Premeris hostibus? Exercitus est. Ignorantia laboras? Magister existit. Ægritudine premeris? Medicus ostenditur. Vinea es Domini Sabaoth? instar sepis, circumdat.

39. *Tobias apud custoditum aduersum cuncta incōmoda velut vinea electa. quia incircumita habebat sepē Raphaelem.* Tob. 5.

Postquam Tobias adolescens discessit è patria domo, Raphaële comitē: mater eius cœpit inclamitare: *Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. Nunquam fuisset ipsa pecunia pro qua misisti eum. Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* At senex, *Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.* Peribit planè vitis à vinea separata. Non peribit; iam enim Deus vineam suam totam iam olim ex Ægypto transtulit in Iudæam, & plantata est rursum in Palestina; quia Angelus ei custos addictus est. *Credo enim, quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.* Particulam illam, *Circa eum*, liceat inuertere, *Circum eum.* Si circumdatur vineæ germen Angeli custodia, incolumis proculdubio reuertetur. Profectò mulier, quæ vocibus æthera complebat, lachrymis terram humectabat, vt audiuit Angelum sepem esse viris suæ, nec fleuit, nec clamauit. *Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.* Sola vox promittens Angelicum præsidium filio absenti potuit vociferanti fœminæ silentium indicere.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Et sepem circumdedit ei.

Primum Patris familias studium, vineam septo circundare ad honorem custodiæ, non ad suspicionis vituperium.

Nec enim indicium suspecti animi in Præsule, subditum custodire, sed æstimationis. Quod enim magni habetur, assolet custodiri.

40. Anselm.

Quam prudens, quam vineæ æstimator Dominus ei sepem circumdedit. Anselm. *Circumdedit ei communitionem, scilicet murum, Angelorum custodiam, bellicosorum virorum, vt David, & Machabæorum. Custodiam Patrum iustorum* (Chrysostomus) *circumdedit ei. Dei* (Origenes) *custodiam Deus adiixit vineæ suæ.* Quasi tantum apud Patrem familias studium circa vineæ suæ custodiam, vt non satis gestum ei fuisset Angelis, militibus, sanctis, muro muniisse, si vel Deus ipse vineæ sepes non extitisset. Proh Præsulis suspecta excogitatio! Haud vineæ, haud subditi constantiæ fidit, qui tot ei custodias apponit. Liceat exponere vulgari idiomate. *No se fia del subdito, pues le guarda tanto.* Stulta planè obiectio. Studium custodiæ non habet ortum à diffidentia Præsulis, sed ab æstimatione hæreditatis. Quia magni ducit subditum, curat diligentissimè custodiri.

Chrysost. Origen.

41. *Adamum Deus custodiuit, quamdo dilectus erat, quia magni ducebat: post peccatum à custodia emisit.* Genes. 2.

Curat vir, vxorem suam anteambulationibus, & subsequenti famulorum satellitio stipari, dum incedit. An diffidentiæ comitatus? Minimè, sed honoris, & æstimationis documentum. Quercus fructibus suis immunda animantia pascens sine septo excrescit in silua. At vitis dulcium botrorum mater arcto custoditur in septo. Custodiam hanc non diffidentiæ, sed æstimationis effectum voritatim. Adamus exortus Numini obediens, & illico in paradiso clauditur. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt custodiret illum.* Genes. 2. *Vt custodiret illum.* An Adam paradisum custodire debebat, an Deus Adamum? Posuit Deus hominem in Paradiso, vt custodiret hominem. Augustinus lib. 8. in Genes. cap. 10. *Vt Deus custodiret hominem.* Addit Pater opportunè, *Contra quos hominem custodiret? Nullus certe inimicus metuebatur, nullus fur, nullus limitis perturbator. Quomodo illud?* Deus custodit hominem? *Quare? Numquid enim bestiæ iam in hominem sæuiebant? Quod nisi peccatu non fieret.* Quare? Quia hominem conditor magni æstimat. Custodia illa, quæ nullatenus poterat ex cautela ortum ducere; quia nullus hostis circuibat: orta est proculdubio ex rei custoditæ pretio, & æstimatione. Custoditur homo, quia magni à Numine æstimatur. Delinquens è custodia detruditur.

August.

42. *Quod infirmum est, Deus nō dicitur custodire, sed quod forte, vt innuat, ex æstimatione custodire fures.* Ezech. 34.

Ex ore Prophetæ Dominus, *Ego pascam oues meas, quod perierat, requiram; quod abiectum erat, reducam; quod confractum fuerat, alligabo; quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue, & forte custodiam.* Ezech. 34. O Deum immortalem! Non custodis infirmas oues, quæ pereant, fragiles subditos, qui deliquerant, non recludis: & fortes, qui nunquam recessere, custodis? Igitur euidenter probas, custodiam istam non esse effectum suspicionis, aut diffidentiæ: sed æstimationis.

43. *Prodigū qui non clausit quando iniquus erat, brachiis circumdat, vt custodiat, quando sanctus efficitur, quia tūc charus Domino.* Luc. 15. Chrysol.

Prodigus pœnitens paternam recurrit ad domum, patris charissimis brachiis illigatur: *Accurrens pater, cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Luc. 15. D. Chrysol. serm. 5. *Penes patrem est absoluta custodia.* Preme τὸ *Absoluta*, id est, nō respectiua ad crimen præteritum. Ac si diceret, Non brachiorum meorum sepe claudo filium, quia fragilis fuit; sed quia fortis est iam, & annulo perseuerantiæ illico muniendus. Imo ô Domine, quia fortis non indiget septo. O Præsulis actio prudentissimi! Qui dum fragilis erat subditus de specialissima custodia non egit: cum fortis est, cum sanctus, specialissimè prouidentiæ

dentiæ suæ ac protectionis sepeo claudit; vt innouat appositam subdito custodiam æstimationis quidem, ooo suspicionis, aut diffidentiæ esse documentum.

44. *Cælum munit Deus custodia, quia sanctum.* Iob 26. Beda.

Muris, columnisque Deus cœlos communit. *Columnæ,* (ait Iob,) *cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* cap. 16. Custodiam Deus cœlis addixit? De eorum planè diffidit fortitudine. O stultitiam! Ideò custodit quia totius origo puritatis. Custodia illa ornatus est, non compedes, non catena. Beda, *Sicut ad ornatum solummodo ædificiorum columnæ plerumque permagnificæ erigi solent.*

45. *Sponsam, in qua confidit cor viri sui, Deus sepe custodit.* Apoc. 21.

Sponsam nouam Christus ad terras emisit, Ioanne vidente, & profante: *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem à Deo paratam,* (aliqui exposuere, *muro circumdatam,*) *sicut sponsam ornatam viro suo.* Apoc. 21. An ex diffidentia sponsos vineam suam sepe cinxerit, ciuitatem muro circumuallauit? Certè *confidit in ea cor viri sui.* Prou. 31: Murus autem apponitur ad ornatum, & ad æstimationis documentum.

46. *Thesaurus signaculo custoditur, quia [illegible] thesaurus est.* Luc. 12.

Dominus fatur, *Facite sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælo.* Luc. 12. Porrò idem est sacculo pecuniam addicere, ac signare custodia, iuxta illud: *Signasti quasi in sacculo peccata mea.* Si cœli est thesaurus, si non est defecturus, (*Thesaurum non deficientem in cælo,*) quare in sacculo custoditur? Haud est in thesaurum suspicio, sed illius indefectibilis virtutis æstimatio. Pulchrè

Chrysol.

Chrysologus serm. 25. *Sacculus cur paratur? Quid tibi claustra, vbi ipsa custos est innocentia? Ibi quid signaculum, vbi suspicio fraudis non habetur?* Non habetur fraudis suspicio, & tamen thesaurus custoditur? Ergo iustus custodiri non renuat, quia sicut vile est quod sine custodia exponitur: magni pretij existere indicatur, quod sub velaminum custodia, quod sub seris collocatur.

47. *Sydera, non Cometes Deus sub signaculo custodit.* Iob 9. Caietan.

Iob appositè, *Qui stellas claudit quasi sub signaculo.* cap. 9. LXX. *Contra sydera signaculum ponit.* An contra opinionem, seu famam syderum, ea Deus sub cancellis nubium, sub cœli repagulis concludere? Caietanus acutè, *Pro stellis signauit.* Haud clausula illa est *Contra* stellas, sed *Pro* stellis. Cometarum fax pro libito sine compede discurrat in æthere; quia parui æstimatur. At stellæ stabiles, sine defectu fulgentissimæ sub signaculo concludantur in decoris earum reuerentiam.

Observat. V.

Ad illa verba:

Et sepem circumdedit ei.

Vineam suam Deus antiquorum Patrum patrocinio velut sepe circumdat.

Assero, ob virtutem parentum à Deo donari filios custodia, & cælestibus bonis oppleri.

48. Hilar.

Diuus Hilarius sic sepis mysterium expendit: *Sepem circumdedit ei. Nobilitate Abrahæ, Isaac, & Iacob Iudæos intra fines suos tanquam septo aliquo custodia peculiaris inclusit.* Deus filios sepe custodit, ob parentum, ob proauorum sanctitatem.

49. *Gigantes ob patris sanctitatem custodiuntur fortes in natura, ob matris nequitiam tradũtur cum vinea, ipsi sceleribus famosi.* Gen. 6. Cæsar.

Humani generis vinea radicitus auulsa, mysticè Noë *plantauit vineam,* id est, humani generis extruendæ congregationi dedit operam. Quânam sepe vineam circumdedit? Porrò virtutes proauorum vites reliquas conseruarunt: quemadmodum vitia parentum in auulsarum vitium exitium influxere. *Gigantes erant super terram; isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Gen. 6. Porrò gigantes filij Sethi & Caini: ex bono parente Setho prodiere fortes: *Isti sunt potentes à sæculo:* ex praua autem filia Caini famosi è criminibus exponuntur. D. Cæsarius Dial. 1. *Filij Seth filij Dei intelligendi sunt, qui ad filias Cain ingressi sunt, ex quibus editi sunt gigantes, propter iustitiam quidem Seth robusti: propter Cain autem mali.* Proclamat Conditor, Non permanebit. *Spiritus meus in homine, quia caro est.* Liceat vulgariter exponere mentem: *Desco peso la viña;* quia gigantes, quos obtruere nitor filij Caïn. O Domine, sunt & filij Seth. Vites reseruentur, quæ sufficiant totius vineæ renouationi.

50. *Animantia munda seruantur à diluuio ob mūditiem progenitorum.* Gen. 7. Basil. Sel.

Noë Dominus, *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena.* Gen. 7. Cur animantium conseruatur progenies? An non satius noua producerentur? Profectò Dominus ob animantia munda præterita, futuris mundis filiis dedit, totam progeniem sursum exponere. D. Basilius Seleuc. orat. 6. *Generis radix seruatur, vt prisci mundi operis iura cum dignitate retineantur.* Ius enim quoddam acquirit bonus pater, vt filius eius puritatis memoria, à Deo benedictione donetur.

51. *Non exprimit Scriptura, Deum filiorum Noë recordatum, ad eos tuendos, quia per seniorum, futuros felices ex parentis sanctitate.* Gen. 8. Ambros.

Post vniuersi obrutionem, *recordatus Deus Noe, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Gen. 8. Vbi Ambrosius lib. de Parad. cap. 16. pulchram excitat quæstionem. *Mouentur plerique, qua de causa non dixit Scriptura, quod etiam vxoris, & filiorum Noe memor fuit Dominus: cum bestiarum, & iumentorum fuerit memor?* Profectò subticuit Moyses id, quod necessitate consequentiæ erat per se notum. Nam si memor erat patris pij, & sancti, quomodo non memor esset filiorum: vt respectu pietatis paternæ à diluuij incommodis liberarentur. Sic Doctor, *Sed cum dixerit, quod Noë memor fuerit, in authore,* (seu patre,) *domus necessitates eius reliquas comprehendit,* id est, filios, quos sepes virtutis paternæ à diluuij incursibus custodiuit.

52. *Vt Deus beneficia conferat in filios Abrahæ fidelissimi, quasi de lapidibus suscitat nouos filios Abrahæ, quia priores reprobandi erant.* Matth. 3.

Ioannes peruersis Abrahæ filiis Iudæis proclamat, *Ne velitis dicere contra vos; Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, Quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Matth. 3. Asserit Hilarius lapides hîc vocari Gentiles, quos Deus suscitaturus erat filios Abrahæ. *Non successio carnis quæritur, sed fidei hæreditas. Igitur vniuscuiusque mores, aut vita propinquitatem cognationis acquirit; vt qui fideles sunt, Abrahæ propago per fidem fiat.* Quare igitur Deus curauit Gentiles Abrahæ nomine nobilitari filiorum? Profectò cùm veri ex sanguine Abrahæ filij reprobandi erant ex lapidibus, seu ex Gentilibus Deus suscitat gratiæ filios, quos Deus custodit in gratiam Abrahami

parentis Iudæorum. Tam necessaria enim consequentia est, filios custodiri ob virtutem parentum: vt quando Iudæi filij Abrahæ ob Christi necem reprobantur: è lapidibus Gentilibus suscitat Dominus potentissimus alios Abrahæ filios, quibus possit ob parentis memoriam benedictiones impertiri.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Fodit in ea torcular.

In vinea sua Dominus crucis, seu tribulationum torcular fodit, quo botri premantur fideles.

Tribulationum enim pressura cogit homines ad probe viuendum.

53. Cassian. Anselm.

QVidnam torcular? Simon Cassianus, *Crux Christi.* Anselmus, *Tormenta legalia, per quæ cogeretur vineæ lecta ad bene viuendum.* Quam prudens Pater familias, vt vites cogat ad fructus proferendos, ad multum dulcissimum emittendum è botris, laborum torcular effodit! Pressuræ etenim nos efficiunt rectis operationibus studere.

54. *Ne corruant spirituales parietes, licet lapidei, necessarium laborum stabilimentum.* 3. Reg. 6.

Templum Salomonis contemplere, cuius sic parietes describuntur. *Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis. A pauimento domus vsque ad summitatem parietum & vsque ad laquearia operuit lignis cedrinis intrinsecus.* 3. Reg 6. Parietes Templi è dolatis lapidibus exsurgebant fortissimi. An lignorum vi indigerent ad stabilitatem? Certè mystici parietes, id est, iusti sanctissimi ligno Crucis, seu laboribus indigent ad perseuerantiæ stabilimentum. D. Isidorus, *Quod parietes Templi interius ligno teguntur, hoc in mysterium Crucis imaginatum est. Sub laborum tutela proseguntur omnes sancti, quia indisrupta pacis solidantur perseuerantia.* Cogunt enim labores ad rectè viuendum.

Isidor.

55. *Vinea non infirmatur à temporis, seu hostium iniuriis immunis, sine laborum prelo.* Isai 5. Basil.

Isaias appositè, *Vinea facta est dilecto meo in cornu filij olei.* cap. 5. Vbi Basilius, *Ob hoc in cornu tanquam aduersus inimicum habente arma tutelaria, nempe crucem.* Dum enim fidelis vinea temporum iniuriis agitur, dum crucis cornu petitur, dum vulneribus sauciatur dilecti hæreditas perseuerat. Vinea Domini Sabaoth domus Israël erat in Ægypto. Difficilè planè in medio Nationis peruersæ poterat vinea dilecta custodiri, nisi tribulationum Dominus fodisset torcular, quibus acti Hebræi Domino litarent obsequium. *Oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Exod. 1. Cur vineam electam ô Conditor tot permittis calamitatibus agi? Quia si in silua Gentilitatis non peruertenda est, necessarium est laborum torcular in vinea fodi. Ideò ô Domine, *vineam de Ægypto transtulisti* integram, puram, palmitibus pulchram, fœcundam botris.

Exod. 1.

56. Iacob *calamitate Deo gratias reddit, quia eum ipsa calamitatis vis in virtute continebat, alias fortè conquereretur, quia querelas excitat donum repetitum.* Auson.

Scitè Ausonius, *Querelarum fomitem excitat, pro quisquis ab amico repetit munus ipsum, quod ei donauerat.* Curabat Deus Iacobum ita sanctum ostendi, vt gratularetur Domino de ablato munere præstantissimo filiorum. Acceperat filios, speciatim Beniaminum augustissimum munus à Domino acceperat. Repetit Deus munus, dum cogit Beniaminum ad Ægyptum pergere. Se Iacob orbatum filio charissimo lamentatur. An querelas in Deum excitauit, quia munus repetiit? Minime, sed potius in virtute persistens Domino, qui munus repetebat, gratulatur. Vndénam tanta animi continentia? Crediderim, à laborum prælo ortum habuisse. *Deus meus omnipotens,* (ait,) *faciat vobis eum,* (Ægypti Proregem,) *placabilem, & remittat fratrem vestrum, quem tenet, & hunc Beniamin; ego autem quasi orbatus absque liberis ero.* Gen. 43. Vbi pulchrè Lippomanus postquam hanc Iacobi calamitatem exaggerat, concludit: *Obruit Dominus mærore magno amicum, vt profusius gratuletur.* Ipse enim mœror, ipsa laboris pressura coëgit eum non solum non conqueri, sed & gratulari. Sic labores continere assolent homines in virtutis instituto.

Gen 43. Lippom.

57. *Dauid in virtute persistit ex laborum pressura.*

Dauid vinea electa à Domino, quam torculari tentaminum extructo in virtute iuxta plantatoris cor conseruauit. Samuel vncturus vnum è filiis Isai apud Bethleem inuoqendum exquirit. *Cúmque ingressi essent filij, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, quoniam abieci eum.* Reliquos similiter Deus abiicit, vnicum Dauidem in sanctitate persistiturum eligit. 1. Reg. 16. Vndénam Dauid vinea semper à Domino electa, vitis nunquam in ignem emittenda? Porrò ex laborum pressura, quibus, velut in torculari curauit Deus Dauidem diuexari ad virtutis stabilitatem, & incrementum. Basilius Seleuc. orat. 16. *Cur in Dauidem solum inspiciens Deus, alios omnes homines despexerit?* Vidit Dauidem iuxta cor suum stabilis virtutis. Vndénam acquisierit? Certè ex laborum muneris pastoritij sustinentia. *Rectorum virtutem non prodit tranquillitas, neque qui fertur in puppim ventus; sed cum ventorum impetus, & vndarum insultus feruent. Aurum probat ignis: viri vero virtutem constant vota aduersa.* Iam à maiori ad minus arguo.

1. Reg. 16. Basil. Seleuc.

58. *Impij acti laboribus resipiscunt: ergo facilius pij in probitate laboribus acti continentur.* Tull. Hesiod.

Agesilaus de quibusdam Asiaticis viris locutus, inquit, *Si libertate fruerentur, malos, si seruirent, bonos fore.* Id quod de Caris, Lydis, Mysis, ac Troianis Tullius expressit orat. pro Flac. Græcum illud Trocaycum Latinè expressum, pulchrum,

Phryx verberatus melior, & obsequentior.

Hesiodus opere sex dier.

——— Tandem suam pœna nocentem
Consequitur, passúsque sapit tum denique stultus.

Atheista Mezenzius, blasphemus in superos, de quo Poëta Æneid. lib. 12.

Virgil.

Contemptor Diuum Mezenzius.

Qui profabatur impius:

Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro.

At cum filius Lausus oculis eius obiicitur ferro Troiano transfixos, prælo actus laborum bonam surgit in vitem.

——— Et ambas
Ad cælum tendit palmas.

Scaligerum audi in Poët. *Poetarum Rex resipiscentem*

Scalig.

piscentem fingit in calamitate Mezentium, qui paulo ante Cælestes lacerat impius. Si impius, si atheista laboribus actus resipiscit: quid non vir pius in probitate contineatur, dum laboribus premitur?

Observat. VII.

Ad illa verba:

Et ædificauit turrim.

Pater familias Deus ad protectionem, & incolumitatem vineæ electæ ædificauit turrim, id est, Templum erexit.

Templum enim tota fidelium est incolumitas, securitas, protectio.

59. Anselm.

ANselmus, *Ædificauit turrim, id est, Templum.* Certè si turris, (vt vidimus,) extructa fuit ad vineæ defensionem & incolumitatem, simúlque plantatoris habitationem: dum Deus habitat in delubro totam vineæ fœlicitatem promittit ex securitate, ex incolumitate.

60. *Beatus, qui apud vrbem, aut oppidū, vbi Templū erigitur, commoratur.* Isa. 31. Saà.

Isaiæ ex ore Pater familias ait, *Sicut aues volantes sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens, & liberans, transiens, & saluans: dicit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* cap. 31. Preme particulam, Cuius ignis est in Sion, &c. Emanuël Saà, *Qui colitur sacrificiis, quæ comburuntur in Sion.* At LXX. legerunt aptius argumento, *Beatus, qui habet semen in Sion, & domesticos in Ierusalem.* Liceat Hispanè exprimere, *Bien auenturados los que tienen casa, y hogar en Gerusalem.* Quare? Quia Templum extructum inibi eos ab omni tuebitur periculo, omni opplebit fœlicitate. Nam cum in vrbe, in oppido Templum extruitur, simul perpetua loci nascitur incolumitas.

61. *Beniamin non adorat fratrē, quia non timet aliquo incommodo affici, ex Templi protectione.* Gen. 43. Abul.

Iosephi fratres ad Ægyptum cum Beniamino reuertuntur fame tracti, ac recuperandi fraternæ libertatis solliciti: *Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis, & adorauerunt proni in terram.* Gen. 43. Quare adorationis obsequia præstitere? Externam adorationem vtrum ducere existimat *aut ex deuotione, aut ex timore* Abulensis. Adorationem prætendunt Iosephi fratres, quia timebant Proregis seueritatem in se ob pecuniarum in sacculo inuentionem; in fratrem obsidem, in Beniaminum parentis delicias. Porrò cunctis fratribus adorantibus, solum Beniaminum minimè adorasse Iosephum asserit Græcus Author in Cat. *Cúmque adorassent eum fratres sui. Notandum, quod Beniamin Iosephum quemadmodum reliqui fratres non adorauit.* Quare precor ab adoratione abstinet, qui plus timere posset, ne non incolumitate donaretur ille, cuius aduentum Prorex totis viribus procurauit? Tutus erat Beniamin ab omnis periculi timore. Iam requiris, vndénam illi securitas? Respondet acutè Græcus, *Ideò, quod in partes Beniamin cessit Templum.* Pulchrè. Qui futurus erat possessor arcæ, vbi Templum Dei erat construendum, iam nullum hominem causa timoris adoret; quia vel vicinitas futura delubri eum iam ab omni liberat formidine, omnem stabilit securitatem.

Græcus.

62. *Petimus à Deo in Templo commorante, à malis cunctis liberari.* Matth. 5.

A Deo petimus ab omni tentamine, ab omni malorum incursu liberari. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* A quónam petis, obsecro, ab omni incommodo liberari? Certè à Patre cœlesti: *Pater noster, qui es in cœlis: ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Matth. 5. Cur non dicimus, *Pater noster, qui es vbique?* Cur speciatim cœli exprimimus habitaculum? Respondet acutè Augustinus epist. 57. ad Damasc. *Non dicimus Pater noster, qui es vbique licet vbique Deus sit per diuinitatis præsentiam; sed Pater noster, qui es in cœlis; vt Templum eius potius in oratione hac commemoremus.* Igitur Templum cœlum est, & cum dicimus, Pater noster, qui es in cœlis, idem est, ac si diceremus: *Pater noster, qui es in Templo.* Quare ergo in hac oratione Dei auxilium à Templo euocamus? Certè quia nunquam Deus sic paratus obiicitur ad nos ab omni malo liberandos, ac dum in Templo requiescit.

August.

63. *Iacob se videns fœlicitatibus à Deo donatū, protectione munitum, indicat id à Deo in Templo habitante prouenire.* Gen. 28.

Iacob sub protectione Dei cœli commorabatur. Dormiens vidit scalam, & à Numine audiuit, *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritque semen tuum sicut puluis terræ. Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo omnes Tribus terræ. Et ero custos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.* Gen. 28. Porrò Iacob euigilans post tot audita diuinæ munificentiæ documenta circa incolumitatem, circa futuram fœlicitatem, protinus inclamauit, *Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi Domus Dei.* Licèt ne vulgariter explicare? *Tantos bienes juntos? A qui esta la casa ò Templo de Dios.* A sola enim templi vicinitate tot possunt homini commoda exoriri. Chrysostomus hom. 36. in 1. ad Cor. *Ecclesia est locus Angelorum, domus Dei, & ipsum cælum.* Ergo non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. *No puede ser otra cosa, que casa de Dios, de donde me vienen tantos bienes.*

Chrysost.

64. *Omnis fœlicitas hominum, omnis protectio à Templi turri.*

Quid plura? *Vouit etiam Iacob votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo: & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum; reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei.* Genes. 28. Asserunt nonnulli expositores lapidem illum fuisse à Iacobo erectum in Templi domus Domini simulacrum. Quid ergo fœlicitatis, prosperi itineri, ac incolumitati Iacobi cum Dei domo, cum Templo? Profectò Iacob piissimè putauit omnes fœlicitates, omnem hominis custodiam à Templi protectione exoriri: *Lapis iste, quem erexi, vocabitur Domus Dei,* qui ædificauit turrim, id est, Templum in vinea ad vitium protectionem, in cuius simulacrum iam olim Iacob erexit lapidem in titulum.

OBSERVAT. VIII.

Ad illa verba:

Sepem circumdedit ei, fodit in ea torcular, ædificauit turrim.

Deus exerens tot circa commoda vineæ, ministeria, ipsius vineæ desidiam taxat.

Gratia enim Dei operantis in nobis nostram cooperationem requirit.

65. AD vnius vineæ protectionem, custodiam, & commoda Deus plura exerit ministeria sepe circumdat hæreditatem, fodit torcular ad fructuum pressuram, extruit turrim ad vinitorum habitaculum: hæc autem præstitit postquam plantationis laboriosæ incubuit exercitamento. An non subtaxat Dominus vineæ desidiam, quæ ad propria commoda nulli exantlando labori studium parat. D. Ambrosius serm. 50. ad Psalm. 118. *Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit: cur ipsi fugitans sis laboris?*

Ambros.

66. *Adami vineam Deus plantauit, fodit in ea torcular, sepem circumdedit ei, sed requisiuit ipsius cooperationem.*

Cum Deus dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 2. hanc vineam plantauit. Præterea plura circa vineæ commoda munia gessit, *Formauit Deus hominem de limo terræ. Tulitque eum Dominus, & posuit in paradiso voluptatis, vt operaretur illum.* Ibid. An arrepto ligone Adamus sui culturæ operam adhibuit? Minimè verò. O desidiam! Non te pudet ô vinea, dum te Dominus plantat, dum extruit turrim, & fodit torcular ad tua commoda, propriæ culturæ negligere studium? Pulchrè ad rem Chrysostomus, *Plura Deus sine agricolarum opera fecit, plantauit vineam, cum formauit hominem; maceriem circumposuit, cum tulit & posuit in paradiso: ædificauit turrim. Paruum quid agricola Adamo opus ipse reliquit; vt scilicet plantata iam vinea curam haberet, & quæ data fuerant, conseruaret. Nihil tamen homo lucratus est.* Quia scilicet desidia laborauit. Non te pudet? Deus in te laborauit, qui expers laboris est: & tu fugitans es laboris?

67. *Deus preparat, in morē artificis, lapides, præscribit opus, sed tradit homini salutem æternam simul cum ipso agendam.* Apoc. 21.

Vis ne Deum vniuersa præstare, vt absque vllo labore fructibus potiaris? Dominus expetit te simul exerere ad operationem manus. Vidisti artificem extruendæ domui studium impendentem? Ipse describit, aptat, disponit, præparat, laborat deoique: sed simul ministrorum operationem requirit. *Vidi*, (ait Ioannes,) *ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo, à Deo paratam.* Apoc. 21. Ciuitas paratur ab artifice, sed traditur homini perficienda. Nostram salutem, id est, in cœlesti Ierosolyma commorationem, Regnum illud paratum est nobis à constitutione mundi, sed non perfectum; requirit enim Dei operatio nostram cooperationem. D. Leo serm. 5. Quadr. *Quia rationales lapides sumus, & viua materies, sic nos Authoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur.*

Leo.

68. *Gratia Dei non est pauper vinitor, sed diues Pater familias, dirigit ad opus, & iuuat, sed vinitor cultor ostenditur.* 1. Cor. 15. Enod.

Metaphora alia Paulus vtitur pulchra planè, *Gratia eius in me vacua non fuit.* 1. Cor. 15. Vbi D. Enodius, *In me egena non fuit.* Quare gratiam vocitauit egenam? *Christus in me, quem dignè, aut abundanter muneraret inuenit. Non enim pauper est diuina gratia.* Ego sum pauper vinitor conductus ad operationem, non diuina gratia: pauper non est operarius conducendus, sed diues Pater familias conducens operarios in vineam suam. Illa ex denario diurno operarios in vineam pauperes immittit, vt dignè & abundanter muneret laborantes: non est autem ipsa pauper operarius: hominis operatio requiritur, sine gratia conducente, ac iuuante non possum colere vineam; sed ipsa gratia operante sine operariorum ministerio, non sufficit ad æterni denarij acquisitionem, quia non est pauper vinitor diuina gratia sed diues Pater familias conducens in vineam operarios. *In me ergo*, (inquit Apostolus, *egena non fuit diuina gratia, sed abundanter egemus ego laborans, Expende*, (addit Chrysostomus,) *& prouidentiam Dei ineffabilem circa vineam, & otiositatem inauditam agricolarum.*

Chrysost.

69. *Gratia est vinea aqua fœcundans, sed homo est terra germinans.* Gen. 1. Origen.

Fatur Dominus, *Germinet terra herbam virentem.* Gen. 1. id est, homo vinea Domini Sabaoth germinet fructus. Deus iubet hominis terram germinare operum fructus: gratia Dei aqua est fœcundans tellurem; sine aquæ ope terra non sufficit fructus edere: sed ex solius gratiæ rigatu sine hominis cooperatione vitæ æternæ fructus non exponentur. Origenes ad hæc, *Si iam facti sumus terra, si iam non sumus arida, offeramus fructus vberes, & diuersos Deo; vt & nos benedicamur à Patre dicente: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Nam sicut idem Pater ait, Plenitudo agri mecum est: ita & filios habere vult, mediante gratia sua aqua.* Plenus est itaque ager: *Sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Cum Deo est agri plenitudo. Profectò plenus est hominis fœcundus ager ex ipsius operatione; plenitudo hæc cum Deo est, siue ad ipsum spectat; quia gratiæ suæ aqua tellurem fœcundauit.

70. *Necessaria hominum opera, vt gratia semina fructus efferant.* Luc. 8. Iustinian.

Ait cœlestis Agricolæ Filius Dominus hæreditatis, *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Pars quidem granorum excidit in spinas: pars in terram bonam: tellus spinis plena non reddidit fructum. Luc. 8. An seminatoris culpa? Minimè, gratia enim grana misit, sed agricultoris incuria periisse compertum est. Laurentius Iustinianus de Discipl. Monast. cap. 20. *Si inculta permaneat*, (post gratiæ semina,) *terra vepribus repletur, & inutilis efficitur. Nec verò minori diligentia humani corporis terrena substantia disciplina spiritualis vomere colenda est, si ex gratia bonos Deo vis producere fructus.* Plura mitto.

SECTIO

SECTIO II.

Vinitorum Iniquitas.

TEXTVS.

VERS. 34. CVm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. 35. Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. 36. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. 37. Nouissimè autem misit ad eos Filium suum, dicens: Verebuntur Filium meum. 38. Agricolæ autem videntes Filium, dixerunt intra se, Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. 39. Et apprehensum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De seruorum replicata immissione.

1. *Temporis appropinquatio.* *Raban.*

CVm *autem tempus fructuum appropinquasset.*] Haud fert vinea omni tempore fructus: certa instantia temporis ad botros producendos, tradendósque torculari ad meri expressionem. Adnotat autem Rabanus, *Tempus dicit aduenisse, non prouentum; nullus enim fructus populi contumacis.*

2. *Serui mittuntur, vulnerantur, occiduntur.*

Misit seruos suos, &c.] Pater familias suos seruos immittit, qui vineæ fructus caperent à colonis. Porrò homines operum fructum omni tempore debent afferre. Fructus autem hi fides charitas, bona opera. Marcus, & Lucas narrant, primum missum fuisse vnum seruum, deinde alium, alium postmodum. Matthæus noster asserit multos fuisse immissos primum, postea autem plures prioribus. Adumbrant hi serui, quos coloni vulnerauerunt, & occiderunt Prophetas, quos Iudæi vita priuarunt. Fatur Dominus, *Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Luc. 13. *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti.* Act. 7. Et Paulus, *Iudæi Dominum occiderunt, & Prophetas.* Thessal. 2.

Luc. 13. *Act. 7.* *Thessal. 5.*

3. *Roboratur expositio ex Patribus.* *Anselm.* *Chrysost.* *Anselm.*

Roboro expositionem ex Patrum obseruationibus. *Misit seruos suos ad agricolas.* Anselmus, *Scilicet Moysem, & Aaron legiferos.* Chrysostomus, *Misit Prophetas.* Anselmus, *Serui hi missi sunt ad agricolas, qui se colebant. Missi autem sunt, vt inquirerent fructum legis. Apprehensis ergo legis custodibus, alium ceciderunt, scilicet Ieremiam. Alium occiderunt, nempe Isaiam. Alium verò lapidauerunt, videlicet Zachariam, quem occiderunt inter Templum & altare. Iterum misit alios seruos plures, &c.* Chrysostomus, *Per singulos gradus malitia Dei misericordia addebatur: & per singulos gradus misericordia Dei, Iudæorum malitia crescebat.* Hieronymus, *Misit igitur plures prioribus, scilicet Prophetarum choros.*

Chrysost. *Hieron.*

§. II.

De immissione Filij, eiúsque nece.

4. *Christus mittitur.*

NOuissimè *autem misit ad eos Filium suum.*] Christus Patris familias Filius est, qui post Prophetas mittitur ad agricolas, vt fructus fidei, bonorúmque operum peteret. Ast illi pro fructu mortem acerbissimam detulere, crudeliúsque in Filium, quam in famulos sæuierunt.

5. *Quónam modo particula, Forsitan, conueniat Deo scienti agricolas occisuros Filium.* *Hieron.*

Forsitan verebuntur Filium meum.] Quónam modo Deo scienti Filium vulnerandum, & occidendum à Iudæis vinitoribus hæc verba tribuentur? Hieronymus asserit hic liberum hominis arbitrium significari. *Quod inquitur, Forsitan verebuntur Filium, non de ignorantia venit. Quid enim nesciat Pater familias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur? Sed ambigere dicitur Deus, vt libera voluntas hominis reseruetur.* Hæc tenet Beda, Anselmus, Glossa Interl. D. Thomas, & alij. Chrysostomus sic exposuit, *Dixit, Forsitan verebuntur Filium, quæ debuissent fieri, enarrans. Non quia ignorabat, sed ne quidem ex amentia dicerent prædictione Dei coactos obtemperare non potuisse. Idcirco Dominus huiusmodi vtitur orationis figura.* Theophylactus, *Non dicit ignorans, sed significare volens, quid facere deberent.* Caietanus, *Non significatur, quod erit, sed quod esse debet ex conditione personæ.*

Beda, & alij. *Chrysost.* *Theophyl.* *Caiet.*

6. *Auctoris expositio.*

Facilius dixerim cum Barradio, & aliis particulam hanc ad significationem parabolæ non pertinere, sed exornationis causa à Patre familias expressa.

7. *Indicatur Concilium Iudæorum contra Iesum.* *Ioan. 11.*

Hic est Hæres, venite, occidamus eum.] Indicant verba hæc Concilium illud, in quo Caiphas, cæterique statuerunt hominem Christum occidendum pro populo, ne tota gens periret. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Ioan. 11. In parabola affingitur causa, cur coloni Patris familias Filium voluerint occidere, id est, vt hæreditatem eius, id est, vineam possiderent. Dubium exurgit, an sit causa hæc parergon parabolæ, an verò Principibus Sacerdotum, & aliis Primoribus conueniat? Respondeo, hanc causam significare Principes Sacerdotum, Pharisæos, & Scribas Christum occidisse, vt vineam, id est, populum

Dubio satis.

Israël

Israëliticum Christo tollerent. Videbant, totum populum ac Christum accurrere *Dixerant Pharisæi ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus? Ecce totus mundus post eum abit.* Ioan. 12. Occiderunt ergo illum, vt vineam, id est, populum, qui post eum properabat, illi abstraherent; ne in populo siue vinea Princeps esset. Ita Iezabel Naboth occidit, vt vineam eius possideret. 3. Reg. 21. Chrysostomus, *Postquam Christus ementes & vendentes eiecit de Templo præcipue hoc cogitarunt; ne scilicet populus Christum secutus sacrificia dimitteret, & sic lucrum perderent. Cogitatio ergo Sacerdotum carnalium non quomodo viuat populus, sed quid in Ecclesia offerat.* Rabanus, *Suam quæ ex lege est, institiam volebant praferre, extincta fide in Christum.*

Ioan. 12. 3. Reg. 21. Chrysost. Raban.

8. *Et apprehensum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.*] Hieronymus hæredem eiici extra vineam, significare Christum è Ierosolyma abstractum in Caluariæ monte suffixum, iuxta illud Apostoli, IESVS, *vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Hebr. 13. Auctor Imperfect. Eiecerunt eum extra vineam, id est, extra ciuitatem Ierusalem. Hærent Iansenius, Theophylactus, Chrysostomus, Euthymius. Quod si obiicias Christum eiectum esse extra vineam, vineam autem hîc ciuitatem Ierosolymam non significare, sed totum populum Iudæorum; respondeo, eiectum dici Dominum extra vineam, & populum Iudæorum, quia Pilato, & Ethnicis traditus est, vt morte afficerent. Marcus, *Occiderunt, & eiecerunt extra vineam.* Quasi prius occiderint, postea cadauer extra vineam eiecerint. Sic exponendus, Occiderũt & eiecerunt extra vineam antequam occiderent. Est *hysteron proteron*, cum quod prius est posterius refertur. Illam autem Christi à vinea eiectionem ex Strabo confirmo profante. *Eiecerunt eum à vinea, id est, Christum à suis finibus excluserunt, & gentilibus tradiderunt.* Anselmus aliter, *Prius à cordibus incredulorum expulsus, deinde crucifigitur.*

Quinam modo Christus à vinea eiectus. Hebr. 13. Hieron. Imperf. Iansen. & alij. *Expositio Marcus.* Strab. Anselm.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.

EX VINITORVM INIQVITATE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos, &c.

Immittit Dominus seruos exactores ad fructus capiendos; quia agricolæ vltrò soluere renuebant.

Hinc expende, quam difficilis sit solutio debiti, quam penè impossibilis, ex auaritia hominum, restitutio.

9. *De exactorum, seu exactorum immissione ad debita repetenda.* Raban.

ACVTE aiebat Rabanus, *Cum tempus fructuum appropinquasset. Tempus dixit appropinquasse, non fructus prouentum; nullus enim fructus populi, seu animi contumacis.* Adeò contumax animus est ad debiti solutionem, ad restitutionem ablati, vt nunquam sibi videatur adesse fructus, quos possit reddere creditori. *Siempre esta pobre para pagar.* Vnde non miror pissimum Patrem familias exactores immisisse, vt fructus recuperare possent. Sæpe audiui excitari à debitoribus querelas: O exactorum tyrannidem! Si exactores mittantur sine causa, iure conquereris; si contumacia tua circa solutionem immittendi causa est, iniustè tragœdias tot excitas.

Mihi credite, contumaciam vestram causam esse exactionis. Nihil enim difficilius quam soluere debitum, ablatum restituere. Repetiit ne quis debitum suum sine exactione? Cur non soluis, ô diues? Quia non possum. Et poteris totum debitum, & exactorum sumptus, ac latrocinia soluere? Quam rarò in Euangelio vel diues qui soluat debita inuenitur? Zachæus, *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Ergo qui non solum reddit, quod abstulerat: sed quadruplum exposuit, ostendit apertè posse soluere, & restituere, qui vult. Pulchrè Chrysostomus hom. de Zach. *In te est, vt possis: quia in te est, vt velis. Zachæus ideò potuit, quia voluit; cum & alij idcirco non possint, quia nolunt. Velle efficit posse.* Vndénam superfluunt nummi ad ludum interminabilem? Vndénam meretrici pretiosa quotidie præparantur indumenta? Quia volo ludere, & scortari. Redde id debitori. Non possum. *Velle efficit posse*; non potes soluere, quia non vis.

10. *Non possunt debitores soluere, quia nolunt.* Luc. 19. Chrysost.

Tam difficilis restitutio, vt penè impossibilis videatur. Dominus profatur, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Iustitia est, vnicuique quod suum est, reddere. Pergens Dominus reliquas virtutes commendare, *Beati*, inquit, *pacifici, beati pauperes, beati mites, beati misericordes.* Matth. 5. Cur non ad cunctas virtutes esuriem, ac sitim apposuit, sed soli iustitiæ copulauit? Certè quia adeò difficilè soluere debita, reddereque cuilibet quod suum est, vt si quis

11. *Magna sitis, ac esuries iustitia requiritur, vt beatus quis restituat debita.* Matth. 5.

quis beatus soluit, id planè exercet ex fame ac siti iustitiæ, id est, ex præstantissima soluendi voluntate. Hugo Cardin. *Dicitur esuries, sine desiderium magnum iustitiæ, quia in præsenti opus iustitia vix potest haberi.* Quam bellè! Ac si diceret, tam difficile est reddere cuique, quod suum est, vt beatus quisque contentus quodammodo sit, quod desiderasset, nunquam tamen opere explendi tempus aduenit; quia sibi videtur non posse: *Quia opus iustitia vix potest haberi.* Vix potest, quia vix est qui velit.

Hug. Card.

12. *Pauci in præsenti curant soluere, ferè omnes in futuro, dum testamento mandant.* Matth. 20.

Preme particulam, *Quia in præsenti.* In futuro quidem, id est, in testamento multi soluunt, vel soluere mandant: sed in præsenti, siue in vita vix vllus. Parabola operariorum vineæ, (vt à vinea non recedam,) expendatur. *Cum sero esset factum*, aduocat Dominus vineæ procuratorem suum, & præcipit, vt operariis soluat. Ex Patrum mente τὸ *Cum sero esset factum* mortis instantiam innuit. Cur solutionem differt Pater familias ad vitæ terminum, & procuratori committit, aut testamenti mandat executori. An non Deus Pater hic familias? Affirmat Chrysostomus; sed eum sub metaphora hominis inducatur: *Simile est Regnum cælorum homini Patri familias.* Matth. 20. debebat solutio illa debiti hominis morti respondere. An non agnatum hominibus vsque ad vitæ terminum, imo vltra terminos vitæ debitorum protrahere solutionem?

Chrysost.

13. *Ex iniqua voluntate debitoris penè impossibilis redditur solutio, aut restitutio.* Exod. 22. Chrysost. D. Thom.

Ex iniqua itaque voluntate penè impossibilis redditur restitutio. Fatur lex, *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem; pro vno boue restituet quinque: & quatuor oues pro vna oue.* Exod. 22. Vbi D. Chrysostomos exclamat, *O iudicem supereffluentem iustitiam!* Porrò Angelicus Doctor pulchræ excogitationi ansam præbuit. Dum enim mente voluit iustitiæ satisfacere, qui vnum auferens, aut debens, vnum soluit, aut restituit: miratur legislatorem præcipere, vt pro vno boue quinque reddantur. Asserit tamen vel hodie idem præcipi debitoribus; quia tam difficile ex pertinaci voluntate adducuntur ad solutionem, vt sibi pro vno reddere quinque videantur. *Cum furatur quis vnum bouem, aut vnum ouem: reddit quinque boues, reddit oues quatuor. Per hoc enim ostenditur eius iniqua soluendi voluntas.* Liceat vulgariter exponere: *Tan cuesta arriba se le hace el pagar, que le parece paga por vno cinco.*

14. *Tam difficilis est solutio debiti quam restitutio dilectissima Michole fuit Paltihieli.* Gen. 20. Lippom. Adam.

Aliter huiusmodi difficultatem pulchrius ostendam. Deus Regi Abimelecho, *Redde vxorem viro suo.* Gen. 20. Lippomanus, *Resipiscere necessarium est agnoscenti errorem: & restitutio ablati pars est pænitentiæ.* Porrò Adamus ingeniosè existimat hîc restitutionis, seu solutionis debiti difficultatem innui, sub metaphora viri, qui fœminam dilectissimam coniugi reddit. Iam vidisti Palthielem dilectam Micholem Dauidi cum lacrymis restituisse; quia vt Doctor adducit. *Nihil difficilius redditur, quam quod ardenti dilectione possidetur.* En solutionis debiti typum. Quid mirum ad agricolas mitti famulos exactores?

* * *

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, &c.

Agricolæ illi vineam non quasi locatam, sed quasi pretio emptam visi sunt possidere.

Proh hominum dementiam! Ideò non curant de solutione, quia cuncta à Deo accepta existimant esse propria.

15.

Agricolæ iniquissimi, cur seruos Patris familias immissos ad fructus exigendos, vulneratis, occiditis? Quia ex vinea nostra fructus capere latrocinium est. An non Deus plantauit, & circumdedit sepe, & torcular fodit, & turrim ædificauit? Ita planè, sua erat hæreditas, sed nobis tradidit possidendam. O mendaces! *Et locauit*, inquit, *eam agricolis.* Anselmus, *Agricolæ, qui supra operarij vocati sunt.* Colendam locat, non vt propriam possidendam. Profectò ingratitudinis hominum fons est, existimare à Deo locata bona ita nobis adscribi vt dominis. Operarium te vineæ Domini æstima non hæreditatis possessorem: vsum habes bonorũ, non dominio potiris.

Anselm.

16. *Vsum tantũ habemus vineæ, non dominium.* Saluian.

Præmittam D. Saluianum lib. 1. ad Eccles. *Nos vsum tantum earum rerum accepimus, quas tenemus. Commodatis à Deo facultatibus vtimur. Igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quod ea, quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus.* Preme illud: *Commodatis à Deo facultatibus vtimur.* Nam sicut agricolis vineam locauit, sic nobis commodat facultates. Ergo reatus agricolarum illorum imitatores erimus, quoties nos quod commodatum est proprium esse putauerimus.

17. *Stultus diues putat bonorum, seu fructuum vineæ potiri dominio.*

Illustrem do huiusce argumenti probationem. Acceperat diues quidam à Deo locante agros, quos aratro versaret, quibus semina committeret. Ipse autem clamitare non verebatur: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Luc. 12. Stultissimum sese exhibet diues toties inculcando illa bona non esse locata, sed propria: *Fructus meos, Horrea mea, Omnia quæ nata sunt mihi, Bona mea.* Quam meritò stultus compellatur à Domino vineæ locatore? *Stulte, animam tuam repetent à te.* Proprio animo lues, quod comedisti, & bibisti quasi proprium omnino possideres. Beda, *Non in eo reprehenditur diues, quod terram coluerit, natósve in eo fructus in horrea collegerit. Sed quod fructus, suos fructus, & sua bona computans, non pauperibus erogare; sed sua in futurum luxuria reseruare studuerit.* Excole vineam tibi locatam, in cellaria mustum immitte, sed sciens mutuata bona esse, Deo in pauperibus stude reddere, ne exactione cogaris restituere. Non tibi soli nati sunt botri, sed Domino hæreditatis.

Luc. 12.

Beda.

18. *Abrahamus*

Ex D. Hieronymo tom. 1. me asseruisse recordor matrimonium agrum esse, cuius fructus

redddidit vinea vnicum fructu, quia adiudicauit debere Domino hæreditatis.

Gen.22.

ſunt filij Domino hæreditatis reddendi. Agrum hunc Abrahamus à Domino accepit, duplicis fructus potius eſt theſauro, Iſaaco, & Iſmaele. Dominus autem hæreditatis annuos redditus petiit profatus, *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diliges Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum.* Gen. 22. Illico Abrahamus adducto filio pergit ad montem filium chariſſimum immolaturus. Cur ô Patriarcha, non conquereris, non cunctaris? Patientiam ô Domine habe in me, & omnia reddam tibi. Exigua annui redditus vis duo botri in vinea exurrexere, vnus tam inutilis futurus Iſmaël, vt quaſi nullus eſſet, vnigenitum Iſaacum appellaſti. Sine hunc botrorum innumerabilium conſtitui patentem, poſtea immolabo. Nihil horum fortiſſimus Patriarcha, ſed iuſtum cum eſſet adiudicauit neceſſario reddendos annuos redditus illicò Domino hæreditatis. D. Baſil. Seleuc. orat. 7. *O ſpectaculum formidandum! Amor in prolem, Deique dilectio iudicio contendunt, & iudex enſifer inſtat Abrahamus, ac enſe ius dicit, victoriámque Dei dilectioni tribuit.* Propria in cauſa iudex exſurgo, Deo locatori vineæ debetur botrus: non ſum vineæ Dominus, ſed conductus operarius.

Baſil Sel.

19.

Haud ſic Adamus, qui putauit vinea non eſſe conductorem, ſed Dominum.

Gen. 2.

Magnus agricola Adamus paradiſi accepit hæreditatem, fante Domino, *Ex omni ligno comede, ex ligno autem boni, & mali ne comedas.* Gen. 2. Cur Dominus vineæ illius vitis ſolummodo botros curauit intactos aſſeruari? Vidiſti hortus Dominum cuidam agricultori cum tradens hac lege, vt vnum aut alterum arborem intactum aſſeruet locatori? Vidi planè. An qui arbores illos reſeruat, non profitetur ſe minimè eſſe hæreditatis Dominum? Quis dubitet. Ergo Deus totius paradiſi arbores tradidit Adamo agricolæ proprio vſui aptandos, arbore vna reſeruata locatori. Vt ſibi Adamus perſuaderet, operarium eſſe vineæ, non Dominum. Baſil. Seleuc. orat. 3. *Accipe poteſtatem in omnia, ab vno ſolo te abſtine. Citra inuidiam fructum interdixi, vt probibito recognito, prabitorem agnoſcas; & vnius priuatio recordationem excitet illius, qui dedit vniuerſa.* Periit Adamus, quia ſe Dominum vineæ exiſtimauit, minimè conductorem.

Baſil Sel.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, &c.

Agricolæ poſt vberrimos vineæ fructus perceptos, inſolentes fiunt, ad crimina patranda.

Et quando non fœlicitas homines à diuino deturbauit obſequio.

20.

Chryſoſt.

CHryſuſtomus, *Per ſingulos gradus munificentia Dei Iudæorum malitia creſcebat.* Capientes enim vberrimos vineæ fructus, id eſt, bonorum abundantiam à cœleſti munificentia, inſolentes fœlicitate, ad grauiſſima piacula patranda inde excitabantur, vnde ad obſequia patanda adduci debuiſſent. Quam rara auis in terris, homo qui mundiali in fœlicitate conſiſtat, & non in crimina prolabatur!

21.

Miratur Regina Saba, fœlices Salomonis famulos ſtare, & libare Deo obſequia.

Regina Saba Regis Salomonis, ſeruorúmque eius mirata diuitias, exclamauit, *Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper.* Superius autem cauſam admirationis Textus expreſſerat, *Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſa eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum.* 3. Reg. 10. Vbi pulchrè Saà illam particulam: Et holocauſta, &c. legit, *Quidam vertunt ſic, Et aſcenſum, quo aſcendebant in domum Domini, non habebat vltra ſpiritum, id eſt, erat diu extra ſe præ ſtupore.* Vndénam admiratio? Videt Regina Regis potentiam, ſeruorum fœlicitatem, & tamen contemplatur aſcenſum, quo aſcendebant in domum Domini ad ſacrificia offerenda. O rem admiratione dignam! quòd fœlicitas non attrahat in piacula, & à domo Domini in abſceſſum: ſed potius alliciat homines ad obſequium. Preme particulam: *Qui ſtant coram te ſemper.* In fœlicitate, ac temporalium bonorum abundantia perſiſtere, beatæ vitæ eſt documentum, *Beati ſerui tui hi, qui ſtant.*

3. Reg 10.

Saà.

22.

Coram ſtatua fœlicitatis præſentis omnes mūdi amatores corruunt, ſiue in piacula labuntur.

Dan. 3.

Saà.

Nabuchodonoſor cunctis populis ſubditis auream expoſuit ſtatuam, qua quidem ex Bercorio, & aliis humana præſens fœlicitas adumbrabatur. Vnde Heſiodus, *Quid auri poſſeſſione fœlicius?* Ad præſentiam fœlicitatis ſæculi *cadentes omnes populi, Tribus, & lingua, adorauerunt ſtatuam auream.* Dan. 3. Nullus conſtitit fœlix? Cadunt omnes populi, Tribus, & linguæ. Addit Saà, *Omnes ſcilicet, qui aderant.* Nam qui ab aſpectu fœlicitatis recedunt, ſtantes perſiſtere valent; qui autem fœlicitate præſenti potiuntur vix poterunt ſtare.

23.

Mirũ, quod fœlix Iacob in humilitate, ac Dei obſequio perſiſteret.

Oſe. 12.

Ponderat Oſeas Iacobi adhuc in vtero degentis fortitudinem. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt; fleuit, & rogauit eum.* cap. 12. Duplex Iacobi victoria exprimitur, vna quidem, quum in vtero præualuit ad fratrem: altera verò, quum præualuit ad Angelum. In prima adumbratur temporaria fœlicitas ex benedictionis futura acquiſitione, vt placet interpretibus. In ſecunda robur Militis fortiſſimi celebratur. An tantæ fœlicitatis vis Iacobum in crimina traxit? Humilis, cum Dominus fratris inauguratur in vtero ceſſit ætati, & victor fratrem ſequitur, non præcedit. At Angelum vincens, ſubmiſſione incredibili, *fleuit, & orauit.* O rem mirabilem! homo fœlix perſtitit in virtute. Rufinus lib. 3. in Oſe. *Cum tam profundum Dei conſilium Patriarcha ſenſiſſet, ſpiritum illicò humilitatis, non elationis aſſumpſit. Vt benediceretur ab eo, cui videbatur præualuiſſe lacrymoſis ſupplicationibus depoſcit. Nec illa colluctatoris ſui ſimulatione deceptus eſt, vt ſe quaſi fortiorem putaret.*

Rufin.

24.

Iſraëlita victores in fœlicitate, idola adorauerunt.

Iudic. 6.

Seuer.

Cum ſeuiſſet Iſraël, aſcendebant Madian, & Amalech, cæteraque Orientalium Nationes, & ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant. Et clamauit ad Dominum, poſtulans auxilium. Iudic. 6. Quando ſerebant, & metebant: quidnam? Reſpondet Seuer. lib. 1. ſacræ Hiſt. *Semper in ſecundis rebus immemores cœleſtium beneficiorum, idolis ſupplicabant.* Proh felicitatis vim homines deturbantem! Sic agricolæ fructus è vinea ſine Ama-

lechitarum,

Iechitarum, & Madianitarum direptione colligentes, auaritiæ, & crudelitatis idulis genua curuarunt.

25. *In conspectu ascendentem... Draconem, seu felicitatis secularis, omnes procidunt, & sese delinquunt.* Apoc 13.

Videns Ioannes scripsit, *Vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata. Et admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt Draconem.* Apoc. 13. Draconis imagine mundi fœlicitas annotatur, quæ mundi ad obsequiom attrahit amatores. Rupertus lib. 8. in Apoc. *Nisi terra essent, si quod eorum, quæ supra sunt, saperent: non magni penderent terrenum altitudinem, non admirarentur terrenam gloriam, quam Christus nihili pendit.* Quam pauci fœlices virtutis fuere parent!

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem.

Stultissimè agricolæ intendebant posse retinere hæreditatem, hærede occiso.

Nulla enim bona cum piaculo consistunt, nullis fine Deo diuitiis potieris.

26. Chrysost.

Chrysostomus ait, *Cogitatio stultorum Sacerdotum, non quomodo viuat populus, sed quid in Ecclesia offerat.* Quam verè stulti, qui existimabant posse aliquo lucro frui ex Christi hæredis occisione. An in vna sede morantur peccatum & diuitiæ? Minimè planè. Quod sine Deo habetur, quod peccato acquiritur minimè potest conseruari, illicò necessarium est deperire.

27. *Auarus diuitias criminas acquisitas reddit diabolo, & tamen perit. O stultissimè mane!* Ose. 8.

De Regibus Israel Dominus, *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui: argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, vt interirent.* Ose 8. Quid profuit argentum, & aurum? Nulli vsui, nullo commodo fe[illegible], dum auatitiæ affectandum conflatur idol[illegible] *Fecerunt sibi idola vt interirent.* An non stultus pleno ore vocandus, aurum & argentum sine Deo, id est, ex piaculo acquisitum diabolo reddere sine vllo vlus commodo, & ex iniusta acquisitione perire? Regna pe iere, diuitiæ nullius vtilitatis extitere? *Igitur*, (concludit Cyrill. Alex.) *per me non regnarunt.* Quod enim sine Deo acquiritur, minimè conseruari potest.

Cyrill.

28. *Diuitias ex diabolo illicò prolabuntur.* Matth 4. Chrysost.

Christo apud deserta ieiunanti diabolus *ostendit omnia Regna mundi, & gloriam eorum.* Matth. 4. Vbi pulchrè Chrysostomus ad Psal. 1. *Quando Christus ascendit in montem, vt tentaretur a diabolo: tunc Archidamon in puncto temporis omnia Regna cœgit, & gloriam eorum:* (nempè diuitias,) *& tum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret.* Si in Regnis diabolus, si in diuitiis assidet, hoc est, si ex crimine diuitiæ comparantur, quasi fumus, euanescere necessarium est. Nihil sine Deo stabile, nihil cum crimine potest esse securum.

29. *Iudas ipso deperdidit iniquè acquisitum argentum.* Matth. 27.

Iudas auaritia Dominum tradidit, horribili piaculo parum comparauit argenti. Verum se præcipitem daturus prius *retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum.* Matth. 27. Si auarus frequenter assolet condemnati, quia non restituit: cur auarus Iudas restituit damnandus ablata? Crediderim illam haud fuisse restitutionem, sed bonorum perditionem extitisse. Adeo agnata est ruina bonis ex piaculo comparatis, vt vel illicò periturus Iudas videat prius bonorum criminè acquisitorum perditionem. Sedulius lib. 5. cap. 8. *Pretio criminis ipso se vacuauit, non crimine.*

Sedul.

30. *Qui iniquè acquirit, dum flat cribri, offenditur, nil colm nisi paleas retinens nec peccatorum.* Luc. 22. Imperf.

Discipulos Dominus admonuit, *Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticū.* Luc. 22. Quod cunctis Apostolis dictum est, ego ad Iudam accommodo. Quid Iudæ cum cribro? Auctor Imperf. hom. 38. pulchrè, *Quemadmodum si triticum cernas in cribro, dum huc, atque illuc iactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: sic & substantia negotiatoris, (Iudæ,) dum vadunt, & veniunt, inter emptiones minuitur, & nihil manet, nisi solum peccatum.* Quid accommodatius?

31. *Iniquitate diues non tenet diuitias ancelantes.* Eccl. 11. Hugo.

Sapiens ad hæc, *Fili, si diues fueris, non eris immunis à delicto: si enim secutus fueris, non apprehendes.* Eccl. 11. Hugo Card. *Si enim secutus fueris diuitias, non apprehendes.* Profectò qui non immunis à delicto est diues, diuitias nunquam apprehendit, quia ei nulli vsui deseruire assolent.

32. *Porcorum acquisito diuitia accelpiuntur, & non acceptuntur.* 4. Reg. 5. Cassian.

Tam velociter fugiunt diuitiæ possessorem iniquū, vt illud ipsum acquirere, iam sit vacuum diuitiis remanere. Giezi Elisæus, *Accepisti argentum, & accepisti vestes: sed & lepra Naaman, adhærebit tibi.* 4. Reg. 5. Vbi Cassianus lib. 7. cap. 14. *Giezi ea, quæ antè non habebat, volens acquirere, maledictione Elisæi perfunditur.* Preme volens acquirere Ergo non acquisiuit. Asserit Textus acquisiisse: *Accepisti argentum, & accepisti vestes.* Igitur accepit, & non accepit. Equidem quod delicto accipitur nunquam possidetur.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Et agricolæ, apprehensis seruis alium ceciderunt, alium occiderunt, &c. Hic est hæres venite occidamus eum.

Deus vineæ Dominus innumerabilia beneficia homini vineæ confert, quæ ille ingratitudine mirabili rependit,

Homini ingratitudinis vitium agnatum.

33. Chrysost.

Integram do Chrysostomi sententiam, *Per singulos gradus malitia ingratissimorum Dei misericordia addebatur: & per singulos gradus munificentia Dei Iudæorum malitia crescebat.* O hominum ingratitudinem! Deus vineam plantat, sepe circundat, fodit torcular, ædificat turrim, emittit Prophetas, Filium immittit. Ingratissimi verò totidem actionibus iniquis beneficia rependunt: seruos cædunt, occidunt, lapidant non semel, Filium nece afficiunt. Quam agnata homini ingratitudo!

34. *Cum homine nata ingratitudo erga munificentiam Dei locatam, &c.*

Vix puluere natus Adam, cum ei Dominus vineam proprij animi & corporis, ex mente Ruperti, locauit excolendam. Ipse autem ingratus ipsum criminis gladio interemit hæredem. Vnde deambulat Dei Filius in paradiso ad auram post meridiem, speciem offerens

Gen. 3. Rupert. Abul.

offerens morituri. Gen. 3. *At abscondit se Adam à facie Domini.* Quare? Abulensis, *Ex verecundia ingratitudinis, quia contra Deum benefacientem ei peccauerat.* Vix se Adam hominem ostendit, quom exhibuit ingratum.

35. *Vix possibile est, hominem esse gratum benefactori.* Mich. 6. Ambros.

Vix potest humana natura gratitudinis iura seruare. Postquam de Ægypto vineam suam transtulerat Dominus, conqueritur de agricolarum ingratitudine. *Populo meus, quid feci tibi, quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te?* Mich. 6. Vbi Ambrosius ad Psalm. 50. *Singula in conspectu suo locat beneficia sua, vt tanquam de his indices, quæ seruare debueras: quo magis reus fias, qui diuinis homo non potueras Dei stare beneficiis. Non potueras*, inquit. An impossibile sit, hominem se gratum benefactoribus ostentare? Tam difficile est hominem gratum stare beneficiis; vt quodammodo impossibile vocitari valeat.

36. *Ex quo capite homo est Dei æmulator, gratus est, ex terreno capite ingratissimus.* Gen. 1. Natiana.

Fatur Deus, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. Commendatur hominis animus, qui Deum spiritum purum æmulatur. Cur homo ad Dei imaginem, ac similitudinem creatus est? Vt gratum sese Conditori valeat ostentare. Quia scilicet vnde *homo*, quod traxit ab humo necessariò quodammodo ingratus existet. Si gratum se potest ostendere, ex eo capite quidem erit, quo Deum æmulatur. Nazianzenus orat. 2. in Pasc. *Fecit Deus hominem terrenum, & cœlestem; caducum, & immortalem: medium inter magnitudinem, & deiectionem: eundem spiritum, & carnem. Spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam; illud vt maneat, & benefactorem suum concelebret, hoc vt vexatus commonefiat,* &c. Ergo ex quo capite Deum æmularis gratitudinem geris Conditori: ex quo autem hominem terrenum sapis indiges ingratus commonitione.

37. *Tam potens est Deus, vt valeat efficere, vt in quo gratitudinis est documentum homines fieri.* Matth. 3. Hieron.

Certè si homo gratus est ostendendus, illustre Dei erit excitandum miraculum. Ioannes Baptista aiebat, *Dico enim vobis, quoniam potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Matth. 3. Vbi Maldonatus noster, *Vsus est in exemplum re omnium difficillima: vt diceret, nihil Deo esse difficile.* In cuius expositionem fatur D. Hieronymus, Christum tunc assignare lapides in Iordanis ripa erectos in memoriam miraculi illius, quando recedente Iordane, sicco pede, remeauit Iosuë exercitus Arcæ venerabilis satellitium. Lapides illi aderant gratitudinis simulachrum. Igitur tam potens est Deus, vt valeat efficere gratos lapides in homines mutari. Liceat mihi vulgari idiomate pulchram mentem expendere. *Tanto es la potencia de Dios, que puede hacer, que vna imagen de agradecimiento sea hombre.* Tam aliena est ab humanitate gratitudo.

38. *Ingratus abnegat Dei omnipotentiam, dum Deum omnipotentem esse non manifestat, existens gratus.* Iob 21. Gregor.

Iobum testor. *Qui dicebant Deo: Recede à nobis, & quasi nihil possit facere Omnipotens, æstimabant eum, cum ille impleuisset domos eorum bonis.* cap. 21. Taxat hominum ingratitudinem Gregorio profante lib. 16. mor. cap 5. *Bonis Dei largitionibus mala reddiderunt. Ergo quasi nihil facere posset Omnipotens æstimabant eum.* id est, Dei omnipotentiam abnegabant, dum se ingratos exponebant benefactori. Nam si gratos se ostenderent, eo ipso Dei omnipotentiam commendarent, Omnipotentiæ etenim perspicuū documentum est hominem ad gratitudinis virtutem adducere.

SECTIO III.

Vinitorum Supplicium.

TEXTVS.

VERS. 40. CVm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis. 41. Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructus temporibus suis. Dixit illis IESVS, Numquam legistis in scripturis, lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic est factus in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. 43. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. 44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum. 45. Et cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cogitauerunt, quia de ipsis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De sententia Iudæorum aduersum se lata.

1. *Ore suo se Iudæi condemnarunt.*

CVM *ergo venerit*, &c.] Matthæus asserit, post expressam parabolam, Christum illos, quibuscum loquebatur, interrogasse: Vineæ Dominus tot iniuriis actus, quid, cum redierit, agricolis præstabit ingratis? At illi, *Malos, aiunt, malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Suo se ore improbi coloni damnarunt, sententiamque aduersum se ipsos detulere.

2. *Marci varia lectio ad*

Profectò Marcus verba hæc Christo tribuit. *Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis.* Lucas quoque clarius Christi verba sic recitat: *Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi, Absit,* &c. Si Christus expressit, cur Matthæus sententiam hanc Iudæis profantibus adscripsit. Existimo prius à Iudæis verba expressa, deinde à Domino repetita, confirmante scilicet, & aliquo vocis sono innuente. Equidem rectè aduersùm vosmetipsos iudicium tulistis: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis.* Quo audito, responderunt, *Absit,* haud perdet nos Dominus.

Matthæum alliciuntur. Euthym.

Euthymius, *Verisimile est, primum illos tulisse sententiam; deinde Christum dixisse, quod illi dixerant, confirmando dictum ipsorum. Propriissimè autem dixit Lucas, quod cum audissent, dixerunt:*

dixerunt: Absit. Antea enim ignorantes, quod de ipsis esset parabola, condemnauerunt se ipsos. Postmodum verò sententiam confirmante Christo, intellexerunt, & dixerunt, Absit.

§. II.

Psalmi à Christo carmen inducitur.

3. *Supplicium Iudæorum expressum in Psalmo Christus asserit.*

L*Apidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*] Supplicium parabola expressum à se Iudæi repellere conabantur, *Absit*, &c. Christus verò confirmat, & in Psalmis prædictum esse testatur. *Nunquam legistis*, ait, *in scripturis, lapidem*, &c. Lapidem aliquem ædificij constructores veluti inutilem, structuræque minimè aptum aliquando reprobarunt, reiecerunt: qui tamen à peritiori Artifice in præcelsioris ædificij anguli vertice collocandus attollitur. Sic Christum Iudæi synagogæ structores reprobabilem iudicarunt, ac reiecerunt: à Iudæis verò reprobatus, ac reiectus multo augustioris ædificij, nempe Ecclesiæ factus est vertex. At lapis dicitur angularis, qui in domus, seu turris angulo collocatur, quique angulum efficit. Assolent autem hi lapides maiores, pulchriores, ac firmiores existere.

4. *Lapis angularis duplici ratione potest appellari.*

Quonam modo Christus lapis angularis sit appellatus? Fit lapis caput anguli, qui in anguli fundamine primus apponitur, & tanquam caput, & initium totius ædificij in fundamento statuitur. Fit etiam lapis in caput anguli is, qui in supremo, & celsissimo totius ædificij angulo primus tanquam caput collocatus eminet. Factusne igitur Christus caput anguli vertex ædificij, an fundamentum.

5. *Caput anguli Christus, quia supremus ædificij vertex.*

Appellatum lapidem angularem, quia vertex supremus ædificij nomen Græcum videtur asserere. Nam Eph. 2. *Dicitur lapis angularis, ἀκρογωνιαῖος.* Nomen verò Græcum significat lapidem summum, hoc est, in præcelsiore loco positum. Præterea caput anguli est pars suprema anguli, non infima, & fundamentalis: quemadmodum caput hominis est celsissima hominis pars, non ima. Ergo Christus appellatur lapis, quia in celsissimo loco ædificij est, non quia in fundamentali.

6. *Christus caput ædificij, quia fundamentum.* Isa. 28.

Assero tamen probabilius Christum lapidem factum caput anguli, quia in fundamento Ecclesiæ lapis est angularis. Vnde Ecclesia canit, *Angularis fundamentum lapis Christus missus est. Qui compage parietum, in vtroque nectitur.* Ex Isaia ostendo. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* cap. 28. Et ex Apostolo. *Ædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV. Eph. 2. Vno & altero loco lapis angularis à Paulo & à LXX Interpretibus vocatur Græcè ἀκρογωνιαῖος. Vnde fit nomen Græcum huic non obstare interpretationi. Fit igitur lapis in caput anguli lapis ille, qui caput est ædificij totius in angulo fundamenti. Factus est Christus in caput anguli fundamentalis, quia Ecclesiæ est fundamentum primum, ac præcipuum, quod sequuntur Apostoli, reliquique Christicolæ. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus* IESVS. 1. Cor. 3. Sic Augustinus ad Psalm. 86. Et Hieronymus Zach. 14. *Hic lapis angularis, id est, Christus* I*esus* (Eph. 2; 1. Cor. 3; August.; Hieron.) *cæteros lapides angulares superædificari sibi voluit.*

7. *Alio ex capite angularis lapis Dominus appellatur.* Eph. 2. Anselm. Hilar. Lyran.

Præterea lapis angularis appellatur, quia quemadmodum lapis angularis duos connectit parietes: sic Christus duos populos Iudaicum, & Ethnicum in se fidéque sua coniunxit, iuxta illud Pauli, *Qui fecit vtraque vnum.* Eph. 2. Anselmus, *Lapis angularis est Christus duos populos in se vno condens.* Consentit Hilarius Secto Lyranum asseruisse lapidem fuisse quendam iis, qui Salomonis Templum extruebant, sæpe oblatum, atque reprobatum ædificio ineptum: qui quidem in loco summo & caput anguli fuit collocatus. Parum tamen authoritatis hanc narrationem habere existimo.

8. *Quam mirabile Dei opus.*

A Domino factum est istud, &c.] Lapis reprobatus non hominum, sed Dei potentia in caput anguli factus est. An non Dei summæ potentiæ effectus, Christum cruci suffixum, à Iudæis pro nihilo habitum, ac repudiatum totius orbis Monarcham constitui?

§. III.

Parabolam Dominus exponit.

9. *De quonam Dei Regno loquatur Dominus.* Hieron.

A*Vferetur à vobis Regnum Dei.*] Quódnam Dei Regnum à Iudæis auferendum? Hieronymus, Regnum Dei scripturas hîc ait significare, *quas Deus Iudæis abstulit, Christo tradidit.* Aptius *Regnum Dei*, idem quod *vinea Dei*, nimirum Dei populus, Dei Ecclesia, in qua Deus regnat. Id innuit Dominus cum adiicit, *Dabitur Regnum*, id est, vinea, *genti facienti fructus eius.* Ablatum planè à Iudæis Regnum Dei, quia iam non sunt Ecclesia, ac populus Dei, non sunt vinea Domini Sabaoth, Deus in illis minimè imperat. Datum est Regnum Gentibus Christicolis, qui fructus illius faciunt, id est, opera tali Regno digna exprimunt.

10. *Expositio Hieronymi.*

Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, &c.] Hieronymus sic exposuit: *Qui peccator est, & tamen in Christum credit cadit, quidem super lapidem, & confringitur, sed non animo conteritur; reseruatur enim per pœnitentiam ad salutem. Super quem verò ille ceciderit, hoc est, cui lapis irruerit, & qui Christum penitus negauerit, sic conteret eum, vt nec testa quidem remaneat.*

11. *Auctoris interpretatio.* Isa. 28. August.

Existimo tamen conuenientius, præcipuè de Iudæis Dominum locutum, & pœnas, quas daturi erant, prædixisse. Summi Sacerdotes, & reliqui in lapidem Christum ceciderunt, & confracti sunt; sed postea lapis cecidit super eos, & contriuit. Fuit planè *petra scandali, & lapis offensionis.* Isa. 28. Iudæi in hunc lapidem impegerunt, ceciderunt super eum, & per incredulitatem confracti iacuere. Postmodum autem lapis hic angularis cecidit super eos, cum per Romanos Imperatores ab eis pœnas sumpsit, penitúsque deleuit. D. Augustinus serm. 234 de Temp. hæc verba de primo, ac secundo Christi aduentu intellexit. Qui ceciderit super lapidem istum angularem reprobatum olim confringetur in primo aduentu. Super quem autem ceciderit in secundo aduentu conteret eum. *Quando*, inquit, *in eum lapidem offenditur, humilis iacet. Iacendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus conteret superbientem. Iam Iudæi illa offensione quassati sunt; restat, vt eius præclaro aduentu etiam conterantur: nisi fortè cum viuunt, agnouerint, ne moriantur.*

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis
PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM.
EX VINITORVM SVPPLICIO.

OBSERVAT. I.
Ad illa verba:

Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis.

Venit puniturus, qui semper adest. Cur ergo recessisse dicitur.

Certè videtur Dominus à nobis recedere ex longanimitate, quia patiens redditor non è vestigio peccatorum pœnas exigit.

12. Anselm.

POst replicata vinitorum crimina tandem qui recesserat vineæ Dominus venit puniturus agricolas. Anselmus, *Cum venerit Dominus, id est, cum post longam moram peccatores iudicauerit.* Innuitur planè Dei circa supplicij exactionem longanimitas. Patiens expectat, vt peccatoribus pœnitudinis tempus impendat.

13. *Aut dormire aut peregrè profectus Dominus ex longanimitate circa supplicia apparet.* Matth. 21. Ambros. Theophyl.

Suprà Matthæus, *Plantauit vineam: locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.* cap. 21. Quare Deus absentiam simulat? Ambrosius, *Ne præpropera videretur exactio.* Theophylactus, *Peregrinatio Dei longanimitas eius. Videtur enim Deus & dormire, & peregrè proficisci, dum longanimis est, & non è vestigio peccatorum pœnas exigit.* Proh Dei patientiam! Adeò tardus ad peccatores puniendos exsurgit, vt dormiens, aut absens obiiciatur.

14. *Dum sacrilegi delinquunt, videtur Deus longanimis, obdormire.* Psalm. 43. Rupert.

Premo illud: *Videtur enim Deus dormire.* Arca ab hostibus capitur, Sacerdotes lethaliter cæduntur. Cur non fulmina aduersus sacrilegos coruscarunt? Clamat Dauid, *Exsurge quare obdormis Domine?* Psalm. 43. An dormit Dominus? Si dormit, quonam modo armorum strepitu non excitatur? Certè videtur charitatis mero obrutus esse, qui nec tot impudentissimorum hostium vociferationibus euigilat. Rupertus ad Gen. 3. *Psalmista rectè licuit dicere, Exsurge, Domine, quare obdormis? Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino: pro eo, quod tardiusculè subuenit. Capta fuerat iam Arca, & Sacerdotes eius in gladio ceciderant Ophni, & Phinees.* Cur non velocius accurrit, *qui non dormitabit neque dormiet?* Quia defensio illa Arcæ sacerrime perficienda erat hostium percussione. Arca in captiuitatem adducatur, Sacerdotes concidant; sed pietas diuina non properet ad auxilium ferendum repentino peccatorum supplicio.

15. *Dum Adamus agricola abnegat fructus vineæ, adhuc obdormit Dominus.* Gen. 3. Rupert.

Post locatam vineam Adamo, & vxori, vt custodirent, & operarentur: agricolæ cuncti in parente fructus vineæ Domino abnegarunt, & Hæredem ob crimen illud moriturum iam quodammodo pertinacia illa lethaliter vulnerauerunt. O tarditas Domine, cur non properas ad supplicium? *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Gen. 3. Meridie deliquit Adamus, post meridiem Dominus deambulans obiicitur, quia toto meridie pressus fuisse somno ostentatur. Rupertus, *Toto meridie dormisse dicitur, quando, illo tacente, tantum malum vniuerso gregi humano patratum est.* Sic obticet Deus, dum peccata multiplicamus, vt pressus somno videatur.

16. *Quasi abiret obiicitur esse Dominus, dū delinquebāt filij Adam.* Gen. 11. Anselm.

Adiicit Theophylactus, *Videtur Deus peregrè proficiscens.* Cum filij Adami turrim Babylonicam extruxere, *descendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim.* Gen. 11. Vbinam ergo Deus aderat, dum ciuitas, ac turris construebatur? Certè simulat se absentem, vt erga peccatorem longanimitatem valeat ostentare. Nam quemadmodum *descendere Dei,* (vt cum Anselmo loquar,) *est humanorum actuum attendere prauitatem:* proficisci Dei est, quasi hominum crimina dissimulare, vt pœnitudini tempus impendat.

17. *Et dum Sodomitæ luxuriabātur.* Gen. 19. August.

Ad Sodomam Angeli sub peregrinorum indumento properant. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vesperi.* Gen. 19. Vbi Augustinus lib. 16. de ciu. cap. 5. *Potest intelligi, Deum ad illas ciuitates descendisse; quia descenderunt Angeli eius, in quibus ipse habitat; quia per Angelos descendebat, qui in Angelis descendentibus erat.* Si ergo venientibus Angelis peregrè, Deus peregrè venit in Sodomam: quonam modo potest venire, & peregrè, qui vbique necessario adest? Vt innuatur, Deum peregrè fuisse profectum, ne exigere mox fructus videretur, & longanimitatis eius peccator diuitias agnosceret. Vereor, ne post tam incredibilem Patris familias patientiam acrius cum conflagrantibus vrbibus torquearis.

OBSERVAT. II.
Ad illa verba:

Cum ergò venerit Dominus vineæ, quid faciet, &c.

Tota vinitorum ruina ex eo ortum habuit, quod sibi persuaserunt, Dominum venturum quidem, quia peregrè esset profectus.

Edocemur, nunquam à Dei præsentia recedere, etiam cum delinquimus. Nam Dei præsentia meditatione & rarius peccabimus, & citiùs ad pœnitudinem adducemur.

18.

EN vinitorum iniquissimorum perditio, venturus eis obiicitur Dominus, non præsens aspectatur.

aspectatur. Peregrè vinitoribus fuerat profectus, vnde absentem contemplantes inpudentius se se criminibus defœdarunt. O si Dei præsentia nonquam tuis ab oculis recederet! Rarius delinqueres, & velocius ad mentem meliorem adduceteris. Omnino deperditur, qui se à Dei præsentia elongari existimat.

19. *Prodigus omnino deperditur, dũ se à Dei presẽtia separari existimat.* Luc. 15. Chrysol.

Prodigus ille adolescens, *Congregatis omnibus, peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam.* Luc. 15. Secessit miser in regionem longinquam, seu longè dissitam à paterna domo. Quidnam accidit ei, qui à Deo patre primo se elongari existimabat? *Ibi dissipauit substantiam suam.* Omnibus spoliatus bonis ostenditur. Chrysolog. serm. 1. *Ecce quemadmodum confusa sine Patre nudauit filium.* Preme, quæso, particolam, *Dissipauit substantiam suam.* Quidnam hoc in vocabulo, *substantiam suam* innuitur? Titus Bostrens. *Dissipauit substantiam, id est, intellectum rectum, veritatis notitiam, Genitoris memoriam.* Anselmus, *Ornamenta naturæ.* Vndénam misero totalis ruina? Ambrosius meritò prodegit omnia, qui à Deo se recessisse putatur: *Abiit in regionem longinquam.*

Titus. Anselm.

20. *Pœnitentiæ afficitur, dũ existimat, se in Dei præsentia deliquisse.* Luc. 15.

Profectò si Prodigus ad meliorem mentem aliquando fuit adducendus, necessariò à mente sua debuit illam stultitiam depellere, nempe peccatorem posse à Dei præsentia separari. Vnde pœnitudine ductus proclamat, *Pater, peccaui in cælum, & coram te.* Luc. 15. Quidnam peccare *coram* Domino? Certè præsentiam eius profiteri: O Pater, stultè existimaui, me posse à tua separari præsentia, & ideo deperij. Iam agnosco me semper tuo in conspectu deliquisse, quia necessariò vbique præsens ades. Pulchrè Chrysostomus, *Profiteor, me peccasse coram te, qui es conspector omnium, à cuius præsentia nec piacula in corde meditata abscondi possunt.* Qui ergo putans se posse à Dei præsentia abstrahi, tam grauiter deliquit: dum fatetur se non posse à præsentia Dei separari, pristina filij Dei ornatur stola.

Chrysost.

21. *Dauid diutius errauit, quia sciebat, se à Dei præsentia separari non posse.* Psal. 50. Salvian.

Hinc Dauid, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Psalm. 50. Quonammodo ô Rex, ausus fuisti in conspectu Dei iudicis crimina replicare? Vt vidi, vt perij. Attamen citius ad mentem accurri, quia nunquam existimaui, me posse à Dei præsentia abscondi. *Si ascendero in cælum, tu illic es: Si descendero in infernum, ades,* &c. Haud diutius errabit, qui Deum posse peregrè proficisci, non existimat. Pulchra Saluianus lib. 7. de Gubern. *Puto, quod semper Deum & in ipso errore Dauid respexerit; à quo hoc obtinere potuit, ne diutius erraret.*

22. *Quisnam potest non conteri, si a Dei præsentia se haud posse separari, meditatur?* Iudic. 5.

Quisnam non conteratur, Dei præsentiam mente voluens? Cecinit Debora, *Domine, cum exires de Seir, & transires per Regiones Edom, terra mota est, cælique, ac nubes distillauerunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini.* Iudic. 5. Asserunt Interpretes, montes verè motos contremuisse, præsertim Sinai verticem, in quo lex Moysi tradita scribitur. Exod. 19. Cur præsentia Dei montes exterret inibi, vbi lex lata fuit? Certè aptissimè Dei præsentia inditur, vbi lex publicatur; quia montanæ hominum mentes, id est peccatores ad obsequium legis non accinguntur, nisi cum Dei præsentiam contemplantur. Philo appositè, *Oportebat enim, ad Dei præsentiam turbari mundum omnibus suis partibus, & sic excitari ad ministerium*, siue obsequium. Quantumuis mundus libidini, auaritiæ, vanitati impendat obsequium, dum se cogitat à Deo posse separari: mox excitatur ad ministerium, ad mandatorum impletionem adducitur, cum Deum vbique præsentem contemplatur.

Philo.

23. *Etiam inanimata cõtremiscũt in præsentia Dei.* Hugo Victor.

Quid mentes rationales? Etiam inanimata Dei præsentia apposita, ad reuerens obsequium præstandum contremiscunt. Hugo Victorinus ad iudicum locũ ait, *Præsentiam Creatoris etiam muta elementa senserunt, & quasi vicina Maiestate territa, ac turbata, motu ipso præsenti Numini Deitatis reuerentiam præbuerunt.*

24. *Qui scit, se in præsentia Dei adesse, cito ex inimico in filiũ conuertitur.* Luc. 15. Lyran.

Rursum expendo Prodigi confessionem. *Pater, peccaui in cælum, & coram te.* Luc. 15. *Pater, & coram te* se mutuo respiciunt. Qui ob crimina abstractus à Patre desiit esse filius; coram Deo, id est, cogitans Deum præsentem adesse, rursum induit filiationem. Ait Lyranus ad c. 5. Iudic. *Vt per hoc ostenderetur, quod creatura rationalis Deum præsentem timere solet, & coram eo iam tremere timore filiali.* Quia illud ipsum præsentem Deum aspicere, iam est ab inimico in filium commutari: *Coram eo tremere timore filiali.*

Observat. III.

Ad illa verba:

Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, &c.

Ablata à Iudæis prauis agricolis vinea, datur Gentilibus, qui diligentius obsequium Numini proferunt.

Qui se negligentem diuino præstat obsequio, timeat reprobationem, vt eligatur alius, qui fidelius Dei præcepta exequatur.

25. Anselm.

Anselmus ait, *Malos malè perdet, id est, Ecclesiam suam de aliis Nationibus eliget.* Id quotidie à vineæ plantatore præstatur. Regnum cælorum, seu æternam salutem vni impendit velut colenda vinea: deses ostenditur, haud curat fructus operum reddere locatori. Vnde alteri Regnum datur, vinea committitur. Si te desidem circa Dei obsequium ostentaueris, è domo Numinis exul deturbaberis, aliu'q, fidelior minister eligetur, ad vineam, adsumetur ad Regnũ.

26. *Dum sitienti Domino abnegat merũ Synagoga, & expellitur, potat eũ Gentilitas, & admittitur.* Ioan. 4. Caietan.

Vinea Domini Sabaoth Synagoga fructus sibi retinet nec Domino sitienti succurrit clamanti quidẽ, *Cucurri in siti.* Imo loco meri Dominum potauit aceto, vti Augustinus adnotat. Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet vineæ illius agricolis? Certè vineam aliis tradet vinitoribus, qui fructus reddant, nempe poculum sitienti. Gentilitas Samaritana audit à Domino, *Mulier da mihi bibere.* Ioan. 4. Traditur obsequenti vinea, quæ Synagoga tollitur ab ingrata. Caietan *Occasione oblata*, ex ingratitudine Iudæi, *euangelizare incipit Gentili.*

27. *Timet Iacob, ne ob desidiam sit descendentibus Angelis*

Vidit Iacob mysticam illam scalam, qua transitus ad superos hominibus parabatur: *Et Angelos ascendentes, & descendentes.* Genes. 28. E somno Iacobus excitatur, *Quam terribilis est locus iste! Verè non est aliud nisi domus Dei, & porta*

deturbetur à cœli. Video Dei domum, è qua Angeli decidunt descendentes, & homines facti Angeli ascendunt, & admittuntur. O terribilem locum! Et dormiuit? Timeo, ne ob desidiā è domo Dei expellar, & alius assumatur, qui se se diuino obsequio diligens addicat. Chrysostomus, *Timuit, ne desidem, & ingratum animum exhiberet.* Vnde cum descendentibus Dei famulis deturbaretur.

Domo Dei, & alius ipsius loco ascendat. Genes. 28. Chrysost.

28. Cum rediret in patriam Iacob, Esau fratrem timuit, & clamauit ad Dominum, *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Genes. 32. Vndénam Patriarchæ timor exortus? An ex vitæ periculo? Famulorum munitus satellitio incedit. Quid ergo timet? Lyran. *Quia habitauerat cum Laban idololatra diu, ex cuius cohabitatione poterat aliquam culpam incurrisse, ideo timebat.* Ac si diceret, Deus è domo sua Esau fratrem expulit, quia deses obsequio eius se se mancipauit. Apud idololatram habitans, potui aliquo piaculo defœdari, quo Numen offenderim; & vt desidem fratrem me Dominus è domo deturbet, rursum fratrem fortasse admittendo: *Valde timeo.*

Timet Iacob, ne ob aliquod piaculum è Dei domo pellatur, & rursus admittatur Esau. Genes. 32. Lyran.

29. Rursum Patriarcha timore correptus est, cum Ægyptum ingrederetur. Ideo Dominus, *Ego sum fortissimus* Deus patris tui; noli timere, *descende in Ægyptum.* Genes. 46. Vndénam potuit timoris stimulus excitari, si Iacob sciebat filium Ioseph Ægypto dominari? Caietanus, *Timuit, ne Dominus desereret gentem suam in huiusmodi peregrinatione.* Ægyptij & Hebræi (prudens senex hæc mente voluebat) simul commorabuntur, Hebræi edocebunt Ægyptios veræ Religionis pietatem: Ægyptij fortasse Hebræos ad idololatriæ impietatem iniquo exemplo adducent; vnde Dominus iniquum deserens vinitorem alijs agricolis vineam committet: *Timuit ne Dominus desereret gentem suam.* O peccatorum nimiam securitatem. Cur, tot delictis replicatis, non times à Dei hæreditate deturbari, alio electo, qui Domino fructus omni tempore litet?

Timet iterum, ne Deus de se eius gente suâ, & admittere Genti leis obsequentes. Gen. 46. Caietan.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis.

Ipsi Principes Iudæorum contra se ipsos ferunt sententiam damnationis.

Peccator enim sui acerbissimus iudex exsurgit.

30. Ait D. Chrysostomus, *Antequam intelligerent parabolam, contra se sententiam protulerunt.* Et Origen. *Prophetant isti vt Caiphas contra se.* Et quando peccator non est sui ipsius acerbissimus iudex? Quis suæ vitæ iniquitates recognoscat, & non ex corde damnationis sententiam ascribat? Digna tartaro piacula gessi Conscientia nostra nostrorum criminum iudex exsurgit.

De malo conscientia intolerabili tortore. Chrysost.

31. Adonibezech tribunal ascendit, in séque met ipsum sententiam profert. *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Iud. 1. In Hebræo, *Reddidit mihi Elohim.* Id est, *Deus iudex.* Ipse se se peccator accusat, ipse condemnat, ac iustissimam Dei sententiam suo calculo approbat. Ambr. *Quam damnationem habet consuetudo sententia, vt qui gesserunt impia, ipsi propria confessione se damnent.*

Adonibezech iudex exsurgit contra se fert sententiam à conscientia accusatus. Iudic. 1. Ambros.

32. Lamech deliquit, Caioum interimens, móxque à propria conscientia accusatus, aduersum se se profert sententiam. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Gen. 4. Explicat Eman. Saà proximam particulam, *Septuagies septies, id est, multa grauior. Id verò dixit vxoribus timentibus, ne ob homicidium à se patratum occideretur.* Cur timentes affligis? Ex mente Hugonis Carensis Lamech à conscientia stimulatus, se supplicio grauissimo afficiendum adiudicauit. Chrysost. *Quasi carnificem gestaret se lancinantem, ita post abjurdum facinus obambulat nullo conscio, sustinens illas intolerabiles pœnas, & iudex ipsius factus, & accusator.*

Lamech suâ ipsius accusator & iudex, ex conscientia mordaci pœnas sibi statuit. Genes. 4. Saà. Chrysost.

33. Dicitote mihi, post Iudæ facinus Dominum dioendentis, quisnam suspendio condemnauit iudex? Accedit ad Dominum apud hortū commorantem, & iudex cum esset viuorum ac mortuorum, haud cōdemnauit reum, sed potius vocitauit amicū. *Amice, ad quid venisti?* Matth. 26. Attamen à propria conscientia accusatus, adiudicauit ipse se dignum suspendio. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth 27. Vbi Ambros. serm 2. in Dan. *Domini traditorem non inuenio a iudice damnatum. Non enim damnat Pilatus, non damnat populus; sed quod maius est, se ipse condemnat. Quem alter iudicat, potest vtcumque esse excusabilis; reus autem sine excusatione est, qui conscientia sua iudicio condemnatur.*

Semet ipsum Iudas accusauit, & condemnauit, Iudice existente conscientia. Matth. 26. Matth. 27. Ambros.

34. Naboth Achab occidit, propterat Elias iudicaturus Dei personam agens reum, ipse autem Achab suo se præiudicio, accusante sententia, damnauit, *Num inuenisti me inimicum tibi.* 3. Reg. 21. Ac si profiteretur, se inimicum Eliæ famuli Dei, quia se Dei ipsius inimicus præstitisset: & supplicio iuste addicendum. Chrysostom. ad a. Cor. 12. *Solo videlicet Elia conspectu conuictus, ac silente accusatore, sententiam, qua facinus ipsum damnabatur, ferebat.*

Achab sese præiudicauit reū sanguinis Naboth. 3. Reg. 21. Chrysost.

35. Vnde Domious peccatori, *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Psalm. 49. Quid statuet Deus contra faciem delioquentis? Aliqui explicant, *Statuam contra te tuam ipsius conscientiam, vt te ipsum condemnet* tua in causa iudex Ambr. *Hoc enim sacrilegi solet esse delictum, vt impetatem suam ipse, dum recordatur, & puniat; scelus suum, dum recognoscit, & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias, quia satis conscientia sua sententia condemnatur.*

Deus efficit, vt peccatorem suamet conscientia accuset, & iudicet. Psal. 49. Ambros.

36. Attendas obsecro, *Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat illi Ioannes, Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum.* Matth. 14. Vbi acutè Chrysostom. Magis timebat Ioannem, Vndénam hic timor? An vinculis illigatus Ioannes poterat Regem interimere? Licet solutus diu agaretur, Euāgelicus Prædicator gladio verbi vulnerat, non æteo percutit ense. Vndénā ergo Herodes Ioannem timebat? Profectò dum clamabat *Non licet tibi habere eam.* Regem ad conscientiæ trahebat tribunal, vbi ipse in se sententiam pronunciaret. *Non enim (inquit Doctor) ad iudicium, sed ad conscientiæ tribunal pertrahebat: Non licet tibi.* Rogas,

Baptista pertrahebat Herodem ad propriæ conscientiæ tribunal à se metipso iudicandum. Matth. 14. Chrysost.

37. *Nullus iudex, aut carnifex dirior ipsis vinitoribus, ad supplicij eorum executionem.* Matth. 27.

Rogas, quare Dominus vineæ agricolas homicidas non iudicauit, ac puniuit; sed curauit suomet iudicio affici damnatione? Certè quia viderat eos adeò crudeles, dum seruos immissos cædunt, occidũt, lapidant: dum hæredem comminuunt; vt alij diriori tortori, aut horribiliori iudici tradi non posse viderentur. Illustro ex Iudæ exitio. A Christo vocatur amicus, à se ipse reus mortis adiudicatur: *Et laqueo se suspendit.* Matth. 27. *Surge* ô Domine, *iudica causam tuam.* Iudæ committo iudicium conuenientius; nam qui adeò crudelis vinitor, vt in ipsum hæredem insueret, pretio tradens, vt extra vineam, extra vrbem scilicet mactaretur: aptissimus planè est, cui iudicium suimet facinoris committatur, & supplicium. Pulchrè Leo serm. 16. de Pass. *Merito tibi tua pœna commissa est, quia in supplicium tuum nemo te sæuior potuit inueniri.*

Leo.

Observat. V.

Ad illa verba:

Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Prædicit Dominus supplicium vinitoribus, non indicit iudicio expresso

Quia adeò repugnanter tribunal ascendit puniturus peccatores, vt nec verbo iudex apparere, quodammodo studeat.

38. Anselm.

ANselm. pulchrè, *Auferetur à vobis Regnum Dei. Ac si diceret, Conclude ergo ex vestra confessione, ac prophetica authoritate, auferendum à vobis Regnum* Cur non id non concludit authoritate iudiciaria, sed prophetica? Quia tanta Christi in peccatores pietas, vt ægrè ferat se iudicem puniturum exhibere. Vnde si prædicit iudicium, id agit ex *concessione* peccatorum, quasi ex concessis præmissis consequentiam eliciat; & Prophetam potius agens, quam iudicem, futuros præsentat euentus.

39. *Non vult Iesus esse iudex, quum ab homine pars hæreditatis est auferenda.*

Ad Christum quidam de turba fatur, *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Cui Dominus, *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos.* Luc. 12. Vbi acutè Beda, *Cum sit inter vos contentio, non ne homines estis? Quis ergo me constituit iudicem super vos.* Hominem ne iudicio vel à particula hæreditatis decidere faciam? *Ego non iudico quemquam.* Ioan. 8. *Non enim veni, vt iudicem mundum; sed vt saluificem mundum.* Ioan. 12. Si ergo homines estis, quonammodo vester iudex exurgam? Auferetur à vobis Regnum vera hominis hæreditas; sed egó nolo vel ad diuidẽdam iudex exsurgere.

40. *Non vult iudex esse, ad adulteræ dãnationẽ.* Ioan. 3.

Adultera fœmina ad Christum adducitur iudicanda. *At ipse digito scribebat in terra* Quídnam scriberet? Veniam quidem. Cur non potius iudicium? Quia Iesu pietas liberatoris, non iudicis munus exercere gloriatur *Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ioan. 3. Aptè Chrysostomus sermon. 121. *Cum à scribis, & Doctoribus apud Dominum accusaretur adultera, auertit faciem suam, & declinauit in terram, ne crimen cerneret. Maluit in puluere scribere veniam, quam dare in carne sententiam.*

Chrysost.

41. *Non vult bonus vocari eo quo capite iudex erit ad hominum damnationem.* Luc. 18.

Aliquis ad Christum accurrit, profatus: *Magister bone, quid faciens, vitam æternam possidebo?* Respondit, *Quid me dicis bonum?* Luc. 18. Vbi D. Augustin. asserit quæsiisse hominem illum, quonammodo à iudice posset æterno liberari. Cum ergo iudex appellatur Dominus, cur non voluit bonus vocitari? *Quid me dicis bonum?* Profectò adeò pius, ita in peccatores benignos ostẽditur, vt non velit bonus vocari, quia iudex puniturus exsurget. Perpulchrè D. Hilar. can. 19. *Is enim, cui necesse sit impia, & iniqua punire, à nomine bonitatis abstinuit. Soli hoc nomen Deo Patri reseruans, qui se iudicem dando, officio seueritatis exuerit; non quod bonus & ipse non esset, sed quod congrua in eum seueritate iudex esset futurus.* Si iudicis munus obire possem, absoluendo solommodo: vt cunctos absoluerem, iudicis officio fungerer bonusque ex hoc capite appellari gauderem.

Hilar.

42. *Asserit solũ Patrem bonum appellãdum, quia non iudicat quemquam.* Ioan. 5.

Addit Dominus, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Luc. 18. Quare solus Deus Pater bonus appellatur à Filio? Crediderim, quia Pater non iudicat: *Pater*, inquit, *non iudicat quemquã, sed omne iudicium dedit Filio.* Ioan. 5. Ergo solus Deus Pater bonus est? O viscera Dominicæ pietatis! Bonum se non vult vocitari, quia iudex est futurus; bonum Patrem pleno ore appellat, quasi inuidens ei, quod à se iudicandi munus abdicarit.

43. *Pater & Filius de iudicio in alterum reiiciendo, misericordia quedam duello contendunt.* Ioan 5. Ioan 8. Bern.

Preme illud: *Sed omne iudicium dedit Filio.* Ioan. 5. An Filius datum sibi à Patre iudicandi munus acceptauerit? Ipse asserere videtur, minimè acceptasse dum, inquit, *Ego non iudico quemquam.* Ioan. 8. Ac si diceret, si Pater à se curat iudicandi munus ablegare: præsumam ego, qui humanitate indutus, miserationis, ac humanitatis viscera ostendam delinquentibus? Bernard. Epist. 42. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium mihi adscripsit: & ego præsumam, quod nec ipse Pater sibi assumit?* Iudicet Pater Sic videntur Pater, & Filius de iudicio in alterum reiiciendo misericordi quodam duello contendere.

44. *Luctu creaturarũ præcedente Christus iudex apparebit, quasi ab eo sit opus alienum, homines condemnare.* Matth. 24. Palat.

Pater instat, ô Domine, vt iudicarium tribunal ascẽdas. Factus obediens vsque ad mortem, Patri impendit obsequium. Attamen vniuerso orbi aperit, se quasi violenter iudiciariam potestatem exercere. Cum ad iudicandum venturus est Dominus, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum*, Matth. 24. Cur tanto vniuersi luctu victoria Domini reuelatur? Palatius appositè, *Si enim tantis tenebris orbis tegitur, vbi iudex venit iratus, non id igitur opus est iudicis. Non est opus suum irasci, condemnare, punire, alienum opus ab eo est. Alioqui si lubens, & gaudens venisset ad pœnam, videret orbis, plenaque cuncta gaudio esse.*

45. *Nec vult scire diẽ, in qua iudex venturus est.* Mar. 13. Palat.

Asserit Christus, *De die illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius.* Marc. 13. Cur se Dominus asserit diei iudicij instantiam ignorare? Bellè Palatius: *Nouit sanè diem illum, sed non nosse dicitur; quia dolet, refugit, exhorret.* Ac si diceret, Nescire volo instantiam supplicij. Tam agnata Christo miseratio, munus iudicis tam, quodammodo, alienum.

PARS ALTERA.

VINEÆ OPERARII.

PARAPHRASIS, AC COMMENTARII literales ad caput vigesimum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

FATVS fuerat Dominus, *Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Vt ergo sententiæ huiusce sensus facilior esset, aliam mox superioribus connexuit Parabolam Patrisfamilias, qui variis diei horis operarios in vineam suam, mercede pacta, conduxit; quibus eandem vesperi mercedem reddi voluit, imparem laborem pari præmio remunerans: postremò sic fore nouissimos primos, & primos nouissimos concludit: quo significari voluit, iam olim futurum, vt Gentes fide Iudæos anteuerterent. Quænam, præcor, hæc vinea, cuius operarij primi, & nouissimi, denario diurno cœlesti accepto, salute donantur? Profectò Deipara, de qua Honorius in sigil. *Vinea est Deipara, quam Deus plantauit in Ierusalem Apostolica patria, & commendauit eam in cruce pendens Ioanni, qui vnus custodum, cum diceret: Ecce Mater tua.* Ioan. 19. Operarij in vineam missi pij Mariæ cultores, qui vsque ad diei seu vitæ nouissimam perfistentes Virginis obsequio horam, cœlesti denario donantur.

Honor.

Ioan. 19.

MATTHÆVS CAP. XX.

VERS. I. SIMILE est Regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

PARAPHRASIS.

1. *VT ostenderet Dominus, Iudaeos prius vocatos esse, sed Gentes post vocatas Iudæis incredulis antepositas, hac Parabola confirmauit. Simile est Regnum cœlorum homini Patrisfamilias, qui summo diluculo prodiit in publicum, vt operarios in vineam suam conduceret.*

2. *Nactus aliquot, pactus cum eis, vt singuli singulos acciperent denarios pro ope diurna, misit illos in vineam suam.*

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,& dixit illis.

3. Rursus exiit iuxta horam tertiam, cumque vidisset quosdam in foro stantes otiosos illis profatur:

4. Ite & vos in vineam meam; & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt.

4. Ite & vos in vineam meam, & quod vestro labori aqua lance responderit, vobis reddam. Qui quidem abierunt ad vites.

5. Iterum autem exiit circa sextam,& nonam horam; & fecit similiter.

5. Rursum exiit circa horam sextam, idemque praestitit, quod hora prima, ac tertia gesserat. Id quod & hora nona imitatus est, eodem euentu.

6. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes,& dicit illis: Quid hîc statis tota die otiosi?

6. Postea verò ad horam vndecimam, vergente iam die, egressus, reperit & alios quosdam in foro, quibus dixit: Quid hic totum diem otio torpentes commoramini?

7. Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis, ite & vos in vineam meam.

7. Aiunt, Quia nemo nos conduxit. Ite ergo,inquit, & vos ad vinea mea culturam exercendam.

8. Cum autem sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.

8. Porrò sub nocte Dominus vinea mandat procuratori suo: Voca operarios omnes, ac solue illis mercedem, sic vt à nouissimis incipiens vsque ad primos peruenias.

9. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

9. Vocati sunt igitur omnium primi, qui postremi venerant, hoc est, ad horam vndecimam, minimumque diei laborant in vinea: & datus est singulis denarius.

10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

10. Hoc cum intellexissent hi, qui summo fuerant aduocati diluculo, existimabant se, quia tanto priores in vineam deuenerant, pro temporis portione mercedem potiorem accepturos: sed datus est & horum cuique denarius.

11. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes.

11. Itaque cum sibi viderent, aquatos in pramio, qui non fuerant pares in temporis spatio, abeuntes murmurabant aduersus Dominum vinea, dicentes:

12. Hi nouissimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.

12. Hi, qui venere ad horam vndecimam, non laborarunt nisi vnam horam: & illos in pramio nobis aquas, qui totum diem perdurauimus in labore, & meridianum pertulimus æstum?

13. At ille respondens, vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam; non ne ex denario conuenisti mecum.

13. At Paterfamilias vni cuidam illorum pro omnibus respondit: Amice, cur inuides aliis benignitatem meam? Nulla à me est affectus iniuria. Nónne sic pactus sum tecum, vt pro opera diurna denarium acciperes?

14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi.

14. Præstitisti operam, habes mercedem pactam, nihil tibi rei mecum est amplius; tolle, quod tibi debetur, & abi. Sic mihi visum est, vt huic, qui postremus aduenit, tantum mercedis dem, quantum tibi. De tuo nihil decedit, si quid huic additur.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

15. An mihi liberum per te non erit, de meo, quod volo facere? An ideo oculus tuus labore torquetur, quia me vides benignum in eos, in quos libitum est?

16. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

16. Porrò IESVS, parabolam hac clausula finiit, qua fuerat exorsus: Sic erunt nouissimi, qui primi fuerant: & primi qui nouissimi. Nam multi quidem sunt vocati, pauci verò electi.

SECTIO IV.

Conductio operariorum.

TEXTVS.

VERS. 1. Simile est Regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos: & dixit illis. 4. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. 5. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. 6. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? 7. Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dixit illis, Ite & vos in vineam meam.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De operariis diuersa hora ad vineam immissis.

1. *Contextus.* DECIMINONI capitis dixerat Dominus in fine, *Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Quod vt confirmet parabolam proponit eadem clausula terminatam, *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Vnde constat, parabolæ scopum esse indicare, multos primos esse nouissimos; & nouissimos primos æstimari. Cortex facilis.

2. *Exitus Patrisfamilias.* *Simile est Regnum cœlorum.*] Hoc est Ecclesia, hominis, qui exiit, ad conducendos operarios: quia in Ecclesia simile quid euenit. Exiit summo mane Paterfamilias quidam, operarios conduxit, denarij mercede proposita, & ad colendam vineam immisit.

3. *Quid denarius diurnus?* *Ex denario diurno.*] Dicitur denarius diurnus, quia vnius diei merces erat. Græcè, ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, id est, *ex denario secundum diem.* Subintelligenda tamen præpositio κατ.

4. *Varij exitus.* *Et egressus circa horam tertiam, &c.*] Haud satis fuit, summo mane operarios conducere, tota die conductionis studio non vacauit. Alios circa horam tertiam conduxit, circa horam sextam alios, alios quoque circa horam nonam immisit in vineam. Denique circa vndecimam alios quosdam in foro reperit, otio vacantes, eo quod à nemine conducti essent: illos etiam ad vineæ culturam inuitauit.

5. *Varietas promissionis.* *Et quod iustum fuerit, dabo vobis.*] Eis, quos mane primo aduocauit integrum denarium diurnum promisit, cæteris vero non certam promisit mercedem, quia pars diei non pertinebat ad laborem, sed quod iure labori adscribendum esset, eis Dominus vineæ promisit. Sic D. Thomas. *Thom.*

6. *Horæ diei, vigiliæ noctis.* *Primo mane, circa horam tertiam, sextam, nonam, vndecimam.*] Olim dies à solis ortu vsque ad occasum duodecim secabatur in horas, iuxta illud Dominicum; *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Ioan. 11. *Ioan. 11.* Erant autèm horæ eiusdem diei inter se æquales: sed quia dies inæquales sunt, horæ etiam inæqualium dierum aderant inæquales; longioris quidem diei longiores, breuiores autem breuioris diei. Præterea dies

quatuor

quatuor diuidebatur in partes, quarum quælibet tribus horis constabat. Nox similiter duodecim horas continens, in quatuor partes, siue vigilias militares diuidebatur, quarum vnaquæque tribus horis constabatur. Prima vigilia dicitur post solis occasum, secunda deinceps, tertia, & quarta vsque ad solis exortum; quæ vigilia dicitur matutina. Exod. 14.

7. *Quid prima, tertia, sexta, vndecimaque horat*

Hora itaque prima diei illa erat, qua sol exoritur. Post tres horas aderat hora Tertia, post alias tres hora sexta, siue meridies instabat. Rursum post tres à meridie horas Nona præsentabatur. Vespera vero erat post tres alias horas. In solis occasu Vndecima hora vna erat antè solis occubitum. Quia enim dies duodecim horis cõstabat, ab vndecima ad duodecimam vsque, & solem occidentem, vnius tantum horæ supererat spatium. Tertullianus lib. de Ieiun. cap 10. tres illas horas tertiam, sextam, nonam vocitat insigniores, *Cur non intelligamus, omni tempore orandum: tamen tres istas horas vt insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus diuinis?*

Tertull.

8. *Quot horis operarij labori incubuerint?*

Colliges ex præfatis, quot horis operarij vineæ operam dederint excolendæ. Nam primo mane conducti, duodecim horas labori impenderunt vsque ad solis occasum. Aduocati hora tertia, horas nouem. Conducti hora sexta, horis sex insudarunt. Immissi hora nona, tres horas labori adhibuerunt. At hora vndecima vocati, vna dumtaxat laborauerunt.

§. II.

De variis Patrum expositionibus.

9. *Prima expositio.* Hieron.

Dubium planè circa parabolæ nucleum, quinam sint primi illi, qui nouissimi, id est, extremi fiunt: & qui sint nouissimi, qui fiunt primi. Sic exposuit Hieronymus, *Mihi videntur prima hora esse operarij Samuel, Ieremias, & Ioannes Baptista, qui possunt cum Psalmista dicere, Ex vtero matris meæ Deus meus es tu* Psalm. 22. *Tertia verò hora operarij, qui a pubertate seruire Deo cœperunt. Sexta hora, qui matura ætate susceperunt iugum Christi. Nona, qui iam declinant ad senium. Porrò vndecima, qui vltima senectute.* Origenes hom. 10. in Matth. *Dies huius sæculi spatium est. Qui quidem dies nobis longus videtur, sed si cum æternitate Dei conferatur, est breuissimus. Hora prima temporis spatium est ab Adam vsque ad Noe; hora tertia à Noe vsque ad Abraham: hora sexta ab Abraham vsque ad Moysem; hora nona a Moyse vsque ad Christum; hora vndecima à Christo vsque ad vesperam, id est, vsque ad iudicij tempus.* Vineæ primi operarij homines fuit, qui ante Christi aduentum vixerunt; nouissimi operarij ij, qui vixerunt post aduentum.

Psalm. 22.

10. *Secunda,* Origen.

11. *Tertia.* Irenæ.

Porrò D. Irenæus lib. 4. cap. 70. sic scribit: Per parabolam operariorum vnus & idem Dominus ostenditur vocans, alios quidem initio mundi fabricationis, alios verò post hoc, & alios post medietatem temporum, & alios progressis iam temporibus, item alios in fine. Vt sint quidem multi operarij secundum sua ipsorum tempora; vnus autem est, qui vocat eos Paterfamilias.

Exposuit ita Chrysostomus, Vinea mandata Dei, operandi opportunitatem ac tempus commodum præsentem vitam appellauit Dominus: operarios autem eos, qui differente, aut tertia, aut sexta, aut nona, aut vndecima hora diuersis ætatibus vocati accesserunt, & comprobati sunt.

12. *Quarta.* Chrysost.

13. *Gregorij expositio.*

Gregorius hom. 19. in Euang. horas mundi Indicare arbitratur ætates, operarios Patres antiquos, legis Doctores, Prophetas, atque Apostolos. Primi autem, qui Christi aduentum præcessere; nouissimi, qui aduentum secuti sunt. Recidit in secundam.

14. *Quinta expositio.* Gregor.

Addit Origenes citatus diem esse hominis vitam. *Mane pueritia est; hora tertia, adolescentia; hora sexta, virilis ætas; hora nona, senectus; hora vndecima, ætas decrepita.* Quosdam ait venire in vineam primo mane, id est, in pueritia; alios hora tertia, id est in adolescentia, alios hora sexta, id est, in virili ætate; alios hora nona id est in senectute, alios hora vndecima, id est, in decrepita ætate.

15. *Sexta interpretatio.* Barrad. & alij.

De ministris veteris, nouique Testamenti alij exposuere parabolam. Postquam Dominus Petro, reliquisque Apostolis dixit: *Sedebitis super sedes duodecim.* Item, *Centuplum accipient, qui reliquerint domos, agros, &c. propter me:* adiunxit, *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Ministros planè vtriusque Testamenti ad vineam innuens aduocatos.

16. *Auctoris sententia.*

Profectò sensum duplicem de ætatibus mundi, & de ætatibus hominis recipio, vt communi Patrum hæream expositioni. Operarios autem Iudæos & Ethnicos esse interpretor. Illa enim verba, Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi, è quibus tota parabolæ pendet expositio, quia illius est argumentum: de Iudæis & Gentibus interpretantur Origenes. Hæresit Haymo; consentit Strabus, proponit Augustinus ser. 59. de Ver. Dom. Itaque verba præfata, *Erunt nouissimi primi*, è quibus pendet parabolæ explicatio, de Iudæis, & Ethnicis intelligenda sunt. Ait Dominus, *Venient ab oriente, & occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in Regno Dei.* Videlicet Ethnici conuersi. *Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt nouissimi.* Luc. 13. Nunc Ethnici sunt nouissimi, sed ad fidem conuersi erunt primi; & Iudæi, qui sunt primi, erunt nouissimi. Similiter hoc loci dixerat Christus Discipulis, *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Deinde adiunxit, *Multi autem erunt primi nouissimi, ac nouissimi primi.* Hac in re (ac si diceret) seu in relinquendis omnibus rebus propter nomen meum, & præmio vitæ æternæ consequendo, Iudæi, qui nunc sunt primi erunt nouissimi, & nouissimi, id est Ethnici, ad fidem conuersi erunt primi. Deus itaque Paterfamilias orbisque Gubernator exiit conducere operarios; conduxit Iudæos primis horis, id est primo tempore; postea verò Ethnicos misit in vineam, id est, Ecclesiam. Quocirca Iudæi primi fuere, & Ethnici fuere nouissimi. Sed Iudæi, qui erant primi, facti sunt nouissimi: quia Christum non receperunt. Ethnici, qui erant nouissimi, facti sunt primi, quia in Dominum credidere,

Haymo. August. & alij.

17. *Roboratur ex Luca contextu.* Luc. 13.

Ex Matthæi. Matth. 19.

18. *Expenditur sensus,*

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis
PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS
CIRCA LITERAM.
EX CONDVCTIONE OPERARIORVM.

OBSERV. I.

Ad illa verba:

Simile est Regnum Cælorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios, &c.

Quot itinera peragit Dominus, quot operarios, quot immittit inspirationes; vt vnicum peccatorem praua vitij alicuius consuetudine affectum ad virtutem afferat.

Hinc monemur, minimè replicandas prauas actiones, quæ consuetudinem, impossibilitatemque quodammodo conuersionis efficiunt.

19. Gregor.

GREGORII apud D. Thom. in Cat. sententiam expendo. *Paterfamilias, id est, Conditor, nos habet vineam, vniuersam scilicet, Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Ad erudiendam autem Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere; quia & prius per Patres, & postmodum per legislatores, deinde per Prophetas, ad extremum verò per Apostolos quasi per operarios in vineæ cultum laborauit.* Porrò si vitis quælibet anima est ex Doctoris sententia, quod Paterfamilias toti impendit Ecclesiæ, singulis specialiter præstat hominibus quia quælibet singulariter vitis ita colitur ab agricola, ac si sola in vinea commoraretur. Tantæ ne molis est, vnicum peccatorem ad cœleste adducere obsequium?

20. *Post prauã consuetudinem vita hominis reformatur, miraculo augustissimo dextera altissimi.* Origen. Psalm. 79.

Dies quidem est, Origene authore, *hominis vita.* Contemplare, quæso, quotiens Paterfamilias exierit vt vnius vitis curam gereret, vt cunctas hominis cuiusuis reformaret ætates. Si iam pueritia affecta est eruditione, & cultura cœlestium operariorum reformata, quonam modo hora tertia iuuentus, sexta virilitas, & c adhuc indigent reformatione? Profectò quia nihil difficilius, quam replicata crimina eradicare ad vineæ profectum. Audi Dauidem, *Lapidem, quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Psalm. 79. Quodnam Christi miraculum prædicatur? Profectò Christus reprobatus à Iudæis in morte, ea Resurrectione factus est caput Anguli, vt scilicet terrenos homines cœlestibus Angelis sociaret. O quã difficile, peccatores terrena consuetudine pressos ad meliorem mẽtem adducere! Vict. Antioch. in cap. 12. Mar. *Dominus se ipsum lapidem vocat. Addit tandem, A Domino factum est istud, & est mirabile. Admiramur enim, & meritò, Christum post mortem denuo viuum in medium prodeuntem, summa potentia terrestribus, & cælestibus simul imperare, & gẽtes antea prophanas Sanctas, Deoque acceptas efficere.* O miraculum! Prophanus qui cum extiterit conuertitur? O Dei miraculosi *summa potentia*!

Vict. Antio.

21. *Fœmina assueta diuagare quam difficile reformatur.* Matth. 25.

A cunabulis fœminæ gaudent è claustris egredi, ac per plateas diuagare, dum Eua è latere Adami prosiliens, mox per hortum inambulans à serpente inuenitur. Difficile planè se se fœmina ab huiusmodi agnata expedit consuetudine. Testor virgines illas fatuas, quæ à prudentibus partem olei postulantes, audierunt: *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Matth. 25. An consiliũ prudentum malè sanum? Quid magis exitiale, quam nocturna instantia fœminas diuagari, cũ aduenturus expectatur sponsus? Haud consiliũ prudentum viraginum sed euentus indictio. Vulgariter exponam: *Dicem loque e chaban de ver, que auia de suceder ferezosa mente.* Quare? Quia solitæ diuagari fœminæ difficilè ab huiusmodi consuetudine poterant separari. Bellè D. Paschasius, *Quid est dicere, Ite ad vendentes? nisi quia sic facere consueuistis?* Si consueuistis facere, non poteritis quodammodo ab huiusmodi consuetudine separari.

Pasch.

22. *Assueti rusticis alementis, vel Manna refecti, Hebræi nausea afficiebantur.* Num. 11.

Hebræi ab Ægypto properantes in patriam, postquam Angelorum pasti fuerãt annona, carnium desiderio flagrauere. *Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrans desiderio carniũ sedẽs, & flens, iunctis sibi pariter filiis Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescendũ carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mẽtẽ nobis veniũt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & alia. Anima nostra arida est, nihil respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Num. 11. Preme Anima nostra arida est. Saa, *Id est, non est contenta Manna.* Quidnã Man? Sapiente asserente totius dulcedinis continet suauitatem. Vndenam ergò potuere Israelitæ possessionem Manna cum cucumerũ, cæparum, aut peponum sapore stolido cõmutare? Respondet illud. *Quos comedebamus.* Consueuerant Hebræi illis vti cibariis? Quam difficile poterant ab eorum cupiditate auelli!

23. *Vxor Loth assueta amare Sodomã haud permisse vel à respectu abstinere innuitur.* Gen. 19.

Cum Loth, eiusque familia Sodomitico ab incendio liberati ad tuta vertieis properaret, *respiciens vxor eius post se, conuersa est in statuam salis,* Gen. 19. Quare periit misera fœmina. Angeli indixerant, *Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa Regione.* Ibid. Ac si ad saluandam animam necessarium esset, post tergum non respicere: *Salua*

animam

animam tuam, noli respicere post tergum. Quid facilius quam non respicere? Quid grauius, quam animam saluare? Vndenam ergo sancti vxor indictioni Angelicæ negauit obsequium, & tam leui curiositatis actione sese periculo pereundi exposuit? Existimo fœminam vix potuisse, vel salutis discrimine obiecto à dilecto Regionis aspectu separari. D. Nilus in Ascet. *Consuetudo, cuius illa speciem gerit, eos, qui volunt omnino recedere, ad se trahit.* Si trahit ad se eos, qui volunt omnino separari: quanto fortius attrahet eos, qui non student separationi instantes: sed leuiter proponunt à pristina voluptate recedere?

24. *Velocissima Iesu Filij Dei mors necessaria fuit, vt lapidea consuetudo frangeretur.* Matth. 27. Leo.

Occumbente Domino, *terra mota est, & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt.* Matt. 27. Quinam hic Christi mortis effectus? Validissimum planè morientis Dei omnipotentis documentum ostendens ipsius mortis Saluatoris efficaciam. Petræ scinduntur, aperiuntur monumenta? O mortem potentissimam! D. Leo ser. 13. de Pas. fatur, *Contremiscat in Redemptoris sui supplicia terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis grauabantur sepulchris, discussa obstaculorum mole prosiliant.* Proh cordis lapidea consuetudo! aptius mortem appellarim. An ipsius Dei mors efficacissima necessaria est, vt scindantur petræ, vt reserentur monumenta? O miraculum!

25. *Miraculorum maximum prauam consuetudinem aboleri?* Themist.

Themistij sententia Orat. 2. roborabo. *Non iniuria id quidem ab antiquis hominibus in Hercule Iouis & Alcmenæ filio factum est, vt & illum in Deorum numerum referant, & priuata ei Templa ædificent, & sacra restituant: non modo quæ Herois, sed quæ dæmonis insuper, imo quæ Dei honorem celebrare meritò possint; propterea quod Hercules vniuersam terram obiens, eam a crudelissimis tyrannis, & immanibus belluis repurgauerit. Ego vero*

Habitualis vitij fortitas.

ita existimo vitium & apris omnibus esse vehementius, & leonibus violentius, & multiformi cane audacius, & pluribus quam hydra capitibus præditum. Quare æquum ius esse, qui hoc monstrum expugnarent, & imbecillitatem illius ostenderint, publicè Templa erigi, & sacerdotes constitui. Consentaneum enim est, eos quoque diuinam aliquam sortem esse consecutos. Pulchrè.

Obseruat. II.

Ad illa verba:

Conuentione autem facta ex denario diurno, &c.

Sine excusatione operarij illi pigritarent, aut à vineæ labore abstinerent, postquam recipiendi denarij conuentio præmittitur.

Tam efficax enim præmij recipiendi certitudo, ad labores leuandos: vt peccatores reddat inexcusabiles.

26. Thom.

PRæmittam D. Thomæ horum verborū expositionem. *Nota, quod solis primis conuenit specialiter dare denarium, alios autem sub incerto pacto conduxit, dicens: Quod iustum fuerit dabo vobis. Sciens enim Dominus, quod præuaricaturus fuerit Adam, & omnes postmodum, qui in diluuio erant perituri, certum fuit pactum ad eum. Nequando dicat, ideo se neglexisse iustitiam, quia nesciebat, quæ præmia fuerat recepturus.* Proposito vitæ æternæ denario, cuiusnam, quæso, excusationis prætextu delinquis?

27. *Exigitur à recipiente iustum in nomine iusti vberior gratia hospitalitatis, cui vberius præmium proponitur.* Matth. 10. Ambr.

Fatur Dominus, *Qui recipit Prophetam, mercedē Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Matt. 10. Curat Dominus exigere ad iusti receptionem vberius hospitij gratiam. Vt autem sine excusationis obiectione vnusquisque accingatur ad vberius huiusmodi hospitij exercitamentū, vberius præmium exponit. Post pactionem enim præmij maioris maiora possunt indici obsequia, quæ quidem homo inexcusabiliter prætermittet. Ambros. lib. 2. de Offic. cap. 21. *In hospitibus quidem omnibus humanitas impertienda est, iustis vero vberior necessariò deferenda honorificē tia.* Vndenā huiusmodi specialis obsequij inexcusabilis necessitas? *Quicumque enim iustum receperit in nomine iusti mercedē iusti accipiet, dicit Dominus.* Post maius præmium propositō inexcusabiliter delinquet, qui maius omiserit obsequium.

28. *Rogat Paulus cum ad virtutē allicere curat haud proposito præmio; præcipit, & exigit opera difficilia cū præmium proponit.* Rom. 12.

Certè præmij promissio operis vel difficillimi exactio quædam est. Paulus monet. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem rationabile obsequiū vestrum. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Rom. 12. In cuius expositionem præmitto particulam illā: *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei,* præmium recipiendum à iustis propter rectos labores innuere, iuxta illud: *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum habeat vitā æternā.* Ioan. 6. Iam duplicē premo particulam, *Obsecro vos, & Nolite conformari huic seculo.* In illa rogat, in hac præcipit: in illa obsecratione vtitur, in hac exactione. Quare? Quia cum monet hostiam viuentem Deo exhibere corpora, præmium laboris non proponit: vnde necessariū fuit obsecrare. At cum adiicit reformationi mēti vacādū, vtitur verbo præceptiuo; quia præmij obiicit præstantiam. Præmij enim promissio quasi exactio seruitutis est.

Ioan. 6.

Chrysol.

Chrysol. ser. 109. *Rationabile obsequium, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicitis, non simulatione fucatur.* Difficile huiusmodi obsequio studere sine præmij promissione, ideo *obsecro vos per misericordiam Dei. Ad obsequium autem Regis militaris statia cōtremiscit, dominatio exigit sollicitam seruitutem ad ad arbitrium iubentis, timor obedientis inuigilat; quia & cauta deuotio præmium iustæ remunerationis acquirit.* Præmij quidem obiectio, aut promissio quasi seruitutem ab animo exigit. Non potest non rectè operari, qui post præmij conuentionem ministerio incumbit? Certè qui præmium spectat cœleste, quasi seruus est, non liber quodammodo operatur: exigit enim bona opera præmij infallibilis promissio. Dominatio exigit sollicitam seruitutem ad arbitrium iubentis; quia cauta deuotio præmium iustæ remunerationis acquirit.

Quasi seruus nō liber quodammodo operatur, qui præmiū expectat.

29. *Quasi seruitutem necessariam inducit præmij promissio.* Tertull.

Tertullianus lib. de pœnit. c. 6. *Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod spopondit, & liberalitatem eius faciunt seruitutem.* Præmium putatur quasi

meriti necessaria sequela adeò quidem, vt Dei liberalitas in mercede reddenda seruitus quodammodo æstimari possit. Aptè quidem. Attamen alio sensu Dei liberalitas iocludit seruitutem. Accipit quis à Domino præmij promissionem, illa promissio indicit seruitutem, exactionem obsequij prætendit. Ex eodem Doctore adu. Gnost. confirmabo. *Corona pressio vulneris.* Ac si diceret, coronam promissam esse victori, idem est ac necessitas vulnerum. Sic promissio liberalitatis, aut præmij est seruitus est obsequij.

30.
Nulla Adami aut Euæ excusatio admittitur, quia proposito premio, delinquere
Gen 3.
Thom.

Ægre tulit Cooditor Adami, & Euæ excusationem. *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi*, vir ait, illa autem autem, *serpens decepit me*. Gen. 3. Proh friuolæ excusationes! Cur nulla admittitur excusatio? Porrò D. Thomas asseruit, specialiter primis parentibus factam esse à Deo cœlestis præmij promissionem. *Solis primis conuenit specialiter dare denarium.* Adam enim & Euam referunt operatij primi, quibuscum denarium promissum est integrum: *Conuentione autem facta ex denario diurno. Ne quando dicant* Adamus, & Eua, *ideo se neglexisse iustitiam, quia nesciebant, quæ præmia essent recepturi.*

Observat. III.

Ad illa verba:

Exiit primo mane: Egressus circa horam tertiam: Iterum exiit circa sextam, &c.

Omnes diei horas Paterfamilias quæsiturus operatores percurrit: siue cunctas hominum aduocauit ætates.

Nulla enim hominum ætas non apta conuersioni.

31.
Origen.

Recole Origenem in Commentario datum, asserentem quidem diem esse hominum vitam. *Mane*, ait, *pueritia est: hora tertia, adolescentia: hora sexta virilis ætas: hora nona, senectus: hora vndecima, ætas decrepita.* Cunctis horis exiit Paterfamilias ad operarios requirendos, vt ostēdat nullam esse ad conuersionem ineptam ætatem. Prudentissimè prima hora, id est, in pueritia ad propriæ vineæ culturā properabis, quia præcoces fructus expetit qui proclamat: *sinite paruulos venire ad me.* At si pueritiam possedit otiositas, adolescentia ligonem accipiat. Flores ætatis immaturos acidos fructus parturiere? Virilis ætas maturos exponat. Maturi, ais, fructus maturam decent senectutem. Saltem ergo in senecta procura ad vineæ pergere operationem. Nulla enim ætas conuersioni, aut pœnitudini inepta est.

32.
Si aliquam Dominus ætatem iudicaret ineptam, circa vndecimam horam non exiret quærere operatores decrepitos.
Matth. 20.
Fulg.

An existimas circa vndecimam horā Patremfamilias exiturum fuisse, si inepta ad conuersionem vel decrepita ætatis infirmitas? *Circa vndecimam verò exiit. Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam.* Matt. 20. Strab. *Quasi diceret, vel in vltimis respicite.* Ao in vltima ætate constituti respicere, ac leuare capita valebunt? D. Fulg. epist. 7. ad Verant. c. 10. *Si aliquam ætatem indicaret Dominus conuersionis remedio ineptā, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineā. In diuersitate quippe horarum accipitur ætatum diuersitas.* Circa vndecimam horam exiuit? Ergo ætas decrepita potest inire conuersionem.

33.
Non indicitur tempus pœnitendi, & tempus non pœnitendi; quia omne tempus ad pœnitentiā aptum.
Eccl. 3.

Sapientem audi. *Omnia tempus habent. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdēdi. Tēpus custodiendi, & tempus abiiciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis.* Eccles. 3. Nec vllius rei tempus volui silentio supprimere, vt viderem, num ad pœnitentiam, aut conuersionem tempus inuenirem indictum: *Tempus pœnitendi, & tempus nō pœnitendi.* Non quidem inueni. Cur tempus ad rem tanti momenti non assignatur? Scio respondisse Naxianzen. quia salutis negotium semper agendum. Attamen ad Patrisfamiliæ piissimi cōmendationem respondeo, ideo ad pœnitentiam gerendam speciale tempus non assignari, quia huic muneri omne vitæ hominum tempus opportunum est. Aptius quidem pueritiæ ac iuuēturis hora; sed virilitas, senectus, aut decrepitudo non inepta. Fulg. citat. c. 9. *Semper Deus delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi, quandiu in hac vita est, posuit, quo propitiari conuerso non possit.*

Nazianz.

Fulg.

34.
Nulla temporis angustia inepta ad conuersionē, si homo velit.
Eccl. 3.
Chrysost.

Cuncta illa tempora expressa vatiis occupationibus ita distinguūtur, vt *tempus sit occidendi* (v. g.) *& tēpus sanādi, & plantādi, & tēpus euellēdi:* At non poterat subiici, *Tempus pœnitendi, & tempus non pœnitendi*: quia nulla temporis angustia tanta, vt quis, si velit, pœnitere non possit. Cōstituatur Iudas pendens ex arbore, malus latro de cruce, Absalō è quercu. An ineptum tempus ad pœnitudinem. Audi Chrysost. hom. 2. in Ps. 50. *Occidisti? pœnitere. Vulneratus es? adhibe tibi curā, dum viuis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici possis exanimatus, vt iam ex hoc mūdo exeas. Non de compede libereris, pœnitere. Non impeditur temporis angustia misericordia Dei. Noli dicere, Quomodo? Admirare, & glorifica. Vbi misericordia Dei imploratur, quæstio non expēditur Quid est peccatum ad Dei misericordiā? Tela aranea, quæ, vento flante, nunquam comparet.* Illud adnota: *Nō impeditur temporis angustia misericordia Dei.* Tempus adsit vitæ licet extremæ, non auferet angustia pœnitentiæ opportunitatem.

35.
Peccatores semper possunt cōuerti, quia Dei misericordia non dispergitur à Christo, qui cunctis horis exit, ad quærendos peccatores.
Psalm. 88.
Bellarm.

Filiis Dauidi promisit Dominus se omnibus horis exiturū ad salutis eorum negotia perficiēda. *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Ps. 88. Cur non dixit, *Non dispergā ab eis*, sed *Nō dispergam ab eo*? Bellarm. ex Augustin. asserit, per Dauidem Christū intelligēdum esse. Dum ergo misericordia Dei non dispergitur à Christo, nec dispergitur à filiis improbis; quia Christus diuina pietate à Patre accepta cunctis diei vitæ humanæ horis pergit ad forum, vt peccarores

recta

recta inuitet ad opera, & recipiat in vinea. *Itaque* (adiicit Cardinalis) *si mous fily corrigi voluerint, hareditatem non amittent, imo in gratiam instar filij Prodigi amantissimè recipientur.* Quid si distulerint vsque in senectutem? Procul dubio à Domino verò Dauide recipientur. Augustinus lib. Medit. cap. 2. *Quasi de singulari loquente de vniuerso populo tuo se dixisse considimus, Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abiicis. Si pœniteo, parcis; si reuertor suscipis; dum differo* (ex hora in horam: ex prima in tertiam: ex tertia in sextam: ex sexta in nonam; ex nona in vndecimam) *præstolaris. Reuocas errantem, inuitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem.*

Potest conuerti, qui in senectam distulit. August.

36\. Clamat Dauid, *Dixi, Confitebor aduersum me, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Psalm. 31. Preme verbum, *Dixi, Confitebor.* Nun ait, *Dixi Confiteor*; sed in futurum tempus se confessurum proponit. Non in pueritiæ hora, quia flores dum proferuntur, tempus est nascendi, & plantandi. Non in adolescentia; quia tempus ridendi, & amplexandi. Non in virili ætate, quia tempus occidendi, & destruendi. Non in senectute; quia tempus acquirendi, & custodiendi, *Dixi, Confitebor* in ætate decrepita. An exceptus à Domino? *Et tu remisisti iniquitatem meam.* Pulchrè Augustinus, *Quid dixisti? Non iam pronunciat, sed promittit se pronunciaturum: & ille iam dimittit. Attendite, fratres; magna res. Dixi, Pronunciabo, non dixit, Pronuncio; & tu dimisisti. Quia eo ipso, quod dixit, Pronunciabo, ostendit, quod nondum pronunciabat, aut pronunciauerat. Dixeram, Pronunciabo aduersum me; verumtamen Deus audiuit vocem cordis mei.* Ex qua quidem sententia futuri verbi vim expende: *Dixi Confitebor*, & iam Deus dimittit; vt exaggeret diuinæ misericordiæ patientiam, qui futuram expectabit pœnitentiam in tempore, qui antè tempus quodammodo dicitur remittere. Non enim est tempus remittendi, quando pœnitendi tempus non adest.

Licet procrastinatione vtarin, dicens. Confitebor, si adest tēpus, coronari zelo vis. Psalm. 31. August.

Obseuat. IV.

Ad illa verba:

Quid hic statis tota die otiosi?

Paterfamilias de hominum salute sollicitus, curat ab eis otiositatem ablegare.

Adeò animi salutis causa iuncta est cum operatione, vt salutis contemptor ostendatur, qui otiositati morem gerit.

37\. Anselmus sic exposuit: *Quid hic statis tota die otiosi? Idest, pro salute laborare negligitis.* Idem est enim, otiositate affici, ac animi negligere salutem. Quam contemptor salutis æternæ, qui morem gerit otiositati!

37\. Anselm.

38\. Salomon monet, *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lecto suo.* Prou. 26. Otiatur corpore, mente tamen omnia prata pertransit. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra,* improbi proclamabant. Socium se hisce otio torpens adiicit. Quonammodo potest per agros diuagare, qui otiositate torpens iacet in lecto? Vidisti ostium verti in cardine suo? Haud aliter suo in lecto otiosus mente circumit voluptatum prata. Hieronymus epist. ad Rusti. *In desiderio est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labores suscipiunt, non tam propter victus necessitatem, quam propter animi salutem.*

38\. *In lecto piger, otiosusue prata omnia voluptatum circumit.* Prou. 26. Hieron.

39\. Olim Iacob totam Ægypti terram ab habitatoribus emere curauit. *Emit Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis: subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius a nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius.* Gen. 47. An Protegis tyrannide ciues, cunctique subditi à suis possessionibus spoliantur? Profectò pietate egregia Redemptor corporum, curat animorum esse liberator. Pulchram do D. Ambrosij sententiam l. 1. de Offic. cap. 16. asserentis reuera misertum fuisse Iosephum populi illius. *Cum enim feracissima esset terra, & paruo adhibito labore, magnos prouentus, & fructus offerret, Ægyptij agriculturam vilem admodum reputabant, otio vacantes. At postquam ad soluendum annuum tributum Regi fuere à Iosepho adstricti, tenebantur iam è lectis solito citius surgere, se ab otio excutiēret, manusque labori adhibere; & iniquis actionibus, quas otium parere solet, frænum apponere.* Sic ferè Doctor.

39\. *Emit Ioseph totam terrā Ægypti, vt ab otiositate, ac ex ea sequentibus vitiis, incolas liberaret.* Gen. 47. Ambr.

40\. Salomon alibi asseruit. *Mitte seruum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas.* Eccl. 33. Vnde Plato in Thym. affirmat *exercitationes corporis non solum corpori vtiles esse, sed etiam animæ.* Et Chrysost. hom. 16. in epist. ad Eph. *Mihi nihil facere hoc ipsū est, malū facere.*

40\. *Otiosi at magistra malitia.* Eccl. 33. Plato. Chrysost.

41\. Sponsa clamat, *Nigra sum, sed formosa; quia decolorauit me Sol.* Cant. 1. Formosam se asserit, cum à sole exuritur? Certè tunc pulchritudine decoratur animus, quum corpus otiositate ablegata feruenti operi incumbit, velut Iacob, qui die æstu vrebatur. Gen. 31. Opportunè Hieronymus ad cap. 6. Amos. *Corpora vmbris, & otio marcescentia æstus seculi ferre non possunt. Quæ autem ad certamen præparantur, Sole curata, superant mundi iniurias, & benedictionem consequuntur Spiritus sancti dicentis, Per diē Sol nō vret te.* Psl. 120.

41\. *Dum sponsa vritur æstu otium excutiens, pulchra virtutibus ostentatur.* Gen. 31. Hieron.

42\. Quis dubitet Paralyticum Piscinæ, & corpore & animo esse à Domino sanatum. Qui quidē admonens, quonā modo animi salus conseruanda esset, indixit: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioann. 11. Iacuetas otio torpens, ac triginta & octo annos æger corpore, & animo ingemuisti: iam noli lecto otiosus addici, ne tibi deterius aliquid contingat: *Surge tolle grabatum, ambula.* Euseb. Emis. *Non sis otiosus, ô Paralytice tot annorum, otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat.*

42\. *Paralytico Christus indicit otiositatis ablegationē, ad vitia euitanda.* Ioan 15. Emisse.

43\. Monuit aliquando Dominus, *Nolite solliciti esse, quid manducabitis, &c.* An hinc agricolæ otio torpentes boues diuagare patientur? haud operam dabunt aratri ministerio? Minimè planè. Salutis enim hominum curam agens eos à sollicitudine abstrahit, non à labore euellit. Theophylact. ad c. 12. Lucæ. *Non dixit Dominus, Nolite laborare, sed potius, Nolite solliciti esse. Nec enim poterat laborē interdicere, qui nec etiam in paradiso hominē otiosū passus est.* Statim enim ac otio torpescit hæc nostra caro, spinas, ac tribulos assolet germinare. Bern. de vita solit. *Hæc maledictio est Adæ, vt in terra laboris nostri noxia, & inutilia*

43\. *Sollicitudinem Christus circa ciborum, ac vestium curam auferre intendit, non laborem ad virtutes necessariā.* Theoph. Bernard. *Si in terra laboris nostri, & ua vitiorum: qui in terra otiositatis*

gratuitò passim, & vbique proueniat. Preme illud: *In terra laboris nostri.* Si in terra laboris exoriuntur gratuitò spinæ vitiorum, quid in terra nostræ otiositatis? Vnde bellè Ouidius lib. 5. de Trist.

Ouid.

Fertilis assiduo si non renouetur aratro
Nil nisi cum spinis grāmen habebit ager.

44. *Terra Dauid plena spinis adulterij, quia desidiosus erat.* 2. Reg. 11. Ouid.

O quot spinæ & tribuli terram bonam Dauidem præstantissimos fructus tot annorum suffocauere, quia otiositati parauit obsequium. *Eo tempore, quo Reges solent ad bella procedere,* otio torpens Rex domi commoratur. 2. Reg. 11. Ideò spinæ vitiorum pulcherrimas virtutum spicas destruxerunt. Rursum dulciter canens Poeta audiendus lib. 1. de Remed.

Quam platanus riuo gaudet, quam populus vnda
Et quam limosa caua palustris humo
Tum Venus otia amat, &c.
Quæritur Ægysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est: Desidiosus erat.

Quæritur Sanctus Dauid, cur adulter factus fuerit? *Desidiosus erat*, dum alij Reges ad certamina properabant.

Observat. V.

Ad illa verba:

Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam. Ex denario diurno, &c.

Fit Christus Paterfamilias, vinea, denarius ad hominum salutem.

Omnia Euangelij minister gerat munia, omnia omnibus esse curet vt Paulus: ne aliquo ad salutem indigere possint fideles.

45. EX Doctoribus in commentario expressis colliges Christum Patrem esse familias, vineam, denarium: vt adsit nobis agricultoribus & aduocator, & hæreditas colenda, & præmium laboris. Omnia, Paulo augustius, nobis Christus effectus est, *vt omnes faceret saluos.* Sic Christus æmulator.

46. *Christus est nobis siccis & vacuis omnia, virga Aaronis excitata miraculo,* Nyssen.

Aaronis virgam germinantem contemplere floribus pulchram, & foliis indutam, & fructibus suauem. Quænam hæc virgæ prorsus nudæ & siccæ vis nisi Christi Domini virtus nos cibans, & induens, omnia omnibus effectus? Nyssenus lib. de Vit. Moys. *Hoc miraculum etiam in fidelibus maximum omnium visum est, stupentibus scilicet quomodo siccum, ac leuigatum lignum tam paruo temporis spatio arboris naturam suscepit, atque perfecit. Nam pro vligine terra, pro cortice, pro humore, pro radicibus, & ramis diuina virtus ei suffecit.* Virgam virtutis suæ emisit Dominus ex Sion Christum Deum & hominem, qui quidem homini sicco, ac nudo omnia factus aspicitur.

47. Hodie Dominus homines in vineam emittit, seu ad se vineam cœlestem aduocat. Aliquando se ostium acclamauit. *Ego sum ostium*, &c. Sacerdos in æternum à Dauide vocatur. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Propheta eum ouem esse ostendit, *Tanquam ouis ad occisionem*, &c. Vndenam vnus Christus & vineam, & ostium, & Sacerdotem, & victimam agit? Quia curat omnibus omnia fieri, vt omnes saluos efficere possit. Cyrillus Ierosol. Cat. 10. *Vnicuique varius fit Saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione, & lætitia: illis fit vinea. Qui opus habent, vt ingrediantur: his constituitur ostium. Et qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator, summusque Sacerdos. Rursus habentibus peccata fit ouis, vt pro ipsis mactetur. Et omnibus fit omnia.*

Christus nobis fit vinea, ostium, Sacerdos, Ouis.

Cyrill. Ierosol.

48. *Christus nobis cibus, potus, lux, fasque fulciens.*

Audisti Saluatorem asserentem se panem esse? *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Eundem exaudisti esse potum eum charissimos inuitantem, *Inebriamini charissimi.* Lucem esse, Propheta proclamat, *Orietur vobis timentibus Sol iustitia.* At sponsa infirmitate pressa agnouit Christum esse animi fulcimentum: *Fulcite me floribus, quia amore langueo.* En Dominum omnia omnibus effectum. Augustinus Conc. 1. ad Psalm. 38. *Hoc aurum, quod est, non potest tibi esse argentum. Quod vinum est, non potest tibi esse panis. Quod tibi lux est, non potest tibi esse potus. Deus tuus, Saluator tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus, fulcieris ab eo, ne deficias. Angustias non ibi patieris cum eo, cum quo totum possides.*

August.

49. *Ea, quæ his contraria sunt, & vna in sede haud morari possunt, in Christo ad nostru commoda colliguntur.* Psalm. 35.

Cecinit Vates, *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Psalm. 35. Quid lumini cum fonte? An non lumen in aquis extinguetur? Profectò in præsenti aliud sit fons, & aliud lumen necessarium est. At Christus fons est omnes inuitans. *Qui sitit, veniat ad me. Qui biberit ex hac aqua,* &c. *fiet in eo fons saliens in vitam æternam.* Idem se solem esse Apostolis apud Taboris verticem ostentauit, *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Apud Dominum igitur vel quæ repugnantiam indicere videntur, inueniés, ad salutem animi præparata. Augustinus, *Hic aliud est fons, aliud lumen: ibi (id est in Christo) non ita; quod enim est fons, hoc est & lumen. Si diceres, quod lumen est solum, diceretur tibi: sine causa ergo mihi dictum est, vt esuriam, & sitiam. Quis enim est, qui manducet lumen? Si lumen est, oculis meis patet. Patet & faucibus; quia illud, quod lumen est, & fons est. Fons, quia satiat sitientes: lux, quia illuminat cæcos. Hic ergo aliquando alibi lumen, alibi fons; aliquando enim currunt fontes in tenebris, & aliquando in eremo pateris solem, & non inuenies fontem. Hic possunt ista duo esse separata. Ibi non fatigaberis, quia fons est; non tenebraberis, quia lumen est.* Quæ igitur repugnantia sunt, & hic non possunt copulari, voo in Christo ad nostram salutem colliguntur.

August.

50. *Christus & agricola, & structor domus.* Exod. 15. Origen.

Hodie vides agricolam operarios ad vineam aduocantē. An non aliquando vidisti & domorum structorem? *Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Cecinit Moses Exod. 15. Ad quæ Origen. hom. 7. *Hoc non dicit manu hominis factum; sed Dei. Quid ergo? Propter te Deus & plantat, & ædificat. Agricola efficitur, structor efficitur; ne tibi aliquid desit.*

51. Vidisti Dei filium in fornace Babylonis tres

adole

Et consolator homo apparet in fornace, & lapis sine manibus excidens, vt comminuat statuam. Dan. 3.

adolescentes fortitudine donantem? *Et visio quarti similis Filio Dei.* Dan. 3. Eundem equidem contemplatus sum lapidem excidentem è monte sine manibus, vt statuam ictu valido comminueret. Audi D. Irenæum lib. 4. cap. 37. *Ipse Vnigenitus* Filius Dei, vt pote diues, & multus existens, non in vna figura, nec in vno charactere videbatur videntibus eum. Sed secundum dispensationem eius causas, siue efficientiam. Aliquando cum iis, qui erant circa Ananiam, Azariam, & Misaelem, videbatur assistens eis in fornace ignis, liberans eos de igne. Aliquando autem lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia Regna, & ventilans ea; & ipse replens vniuersam terram. Quia solus ipse omnia omnibus effectus potest omnium explere vacuitatem. Profectò eum asseruerit Christi egregius imitator Paulus, se omnia omnibus factum esse, ad omnium salutem: eneet Euangelij minister omnia omnibus ostentari. Sit auditorum virga virtutis, ostium, Sacerdos, cibus, potus, fons, lumen, agricola, structor, consolator, & lapis, dum flagellat, & dirigit, dum excipit, dum offert, dum pascit, dum potat, dum diluit, dum illuminat, dum plantat, & colit, dum ædificat, dum fouet afflictos dum comminuit, ac percutit.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Vidit alios stantes in foro otiosos.

Tanta est Domini pietas ad peccatores adducendos, vt postquam eos in locis abditis, ac peruiis sibi non inuenit, vel ad forum sibi inuisum eos quæsiturus egrediatur.

Edocens Religiosos Euangelij ministros, nullum locum indignum Sacerdotali authoritate, si inibi proximus edocendus requiritur.

52. Origen.

Origenes, *Forum est, quidquid extra vineam, aut Christi domum est.* Qui tot annos occultus domi commoratur, ad plateas quotidie, ad forum sibi inuisum egreditur operarios adducturus in vineam. An non Dominicæ authoritati forum indignum, vbi rustici commorantur operarij? Nullum equidem locum Sacerdotali authoritate reputo indignum, si inibi animi salus requiratur. Forum prophanum tibi sit otianter circueunti: quærenti autem proximos religiosum est planè.

53. Christus exit ad forum sibi inuisum, vt ad se adducat peccatores in foro delinquentes. Cant. 3. Ambros.

Promisit sponsa se sponsum quæsituram per vicos, & plateas. *Surgam, & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui eum, & non inueni.* Cant. 3. Cur qui vbique adest ab sponsa in vicis, in plateis in foro non inueniatur? Ambrosius lib. 3. de Virgin. *Nequaquam ibi quæramus Christum, vbi inuenire non possumus. Non est Christus circumforaneus; Christus enim est pax, in foro lites; Christus iustitia est, in foro iniquitas; Christus operator est, in foro inane otium; Christus charitas est, in foro obtrectatio; Christus fides est, in foro fraus, atque perfidia. Fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. Ibi Christum quæramus, vbi quæris Ecclesia, in montibus bonis odoris. Fugit enim plateas, fugit conuentus, & strepitum fori.* Si igitur Christus osor est fori, cur toties in die ad forum exiuit? Certè vt nos quæret, & educeret, vbi ipse à nobis magis offenditur. Edocens Euangelij ministros ea loca eos decere, vbi peccatores adducendi ad Dominum commorantur.

54. Melius Christi sanguis clamat, quam Abel; quia Abel ad superos vindictam clamat; illius autem pergit ad domum deliciarum, vt Cainum reducat. Gen. 4. Hebr. 12. Cyrill. Chrysost.

De sanguine Abel Deus, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. Paulus autem de Christi sanguine, *Melius loquentem, quam Abel: videte, ne recusetis loquentem.* Hebr. 12. Ex Cyrilli sententia sanguinem cum sanguine comparauit. *Sanguis Abelis clamauit aduersus occisorem, Christi autem sanguis pro vobis loquitur ad Patrem.* Preme tò, *Ne recusetis loquentem.* Ergo ad homines loquitur. Miratur Chrysostomus sanguinem Christi ad cœlos pergere: *Ecce quousque volat sanguis Christi, vsque in cœlum à terra ascendit, & prætercurrens cœlum, cœlosque superiores virtutes Regia throno assistit, & tunc deplorat homicidium hoc, nefarium hoc scelus denunciat.* Porrò sanguis Christi, melius loquitur quam sanguis Abel; quia non ad cœlum (ascendit ex mente Doctoris) sed Cainum sequitur fugientem, vt ad Deum reducat. Quænam plaga illa, vbi Cain commoratur? *Egressusque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.* Gen. 4. Id est, *ad plagam deliciarum,* vt aliquis legit, aut exposuit. An sanguis Christi ad patriam voluptatum, ad domum impudicitiæ decenter properabit? Profectò dum sequitur fugientem, dum peccatorem quæritat, vt reducat, vt prædicando excitet ad compunctionem; nullus est locus indecens: vel ipsa turpitudinis domus exundat religione. Igitur sanguis Abel loquuturus Deum, ascendit in superos: sanguis autem Christi loquuturus ad Cainum peccatorem properat ad plagam deliciarum sibi planè inuisam, quia locus ille decentissimus Prædicatori, vbi Cain aliquis sit alloquendus.

Gen. 4.

Domum turpitudinis nõ dedecet Cõcionatorem quærentem peccatores.

55. E cœlo Dominus venit ad domum publicani, & peccatricis. Matth. 9.

E superis Dominus cur descendit in terras? *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matth. 9. Si peccatores vocaturus descendis, ô Domine, necessarium tibi erit ad indecentissima loca properare. Adest Matthæus in telonio, Magdalena in prostibulo commoratur. Pergam ad telonium, ad modũ Magdalenæ nõ semel accedam, peccatorum conuiuia inuisa mihi admodum finire non renuam. Quia nullus piscatori lacus, nullus prædicatori locus indecens apparebit. An, non *charitas patiens est, benigna est?* Patiens appellatur, quia expectat peccatores. At benigna dicitur, quia quærit vbique commorantes. Bernardus serm. 4. hebdom. pœnit. *Patiens charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem; sed benigna trahit, adducit, conuerti facit ab errore via sua.* Ergo ad vias peccatorum properat. Commoratur in foro, in carcere, in prostibulo. Decentissima domus charitatis.

Bernard.

56. Ad domum

Fatus Dominus ex platea, ex foro, *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam,* &

peccatorum accidit, & ex platea clamat, vt aperiatur cor durum. Apoc. 3. Cant. 5.

& aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Apoc. 3. Ad cuiusnam ostium pulsat sponsus? An iuxta sponsæ dilectissimæ ianuam expectat? *Vox Dilecti mei* (inquit illa) *pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea.* Cant. 5. Certè qui profatur, *Si quis audierit vocem meam*, &c. audiendi aures requirit, ad inimicos ingredi expetit, vt amicos efficiat. Sic Strabus, *sto ad ostium, id est, inspiro.* Anselmus, *sto ad ostium, id est, cor clausum, vel induratum.* Quid Dei filio cum peccatorum habitaculo? Et rogas, & cupis, vt aperiant? In platea Dominus? Noctu cælestis diuagatur sponsus? Vel Paterfamilias variis diei horis progrediens ad forum, post noctis instaurationem ad domum recipitur, & immobiliter commoratur. Profectò dum Dominus peccatores quærit, decentissimè noctu circuit ciuitatem. Hispanè explicare liceat, *Ni el rondar es indecente a quien busca peccadores que conuertir.* Augustinus lib. 4. Conf. cap. 11. *Noli esse vana, anima mea, & obsurdescere. Verbum ipsum clamat, & ibi est locus quietis imperturbabilis.* Ibi est locus quietis? Vbi nam precor? Ibi, vbi clamat, vbi pulsat, in platea, in foro tam decenter commoratur, ac si in imperturbabili cœlesti throno versaretur.

Strab. Anselm. August.

57. *Vel in infernum descendat Dominus, si educendus sit aliquis peccator.* Luc. 2. Timoth. Antio.

Cum IESVS apud Doctores Ierosolymæ remaneret, quæritur, & inuenitur à Deipara proclamante, *Quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Cui Dominus. *Et quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oporteat me esse?* Luc. 2. Vbi Timotheus Antioch. Orat. de Hip. sic pulchrè, *sed & vbi me quærebatis? Ad cælum non ascendistis, ad infernum non descendistis, in ceto Iona non habitastis.* Quid ageret Dominus in inferno, in ventrem piscis cur descendere dignatur? Cœlum thronus eius; requiratur in superis. At in inferno in ceto Ionæ indecens præparabitur habitaculum. Profectò si Dauid, siue peccator educendus sit *ex inferno inferiori*: Si Ionas est in Niniuem adducendus, si reducendi peccatores: nullus est indecens locus Charitatis prædicatori.

SECTIO QVINTA.

Operariorum Denarius.

TEXTVS.

VERS. 8. CVm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos. 9. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant aduersum Patremfamilias, dicentes. 12. Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus? 13. At ille respondens vni illorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nónne ex denario conuenisti mecum? 14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. 15. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic erunt nouissimi, primi: & primi, nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Denarij solutione.

1. *Singulis denarius est datus. Primi obmurmurarant.*

CVM *sero*, &c.] In Solis occasu Paterfamilias procuratori suo operariis mercedem soluere iussit: nouissimis primum, iis scilicet, qui hora vndecima venerant, deinde iis, qui hora sexta, & tertia vocati fuerant; tandem illis, qui hora prima summo mane fuerant ad vineam immissi. Profectò nouissimorum, qui vndecima hora aduentarant, singulis denarius est datus, reliquis similiter. At primi cum dari cernerent denarium nouissimis, ampliorem mercedem sibi soluendam arbitrabantur: sed denarium solummodo accepere. Quam obrem conquerebantur, quod quærantum vna hora laborauerant. operarij, mercede ipsis æquarentur, qui horis duodecim pondus diei æstus tulerant.

2. *Satisfacit Paterfamilias.*

Amice, non facio tibi iniuriam.] At Paterfamilias vni eorum conquerenti respondit, Nonne denario te conduxi, vt duodecim horis operam tuam vineæ colendæ exhiberes? Denario te conduxi, soluo denarium; nullam infero iniuriam dum reddo quod debeo. Volo autem illis, qui vna tantum hora sunt operati, æqualem munificus exponere mercedem. An non licet mihi meo ex penu gratis cuilibet dare. Cur tu ex munificentia mea inuidiam colligis?

3. *Oculus nequam.*

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.] Oculus nequam, siue malus dicitur oculus, qui non libenter aspicit & oculus inuidus, qui malè, hoc est, cum inuidia cernit. Oculus bonus vocitatur, qui bene aspicit, quique proximi mala cum misericordia intuetur. Salomon inquit,

Prou.22. quit, *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Pro.22. Hebraicè. טוב עין הוא יבורך, *tob hhaiin hu iebo rach*, id est, *Bonus oculus, vel vir bonus oculo, ipse benedicetur.* Bonus itaque oculus dicitur oculus hominis proni ad misericordiam. Idem Salomon, *Ne comedas cum homine inuido.* Prou. 23. Hebraicè, אל תלחם את לחם רע עין *albtilchameth lechem rabh hhaiin*, id est, *Ne comedas panem mali oculi.* Ecclesiasticus, *Nequam est oculus liuidi, & auertens faciem.* cap. 14.

Prou.23.

§. II.

De æqualitate mercedis de primis, nouissimis: ac nouissimis, primis effectis.

Sic erunt nouissimi, primi; & primi nouissimi.] Origenes, *Nouissimi sunt, qui posterioribus ætatibus in vineam venerunt: primi, qui prioribus.* Irenæus lib. 4. cap. 70. *A nouissimis cœpit dare mercedem, quoniam in nouissimis temporibus manifestatus est Dominus, & omnibus semetipsum repræsentauit.*

4. *Expositio Origenis, & Irenæi.*

At Chrysostomus, *si adiecit Christus, vltimos, primos: & primos vltimos futuros: ne mireris. Non enim a parabola id tibi conclusum est, sed quemadmodum nunc contingit, vt præter spem & opinionem omnium operarij omnes eandem mercedem acciperent: sic magis mirum illud atque mirabilius, vt primi, vltimi fiant: & vltimi primi, euenturum ostendit. Aliud igitur illud, aliud hoc est.* Addit, *Videtur hic sermo Iudæos tangere, ac eos ex fidelibus, qui primo virtute coruscarunt: deinde negligentia ad profundum deiecti sunt; & illos rursus, qui a nequitia seipsos recipientes ad anteriora concurrerunt.*

5. *Chrysostomi mens.*

Fatur D. Gregorius hom. 19. in Euang. *Fiunt nouissimi, primi; quia denarium eundem accipiunt, qui laborauerunt ad vndecimam, quem expectauerunt, qui laborauerunt ad primam horam. Quia æqualem vitæ æternæ retributionem sortiti sunt cum eis, qui a mundi initio vocati fuerunt ij, qui in mundi fine ad Dominum venerunt.*

6. *Quid Gregorius?*

Auctor Imperf. Sic: *Ideo Christus dicit, primos, futuros esse nouissimos: & nouissimos, primos, non vt nouissimi digniores sint, quam primi; sed vt coæquentur.* Augustinus. *Æquati sunt omnes operarij, & facti sunt nouissimi, primi: & primi, nouissimi: quia tantundem acceperunt & primi, & nouissimi. Erimus in illa mercede omnes æquales, tanquam primi, nouissimi: & nouissimi primi; quia denarius ille vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt.* Titelmanus, *Fiunt primi, nouissimi. & nouissimi primi, id est, in retributione æquantur, qui primi laborauerunt, & qui nouissimi.* Attamen diuersi erunt gloriæ gradus. Ideo adiicit Augustinus, *Meritorum diuersitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod autem ad vitam æternam pertinet æqualis erit omnibus. Alio modo ibi erit castitas coniugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis, alio modo fructus boni operis, alio corona passionis.* Et Tertullianus lib. de Monogam. cap. 10. *Licet merces varia, licet multæ mansiones penes Patrem eundem, vno denario eiusdem mercedis operati, id est, vita æterna.*

7. *De æqualitate gloriæ & inæqualitate.* Imperf. August. Titelm. *Diuersitas præmij vna in gloria.* August. Tertul.

Existimo eandem indicare parabolam, verba illa non significare æqualitatem, sed disparitatem. Illi enim primi dicuntur, quibus prius denarius est datus: illi nouissimi, quibus nouissimè datus est. Cum verò dicuntur primi, facti nouissimi, significat, eos, qui primi erant, à primo loco decidisse in postremum. Cum autem dicuntur nouissimi, facti primi, indicatur: eos qui nouissimi erant, ad primum locum ascendisse: non autem æquales esse factos.

8. *Huiusmodi diuersitatem præmij ipsa parabola [illegible].*

Profectò cum de Iudæis, & Ethnicis parabolam exposuerimus, sic locum expedimus. Iudæi primi fuere & Ethnici extitere nouissimi. Sed Iudæi, qui erant primi, facti sunt nouissimi, id est, extremi, quia Christum non receperunt. Ethnici, qui erant nouissimi, facti sunt primi; quia in Christum crediderūt. Multi enim ex Iudæis sunt ad Christianam fidem vocati, pauci verò ex illis fuere electi. Idemque Iudæorū Natio, quæ prima erat, facta est postrema. Quemadmodum in parabola illi, qui primi erant, & primi venerāt in vinea, facti sunt postremi in solutione denarij recipiēda. Contra verò hi, qui nouissimi erant, & postremi erant vocati in vineā, facti sunt primi in mercedis receptione. At quod adijcitur, murmurasse primos, quod sibi nouissimi adæquarentur, Iudæorum obmurmurationem significat aduersum Christianos, qui primi facti sunt.

9. *Auctoris ad suam sententiam de Iudæis & Ethnicis, huius loci accommodatio.*

§. III.

De multis vocatis, ac paucis electis.

Multi enim sunt vocati, &c.] Sic exponit Gregorius, *Terribile est valde, quod sequitur, Multi sunt vocati, pauci verò electi; quia & ad fidem multi veniunt, & ad cœleste Regnum pauci perducuntur.* Haymo, *Multi sunt vocati, pauci verò electi, id est, multi vocati per fidem, pauci per operationem.* Euthymius, *Multi sunt vocati ad fidem, pauci verò acquiescunt.* Anselmus, *Multi sunt vocati ad fidem, pauci verò electi ad Regnum.* Alij aliter.

10. *Patrum expositio.* Gregor. Haymo. Euthym. Anselm.

Mea autem sententia est. Acceperunt nouissimi, id est, Ethnici conuersi denarium, & facti sunt primi. Primi verò, id est Iudæi facti sunt nouissimi, id est, infideles, & instar Ethnicorum; quia plerique eorum Messiam non receperunt. Multi enim Iudæorum sunt vocati, pauci verò ad gratiam, & gloriam electi. Vim expende particulæ; *Etenim*; causam namque reddit: Erunt primi, id est, Iudæi, nouissimi: & nouissimi, id est, Ethnici, primi. *Multi enim*, id est, quia multi è Iudæis vocati fuerunt, sed pauci electi.

11. *Auctoris interpretatio.*

Enim verò cum Auctor Imperfecti verba de Ethnicis solum exponat, fatus; *Ad Gentes pertinent, quoniam ex ipsis Gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi:* & Gregorius, Beda, Interlinearis, Euthymius, & alij multi ad omnes Christianos asserant pertinere, sic cuncto Christicolarum cœtui accommodo; Dixerat Dominus, præmium magnum reposituros eos, qui omnia relinquerent, & ipsum sequerentur. Addit, multos præmium cœleste non consecuturos, qui in mundo primi viderentur. Multi erunt primi, nouissimi: & nouissimi, primi. Id est, multi qui primi videntur, vt Iudæi, qui legem à Deo acceperunt: & multi alij ex vocatis & Christianos, qui diuitiis, honoribus, & dignitatibus præcellent: erunt: erunt nouissimi; quia à cœlesti præmio excludentur. Multi enim sunt vocati ad fidem, pauci verò electi.

12. *Probabilis de cunctis Christianis sententia.* Imperf. Gregor. & alij.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis
PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS
CIRCA LITERAM.
EX OPERARIORVM DENARIO.

OBSERV. I.

Ad illa verba:

Cum autem sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem.

Paterfamilias sero iussit reddi operariis denarium, quia merces erat, quia præmium laboris.

Semper enim serò soluitur debitoribus, nunquam præmium laboris præmaturum accipitur.

13\. PRIMO manè merita exsurgunt, præmium meritorum post solis occasum exhibetur. Semper præmium serò iudicatur apponi, quia debiti solutio est. Nunquam præcox meritorum fructus: quam serotina debitorum solutio est! Rabanus in Cat. D. Thomæ. *Postquam operis diurni ratio reddita est, ad remunerationis tempus opportunum ait: Cum autem serò factum esset.* An cùm serò factum est, tempus adest opportunum ad remunerationem, & solutionem? Ita planè. Nam adeo solutio debiti, aut laboris præmium assolet cum tarditate copulari: vt nisi serò factum sit, non adsit soluendi opportunitas.

Raban.

14\. Audiuit Dauid, quod virum, qui percusserit Philisthæum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet sine tributo in Israel. *Et ait Dauid ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium ex Israel? Quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* 1. Reg. 17. Vbi Lyranus, *Licet iam audisset Dauid, ita tamen volebat a pluribus requiescere, ad maiorem certitudinem.* Ergo Dauidem sollicitabat & diuitiarum amor, & Regia necessitudo, quæ quidem robore comparanda laudabiliter valebat expetere. Porrò addit Lyranus acutè, *Volebat Dauid pugnare cum Goliath propter gloriam Dei, & propter liberationem populi, non cupiditate lucri, vel præmij.* Quonam modo non volebat pugnare cupiditate præmij qui postquam audisset præmij propositi magnitudinem, adhuc interrogauit, *ad maiorem certitudinem*? Porrò quia merces laboris, ac præmium fortitudinis, debitique solutio tam sero impenditur, vt quasi nunquam aduentura prudenti videatur. Vndè qui militat, qui laborat vel ob mercedē; videtur sibi propter solam Dei gloriam laborare; præmium enim, & solutio de agnata tarditate nunquam quodammodo exponetur.

Dauid pugnauit ob solam Dei gloriam, nō ob mercedem, aut præmium; quia serò debita soluuntur, & præmia donantur.

1 Reg. 17.
Lyran.

15\. Multa Deus Abrahamo indicit obsequia, sed quæ facilia præmij promissione reddātur. *Egredere de terra tua, & de domo patris tui, faciamque te in gentem magnam.* Gen. 12. *Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Gen. 15. At cum imperat filium immolari: *Tolle filium, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum.* Gen. 22. nullam assignat tanti facinoris mercedem. Cum filij immolator esse præcipitur, cur merces, quam alibi sēper Deus proposuit omisit? Respondet D. Basil. Seleu. Orat. 7. *Ausa sacrum facere dextra, beneficium spondet.* Attamen alij existimant propositam ei non fuisse mercedem, vt propter solam Dei gloriam tantum facinus exponere cogeretur. Equidē (ait Abrahamus) scio à Domino rectis actionibus præmiū præparari. Attamen gratis filium immolabo; quia egregiorum facinorum temporalis merces ita sero exponitur, vt nunquam aduentitare videat.

Abraham sine respectu ad mercedē filiū immolare curat; quia præmiū, & merces serò expectanda obiiciebatur adeo vt nūquam aduentura videretur.
Gen. 21.
Basil. Seleu.

16\. Post facinus paternæ resolutionis Dominus, *Per me metipsum iuraui, dicit Dominus; quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Gen. 22. Preme præterita illa: *Fecisti rem hanc, Non pepercisti filio tuo, Obedisti voci meæ.* Hisce præteritis futura illa respondent. *Benedicam tibi, Multiplicabo semē tuū, Possidebit semen tuum portas inimicorum, Benedicētur in semine tuo gentes.* Cur præteritis illustrissimis actionibus præsentia præmia non exponūtur? Omnia in futurum præparanda? Debiti est solutio, laboris præmium? Quonam modo poterat præsentari, quod adeo futuro tempori illigatur, vt serò recipi necessarium sit!

Ob præsentia facinora egregia præmium temporale futurum à Domino promittitur. Præmio enim temporario agnatum, est serò præsentari.
Gen. 22.

17\. Curat Deus ex ore sapientis homines ad eleemosynæ difficilia opera allicere, & promissione præmij sic facilitat, *Mitte panē tuum super transeuntes aquas, quia post tēpora multa inuenies illum.* Eccl. 11. Preme τὸ, *Post tempora multa inuenies.* Si procurat difficilē actionem facilem reddere, cur non promittit, illicò post emissum panem, inueniendum: sed post tempora multa? Est merces operis egregij? Hoc est agnatum solutionis debiti ingenium, sero præsentari. Chald. Paraphr. *Porrige alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in nauibus super facies aquarum; quoniam post tēpus dierum*

Ob egregium opus eleemosynæ cur præmiū promittitur post multa tempora? Quia solutio debiti nunquā cita exponitur: semper præmium tardat.
Eccl. 11.
Chald.

ditum multorum inuenies mercedem eius. Si merces est, quonammodo posset moras agnatas rumpere, & post exiguum tempus exhiberi.

18. *Lauat Abraham pedes Filij Dei, & ipse abluit post innumera secula Abrahæ pedes in filiis Apostolis. Quam ferò debiti solutio aduenit! Gen. 18. Ioan. 13. Tertull.*

Dominus in Abrahæ tabernaculo olim sub Angelorum specie peregrinorū recipitur, quorum pedibus vir sanctissimus præparat ablutionem: *Vt lauentur pedes vestri.* Gen. 18. Porrò Dominus vt gratiam referret Abrahamo abluenti *cœpit lauare pedes Discipulorum suorum*, qui Abrahæ filij verè nuncupabantur. Ioan. 13. Tertull. lib. de Trin. cap. 26. *Reddidit Christus in Discipulis Abrahæ filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Debitum hospitalitatis cur non illico soluitur, sed post tot secula? Quia ius hospitalitatis erat. Vulgariter exponam, *Era paga, era deuda; y era fuerza pagar se tarde*, de solutionis debiti ingenio.

Observat. II.

Ad illa verba:

Et accipientes, murmurabant aduersum patremfamilias.

Agricolæ post acceptum denarij munus, obmurmurare aduersus largitorem non verentur.

Stolidi nempe animi est, post beneficia accepta ingratitudinis actionibus lædere largitorem.

19. *Chrysost. Strab.*

Diuus Chrysostomus asserit obmurmurasse post beneficium acceptum eos, *qui rustico animo erant.* Ait Strab. *Non omnes murmurabant, sed quidā mali agricolæ.* Certe rustici animi prorsus est, accipientem obmurmurare: *Accipientes murmurabant aduersum patrēfamilias.* Si non acciperent, si quod eis promissum fuerat præmiū redditum non esset: minus iniostè obmurmurarent. At post accepta beneficia lædere largitorem, seque ingratum Domino ostendere, rustici, vilisque animi est documentum.

20. *Agricolæ rustici proprium est, ex ingratitudine obmurmurare aduersus Patremfamilias. Plato.*

Quam pulchrè Strabus malos agricolas appellauit querulos, ac ingratos murmuratores! *Non omnes murmurabant, sed quidā mali agricola.* Nam post acceptū beneficium obmurmurare, aut querelas excitare in largitorem, rusticorum est proprium. Pulchram exhibeo ex Platone in Axioco, confirmationem. *Dulcis est agricultura, est sane. Nónne tota tamen est (quod aiunt) vlcus: semper parata ad dolere habent causam: nunc quidē siccitatem, nunc pluuias, nunc vredinem, nunc rubiginem, nunc vel æstum intempestiuum, vel frigus conquereus.* Preme, *semper habent causam*, Etiam cum anni benignitatis corona ornantur, semper agricolæ rusticitate animi ingrati aduersus Patrēfamilias cœlestem obmurmurant, ac tragedias excitare non verentur.

21. *Iudæi addicti luto, rustici planè, in benefactorem Moysem obmurmurabant. Hebr. 11.*

De Moyse Paulus, *Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligēs affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatē, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi.* Hebr. 11. Quodnā, quæso, improperium illud Christi, quo Moyses afficiebatur? Existimo Moysem beneficū in suos, qui operibus duris luti, & lateris premebantur, eo ipso ab eis iniuriis esse actum. Chrysostom. hom. 26. *Hoc est improperium Christi, quādo quispiam à suis, quos beneficio affecit, probris afficitur.* Quid nāum ingratos se le beneficiorum largitori exhibuisse, si operibus duris luti, & lateris rusticum animū tam reddiderant? An non rusticitatis exhibuere postmodum documenta, cum Manna refecti, pepones alliáque esuriē non verecundabantur?

Chrysost.

22. *Vilissimi, & quasi nec nomine digni sunt ingrati, qui non se gratos ostendunt: quid addit iniuriam contra benefactorem? Luc. 17. Strab. Bonau.*

Christus Dominus curans nouem leprosos, quos sanauerat, ingrati animi arguere, profatur. *Nónne decem curati sunt? Et nouem vbi sunt?* Luc. 17. & nomine indignos, imo & loco esse ingratos asseruit. *Vbi sunt?* Quid vilius, quam non esse! D. Bonauent. ex Strabo Ordinariæ Glossæ Magistro: *Et nouem vbi sunt? Ingratos viles quasi ignotos, vbi sunt, requirit.* Quid si post beneficium acceptum non solū gratias non exhibeterent: sed & obmurmurationem addidissent.

23. *Vilissimum, & quasi nihil se ostendit Adam, cum aduersum Patremfamilias dā ingratus delinquit. Gen. 3. Abul.*

Addidit Adam, addidit Eua; qui quidem post accepta innumera beneficia aduersum Patremfamilias, qui eos fecerat paradisiacæ vineæ operarios: (*Vt operaretur, & custodiret illum.*) obmurmurauerunt, cum serpenti murmuranti, cur præcepisset illis Deus de vnico ligno nō comedere, morem gesserunt. Clamat Dominus, *Adā, vbi es?* Porrò absconderat se *Adam, & vxor eius à facie Domini.* Gen. 3. Cur ad abscondita fugerant? Abulens. *Absconderunt se ex verecundia ingratitudinis; quia contra Deum benefacientem eis peccauerant.* Tunc ergo cum apparent ingratitudine laborantes, apte clamitat Dominus, *Adam vbi es?* Quia nihil vilius ingrato, qui aduersum benefactorem obmurmurat, seu delinquit. Tam vile quid est, vt vbi am adsit vel Deus ipse quodāmodo ignoret: & qui singulis culicibus prouidet alimēta, ex sua communi prouidentia vti nihil excludat ingratos: *Ingratos quasi ignotos, vbi sunt, requirit.*

24. *Boues ingrati bruta deteriores. Isai. 1. Zeno.*

Profectò dum rusticos gratos appello, maximo eos honore afficio, qui veraciter possim eos, qui beneficia accipientes aduersum largitorem insurgunt, bruta animantia vocitare. Boues esse asserendum? Imo hisce rusticibus animantibus sunt stolidiores. *Filios, (inquit Deus) enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerūt me. Cognouit bos possessorem suuum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit.* Isa. 1. Ergo stolidior boue & asino Israel. D. Zeno ser. 5. de Isa. *Exaltatos appellas, vt ingratos ostendas. Bouem illos, asinumque præponit.* O vitium vilissimum omnem superans rusticitatem! Accipere, & murmurare, agricolarum est: contra omnium munerum largitorem delinquere vilissimi esse ingenij, quis ambigat?

Observat. III.

Ad illa verba:

Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.

Quam stultè conantur operarij ex antiquitate solummodo potioribus præmiis oppleri.

Præmia

Præmia quidem non antiquitatis, sed actionum, ac meritorum iura debent aspectare.

25. Anselm.

PVlchrè exponit Anselmus, *Pares nobis illos fecisti, qui portauimus pondus diei, id est, qui diu sub onere legis fuimus.* Fuistis diu sub legis onere, sed non adeo exactè legem impleuistis, ac illi, qui vna hora fecerunt, id est, qui *consummati in breui, expleuerunt tempora multa.* Non addicenda præmia potiora maiori antiquitati, sed augustiori dexteritati in operibus egregiis perficiendis.Ediscant, qui Communitati adducuntur præmia merita sequi, non collegij antiquitatem.

26. *Quadraginta anni antiquitatis sine merita, non sufficiunt, vt quis honoris præmio affici intendat.* 1. Reg. 4. Rupert.

Sacerdos Heli *senex erat, & grandæuus: & ipse iudicauit Israel quadraginta annis.* 1. Reg. 4. Attamen tot annorum Iudex in Iudicum catalogo non reponitur, nec titulo Saluatoris honoratur. Cur grandæuus, qui tanta antiquitatis, præcellentia fulgebat, honoris præmio à Domino non donatur? Quia cœlestia præmia sequuntur meritorum præstantiam, non iura antiquitatis. Rupert. *Dolendum quippe est illi: qui cum tot annis iudicauerit Israel: nihil vsquam memorabile, vel Iudice tam antiquo officio dignum gessit.* Expetit quis Religiosæ Cõmunitatis socius potioribus præmiis donari, quia quadraginta annis Præsulatui nomen dedit, sed non operam exhibuit? Præmia quidem non antiquitatis nomen, sed meritorum opera coronat.

27. *Iacob quasi[?] iuniorem meritis senem: reputabat seniorem, ad benedictionis honorem impertiendum.* Gen. 48. Paulin.

Iacob olim benedictione donaturus Iosephi filios, *extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat.* Gen. 48. Cur ô senex prudentissime ætatis, & antiquitatis iura non seruas: sed attendentium nota manum dexteram abstrahis ab antiquiori, iuniorẽ nepotem exquirens? Quia benedictionis præmia meritis adhærescunt, nõ antiquitati. D. Paulinus epist. 5. *Nobis Ephraim sinister ad dexteram benedictus proficit, illos in Manasse, qui præsumptione senioris ano dexter adstiterat, trãslata in caput sinistra, denotauit. Soi mas antiguo, aus.* Dextra vulgarium hominum antiquiorem fortasse requireret. Sed senis prudentissimi, ac iustissimi dextera (licet alij subnotent, ac submurmurent) non antiquiorem, sed meritis clariorem exquirit.

28. *Deus agnoscit iuuenes senes, & senes iuuenes. Præmia iuuenes senes sequantur.* Num. 1. Caiet.

Deus Moysi, *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac Magistri.* Num. 1. Ergo antiquitas ætatis aspicienda ad præmia præstanda. Pulchrè Caietan. obiectioni occurrit, dum illã particulam, *Quos tu nosti, quod senes populi sint*, expendit. Haud enim requirit Dominos eos, qui senes sunt annorum, aut antiquitatis multiplicatione, quæ ab omni populo poterat adnotari, sed eos, quos ipse prudentissimus Moses agnosceret meritis esse senes, & Magistros. Ideo addidit Magisterium, quod quidem non sequitur antiquitatem, sed sapientiam. D. Gregorius roborat. lib. 19. Mor. cap. 13. *Si senectus in eis corporis quæreretur, à tantis sciri poterant, à quantis videri.*

Gregor.

29. *Quam aptè electus Salomon puer senex ad Regnum!* Isa. 3

Antiquus illicet ad Communitatis obeundã munia augustiora, qui meritorum canitie decoratur An aduersum Patremfamilias obmurmurare licebit, quia Salomoni dedit imperium quum duodecim esset annorum? Maledictionis certè flagellum est, iuuenem Regem throno hærescere. *Dabo pueros principes eorum.* Isa. 3. Vbi Basilius, *Planè nouerat, eiusmodi pœnam fore grauissimam, si ea ciuitas sub principatu adolescentum esset, & ab eis administraretur.* Cur ergo ô Paterfamilias puerum eleuasti ad Hebræorum planè ruinam? Cur antiquos dierum non elegisti? D. Hieronymus respondet ad cap. 3. Isa. *Salomon duodecim erat annorum, quando suscepit Imperium. Et quia habebat merita sapientiæ, propterea non est appellatus iuuenis.*

Basil.

Hieron.

30. *Cui nam datum munus iudicandi aptius: senibus ne Susannæ, an puero Danieli.* Theodot.

Iudices illi, qui Susannæ puritatem labefactare curarunt antiquitate proculdubio cõmendantur ad muniorum administrationẽ. At dum Deus pueri Danielis spiritum excitat, & eum efficit Iudicum senum Iudicem augustiorem: exprimit planè, non antiquitatem, sed merita esse aspectanda, ad elargitionem præmiorum. Theodotion, *Daniel antequam iudicaret, appellatus est puer: postquam verò excitauit in eo Deus spiritum, & iudicauit prudentissimè senes, accepit Presbyterij dignitatem.* Appositè ad munia suprema iuniores assumuntur, si meritorum canitie decorantur. Inepti autem ostenduntur ad præmia, qui vacuam meritis antiquitatem exponunt.

31. *Merita omnem suppleut ætatem.* Sap. 4. Bernard.

Sapiens asseruit, *Consummatus in breui expleuit tempora multa; cani enim sunt sensus hominis.* Sap. 4. Ad quæ Bernardus epist. 53. *Bene multa, quia & vniuersa complectitur. Quanta sanè tempora non longæuitate, sed longanimitate, hoc est, non annorum serie, vel dierum numero, sed mentis deuotione; & inextinguibili semper proficiscendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immeritò vindicauit. Retinet quidem virtute, quod amisit in tempore.* Hinc cum Ambrosio lib. 2. de Pœn. cap. 9. concludo, *Infirma spes, quæ committitur tempori.*

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba

Qui portauimus pondus diei, & æstus.

Qui à primo mane, id est, ab ætate prima ad vineam operarij mittuntur, validiores sunt, pondera diei, & æstus comportare.

Assero, illos onera legis, tentaminum molestias fortius vincere pulchrioresque operum fructus exponere, qui à pueritia virtuti litarunt obsequium.

32. Anselm.

AIt opportunè Anselmus, Qui primo mane, id est, prima in ætate conducti erant, aiunt, *Nos portauimus põdus diei, & æstus; hoc est, sub onere legis sudauimus, & carnis tẽtamenta sustinuimus:* non autem illi, qui *circa vndecimam*, id est, in senectute ad vineam accesserunt. Profectò qui à pueritia virtutis opus arripiunt, aptiores, validioresque ostenduntur ad onera legis portanda, ad fructus exponendos. At senectus conducta *vna hora* facit, infirma ad tentamina sustinenda, quia non assueta labori fructibus ferè vacua virtutum ostentatur.

David

33\.

Ad opus Templi moliendum, oneraque fabricæ deportanda, à Deo alligātur aptiores pueri Salomonis humeri.
1.Paral 29.

Dauid Salomoni, *Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerum, & tenellum; opus enim grande est, neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* 1. Paralip. 29. Preme particulam, *enim*, cuius planè sic vim exposuerim: Elegit Deus ad Templum augustissimum exædificandum, Salomonem adhuc puerum, & tenellum, *opus enim est grande*; id est, quia erat grande opus, ideo Salomonem tenellum elegit. Profectò ad opus grande moliendum grandæuus erat eligendus extructor, si ab hominibus electio futura esset. At Deus ad opus tantum suscitandum, ad operis pondus sustinendum, eum eligit, qui à pueritia virtuti litauit obsequium.

34\.

Dauid pascens à pueritia, aptior ad Regnum sustinendū, quam seniores.
1.Reg.16

Chrysost.

Reiecit Samuel Dei nuncius maiores Isai filios, & pater profatur, *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, & adduc eum.* 1. Reg. 16. Adducendus ne paruulus ad Regni administrationem? Quonammodo poterit tanti muneris pondus sustinere, cui quidem robustiores fratrum humeri impares reputantur? *Paruulus pascit oues.* A pueritia Dauid exercitamentis vitilibus studium expendit? Quam aptus, vt possit Regni difficultates vincere, hostium sustinere certamina! D. Chrysost. ad Ps. 58. *Adolescens Dauid in eremo oues pascebat. Non cessabo saepius adolescentulum nominare.* Electus ad Israëlis imperium iuuenis pascens; *Vt nullus neque iuuenem culpet, neque senem collaudet. Non enim canities laudabilis*, ad onus sustinendum, nec iuuentus culpabilis, aut repellenda, si exercitamentis virtutis addicta est.

35\.

Daniel senes vitiis voluptatum æstum portans fortiùs, quia à pueritia virtutis alūnus.
1.Reg.2.
Chrysost.

Ad memoriam reuoca Danïelis fortitudinem superantis vtique leones, & augustius leones senes comminuentis. Senes quidem non potuere pondus æstus portare, id est, *carnis* stimulos, vt Interlinearis exposuit. At Danïel liberauit Susannam, & leones, id est senes impudicos superauit. Vndénam & senes inualidi ad æstum portandum, & Danïel potens, tam horribiles hostes superare! Certè quia illi *inueterati dierum malorum*, Danïel autem *non recedebat a Tabernaculo adhuc puer*, 1. Reg 2. Chrysost. citatus senes illos leones appellans adiicit. *Sed & Daniel cum esset duodecim annorum leonum rabiem in ouium mansuetudinem commutauit, & ferociam illorum* (senom) *fide fregit.*

36\.

Tres pueri Hebræi fornacis æstum portauere, à cunabulis assueti virtuti.
Dan 3.
Chrysost.

Testor tres illos pueros fortissimos fornacis Babylonis æstum superantes. Dan. 3. Annon ideo potuerunt sustinere pondus illius diei, & æstus; quia à cunabulis facti fuerant virtutis alumni? Adhuc Græcus Doctor, *Tres pueri in ignem sunt Regis imperio missi, & quia virtute iam cœlesti præditi erant*, (id est, quia à pueritia virtuti præstabant obsequium) *quam sibi bene viuendo acquisierant, flammas in rorem conuerterunt.* Quis posset flammarum æstum superare, nisi qui à cunabulis didicerat serpentes, comminuere? Puerorum ieiunij recordare.

37\.

Aptior ad pōdus Christi sustinendum pullus alligatus, id est Religiosus, qui à pueritia didicit vincula pati, quā senex sero

Celebraturus Pascha Dominus Discipulos immisit præparatores. *Ite in castellum, quod contra est; in quod introeuntes, inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit. Soluite illum, & adducite.* Luc. 19. Cuinam ministerio pullus asinæ à Domino præparatur? Certè vt ipse eius humeris possit insidere. An non aptior asina mater, quam pullus, ad tantum onus portandum? Respondeo ex particula illa: *Inuenietis pullum asinæ alligatū.* Portò pullus alligatus, puer legis, aut consiliorum obseruator aptior est ad magna pondera sustinenda, quam senex solutus. Appollinaris in Cat. Græca Lucæ apud Corder. *Per hoc, quod pullo asinæ insederit, nobis declaratur, cœlestem Ducem & Ierosolymæ Regem nouello populo insedisse. Pullus enim significat vocationis nouitatem.* Aduocat Deus ad Religionis iugum adolescentem, qui nouellus assuetus iugo, poterit aptius onera instituti sustinere, quam dierum secularium inueteratus.

ad vineam vocari.
Luc. 19.
Apollin.

38\.

Quam aptè ad onera sustinēda adolescētia Deo beatus! Quā ad id munera vinrat senectutem!
Thren. 3.
Hilar.

Vnde Ieremias, *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Thren. 3. Quomodo poterit adolescens portare iugum? Imò validior ad portandum, quia ab adolescentia didicit, primo mane ad vineam missus est. Hilar. ad Ps. 118. *Nouit Ieremias iuuentutis beatitudinem, dicens: Bonum est iuuenis viro, cum fert iugum graue in iuuentute sua: Non expectat frigescentes senectutis annos, nec emortuam iam per ætatem vitiorum consuetudinem; vult longi prælij militem, vult enim Christi seruum, quem nec ipsa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in iis, qui iam prouectioris ætatis crediderunt, inest per donum gratia præterititorum indulgentia, sed non abest per conscientiam naturam gestorum recordatio. Onus istud maturi ad obediendum anni ægrè ferunt. Cæterum ætas tenera grauis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit.* Hactenus Doctor.

Observat. V.

Ad illa verba:

Amice, non facio tibi iniuriam tolle quod tuum est, & vade.

Quonammodo non fit iniuria ei, qui post laborem maiorem minus præmium accepit?

Equidem quia illud ipsum amplius reliquis sociis laborasse maioris præmij locum gessit. Labores enim iustitiæ merces.

39\.

Vt labores æstimentur vtiq præmiū virtutū, necessarius est animus sapiens; quia tribula io iustorum est ænigma.
Anselm.
Nazianz.

ANselmus, *Amice, non facio tibi iniuriam, quia reddo quod debeo.* Quo modo reddis, quod debes, si maius præmium maiori debetur labori? Quia maius id præmium maiori labori, respondes, à me redditum accepistis. Quomodo, si denarium solummodo diurnum accepimus, in quo quidem æquales nos reddidisti *iis, qui vna hora fecerunt.* Fatemini ne vos amplius illis laborastis? Profitemur, affirmamus. Ergo à me maius præmium accepistis, Pulchrè Nazianz. orat. 40. *Hoc ipsum amplius laborasse, qui primo mane missi fuerant in vineam, amplioris mercedis loco habendum est his certè, qui animo sunt non omnino illiberali, & sordido.*

40\.

Ænigma aliud est voce, aliud sensu. Labores voce illi supplicia, sensu autem præmiā virtutum: id quidē animo sapiētes.
Clem. Alex.

Animus requiritur liberalis, ad penetrandum laborum ænigma. Quis videat exterius hominem laboribus actum, & non credat, à Deo esse supplicio affectū? At animus liberalis, & sapiens titne iudicat se à Deo muneratum ob egregia aliqua obsequia, cum aspicit laboribus agitatum. Clemens Alex. lib. 1. Strom. c. 4. *Certamen nostrum duabus opus habet virtutibus: audacia quidem, vt adeat pericula; sapientia autem, vt discernat ænigma.* Quódnam, quæso, laborum, & tribula-

Tertull.

tionũ ænigma? Tertull. In scorp. c. 15. Ænigmata sine dubio præterquã sonant, sapiũt: & aliud in *vocibus erit, aliud in sensibus.* Laborum sustinentia ænigma quidem est: in vocibus, in eiulatu, in clamoribus patientis est supplicium: in sensibus autem, seu veritate est præmium laboris. At indiges sapientia, vt calleas ænigma: *Amplioris mercedis loco habendum hoc ipsum amplius laborasse his qui animo sunt non omnino illiberali.*

41. *Labores Iobi ænigma est voce supplicium, sensu præmiũ. Ad cuius intelligentiam sapientes inuitantur.* Iob. 13. Philipp.

Laborum Iobi patientissimi ænigma exponã. *Audite* (ait ille) *sermonem meum, & ænigma percipite auribus vestris. Si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar.* c. 13. Quõdnam ænigma auribus percipiendum? Certè flagella Iobi, quæ quidem aliud voce, aliud sensu affirmant. Si vox attendatur, peccator supplicio affectus deprehendar; si sensus, iustus præmio donatus apparebo: *Si fuero iudicatus, scio, quod iustus inueniar.* Philippus pulchrè, *Flagella idcirco ænigma voluit appellare; quoniam qui innocentes, & iustos tribulari conspiciunt, velut ænigmata illis sunt.* Ænigmata quidem, quia si voce sunt supplicium criminis, sensu sunt præmium innocentiæ. At non penetrant id nisi qui auribus cordis percipiunt. Vnde huiusmodi præditos intellectu Iobus ad ænigmatis propositionem iouitat: *Ænigma percipite auribus vestris.*

42. *Præmiũ vitæ æternæ vel in præsenti, sunt labores. O ænigmatica veritas doctu!* Rom. 5. Chrysost.

Annon denarius diurnus æterna est fælicitas, qua iustorum virtutes munerantur? Laborem sustinere idem est, ac in præsenti quodammodo æterno præmio potiri. Paulus, *Gloriamur in tribulationibus.* Rom. 5. Id est, cum tribulationum vulnere afficimur tunc vel in præsenti, gloriæ denario donamur. Quis non potius tribulationes supplicium asserat? Ideo ænigma est. Bellè Chrysost. hom. 5. ad Popul. *Ænigma nunc facta est miseria nostra.* Quia *nunc,* in valle lachrymarum voce quidem est supplicium, sed sensu est quodammodo gloriæ possessio. Si ænigma est, *Sapientia requiritur, vt discernas.*

43. *Reclusi in carcere iusti, ipsi carceri renunciant, quia supplicium commune, eis in præmium conuertitur.* Tertull.

Ænigmaticam planè Tertulliani lib. ad Mart. c. 2. exponam sententiam. *Non eo animo hanc epistolam scribo, vt catenarum pondera leuem, aut mæstitudinem carceris alleuem. Contristetur illis, qui fructum sæculi suspirat. Christianus extra carcerem sæculo renunciauit; in carcere autem etiam carceri.* En ænigma. Quonammodo Christianus in carcere potest etiam carceri renunciare? An non carcer supplicium iniquitatis? Ita planè. Certè carcer iustis in præmium virtutis conuertitur. Vnde in carcere Christiani carceri renonciant; quia illis sensu est præmium, quod voce supplicium.

44. *Non immutabitur Paulus cum in gloria præmiũ intrabit, quia dum hic laboris patitur, habet præmiũ. En ænigma sapientibus.* 1. Cor. 15. Chrysost.

Audiendus Apostolus egregiè meam confirmans excogitationem. *Ecce mysterium vobis dico,* (siue ænigma propono.) *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* 1. Cor. 15. Ad quæ Chrysost. hom. 42. *Venerandum quidpiam, & arcanum, & quod non omnes norunt, est dicturus. Quo etiam ostendit magnum honorem, quo eos afficit, nempe eis dicendo arcana. Quid hoc autem arcanum,* seu ænigma *est? Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Porrò ex Caietani mente, particula, *Non omnes immutabimur,* non est idem ac *Non omnes consequemur gloriam;* sed, *Non omnes, qui consequemur gloriam, immutabimur.* Cur Paulus immutandus non est? Quia gloria est virtutum præmium, quo Paulus iam quodammodo potitur, dum tot tribulationibus agitur. Ænigma quidem est laborum sustinentia, verè est præmium, dum supplicium apparet. Mysterium vobis dico, ænigma propono: Non immutabor, cum gloriæ addicar; quia iam in laborum sustinentia denarium accepi. *Quo etiam ostendit* (adnotanda clausula apponitur) *magnum honorem, quo eos afficit, nempe eis dicendo arcana,* aut ænigmata; quia eos præcelsæ sapientiæ esse profitetur; nec enim vulgaris aut sordidus intellectus poterit ænigmatis attingere veritatem. Quia *hoc ipsum amplius laborasse amplioris mercedis loco habendum est iis certè, qui animo sunt non omnino illiberali, & sordido.*

45. *Paulus communicãs benedictiones omnes fidelibus reseruat sibi soli vincula, quia præmiũ gloriæ alteri non datur.* Act. 26. Chrysost. *Hoc ænigma Philosophus, seu doctus.*

Alibi idem apposuit ænigma sapientibus interpretandum. *Opto apud Deum, omnes, qui audiunt me hodie, fieri tales, qualis & ego, exceptis vinculis his.* Act. 26. Ænigma quidem illud est: Cur Paulus exceperit vincula ab aliis bonis, quibus fideles illos oppleti exoptabat? Profectò quia vincula præmium erant virtutum, quod alteri nõ tribuenda ab æmulatore Dei, qui profatur: *Gloriam meam alteri non dabo.* Quisnam poterit tam difficilis ænigmatis sensum arcanum penetrare? Chrysost. hom. 33. in 1. Cor. *Qui nondum istam gloriam nostram, & præmium degustarint, vbi philosophari discent, etiam catenæ, & vinculorum decus admirabuntur.* Ergo necessum est philosophari ad ænigmatis intelligentiam.

46. *Non quodammodo expectat, qui possidet labores, quia sunt præmia virtutum.* Emissen. *Animus ad intelligentiam ænigmatis requiritur sapiens.*

Ait Eusebius Emiss. hom. de Martyr. *Cauete, ne in arena mundi, in quam ad subeundos labores missi sumus, aliquam fælicitatem expectandam putetis.* Cur non expectanda aliqua fælicitas ei, qui laboribus agitur? Certè quia illud ipsum labores sustinere est præmio æternæ fælicitatis quodammodo potiri. Ænigma est voce supplicium exprimens. Ideo ad mysterij intelligentiam requiritur animus sapienter iudicantis. Vnde adiicit Doctor apposite, *Cauete, ne bonam vitam si afflictionibus subditam videritis, miseram iudicetis.* Quid si miseram iudicemus, & quod sonat ænigma voce reputemus supplicium? Proculdubio cum agricolis illis sordidis computabimur, qui postquam plus reliquis laborauerant, se præmio carere arbitrabantur. Porrò *hoc ipsum amplius laborasse, amplioris mercedis loco habendum est, his certè, qui animo sunt non illiberali, & sordido.* Caueas ergo iudicare supplicium, quod veraciter præmium est, ne animo omnino illiberali, ac sordido habearis.

LIBER DECIMVS.

ZIZANIA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumtertium Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vita, seu Iesv locuti in Parabolis FRVCTVS DECIMVS.

IN medio tritici inimicus homo superseminat noxia admodum zizaniorum grana, quorum tamen germina vsque ad messis instantiam minimè euelluntur, ne tritico pariat exitium minus prouida, seu matura fundi repurgatio. O Mariæ charitas Dei hæreditatem irrigans, vt zizania purissimum mutentur in triticum, siue arsuri peccatores ad cœleste horreum deferantur! Richardus Laurent. lib. 9. de laud. Virg. *Ecclesia dicitur hortus plantationum, quia ibi plantantur boni, & mali. Dominus quidem plantauit eam voluptatis hortum, & bonum semen seminauit in agro suo: vnde ergo habet zizania? Respondet Matth. 13. Inimicus homo hoc fecit. Propter hoc beata Virgo rigat hunc hortum, seu agrum aqua triplici: doctrina, vt purgetur ab erroribus: Gratia, vt ornetur floribus, & fructibus virtutum: Tribulationum, vt omnis plantatio, quam non plantauit Pater, eradicetur; aut repurgatione mutentur in triticum semina zizaniorum.* Pulchrè.

Richard. Laur.

MATTHÆVS CAP. XIII.

VERS. 24. SIMILE factum est Regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.

PARAPHRASIS.

24. SVPERIORA *mala tantum lædere semen recens iactum, aut herbescens potuerunt. Hoc iam enatum, adultamque segetem corrumpere assolet. Regnum, inquit, cælorum simile est homini patrifamilias, qui cum bonus esset, suo bonum semen seminarat in agro.*

25. *Caterum*

25. Cum autem dormitent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.

25. Cæterum dormitantibus famulis, clam venit inimicus quidam. Is, quoniam non potuit noctu tollere ſemen, quod iam terra conditum erat in tuto, dolo molitur lædere: Zizaniorum inutile, imo noxium ſemen inſpergit, & ſeminato tritico admiſcet: factóque hoc abiit. Hunc dolum primò nemo ſenſit.

26. Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.

26. Cum verò iam ſemen emerſiſſet in herbam, & culmi ſpicis eſſent onuſti, tunc ſimul enata Zizania, prodita diſſimilitudine cœperunt apparere.

27. Accedentes autem ſerui Patrisfamilias dixerunt ei, Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?

27. Profectò ſerui demirantes, vnde id accidiſſet, patremfamilias adierunt. Domine, inquiunt, nónne tu bonum ſemen tuo ſeminabas in aruo? Vnde ergo admixta Zizania?

28. Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, vis imus, & colligimus ea?

28. Dominus autem ſuſpicans auctorem noxæ; Inimicus, inquit, homo hoc fecit, qui mihi tam male affectus obiicitur, vt etiam nullo ſuo bono, me lædere gaudeat. Tum ſerui: Vis ne igitur eamus, & colligamus zizania, ſegetemque purgemus?

29. Et ait, Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.

29. Ait Dominus, Nequaquam; ne forte imprudentes, dum euellitis zizania, ſimul & vicinum triticum eradicetis.

30. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem; & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania: & alligate ea in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.

30. Sinite ſimul triticum, & Zizania creſcere vſque ad tempus meſſis, tum hoc negotij dabo meſſoribus, vt priuſquam demetant, ſublegant prius admixta zizania, eaque ſeparatim compingant in faſciculos ad ignis alimoniam; ac deinde triticum purum, meum recondant in horreum.

SECTIO PRIMA.

Apparitio Zizaniorum.

TEXTVS.

VERS. 24. SImile factum eſt Regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum, ſemen in agro ſuo. 25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit. 26. Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet; tunc apparuerunt & zizania. 27. Accedentes autem ſerui Patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? 28. Et ait illis, inimicus homo hoc fecit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De inimico zizaniorum superseminatore.

1. *Quonammodo dicitur Regnum cælorum simile homini seminatori.*

SIMILE *est Regnum cælorum homini.*] Quonammodo Regnum cœlorum simile dicatur homini seminatori, cum cœlum seminator non exeat? Sensus est, idem accidit in Regno cœlorum, id est, in Christi Ecclesia, ac si quis seminasset bonum semen in agro suo, &c. Parabola Discipulis quidem, non turbis explicata.

2. *Quinam homo sator?*

Homini qui seminauit bonum semen in agro suo.] Hic homo Christus, ipso interprete, est. *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.* Seminat autem in agro suo, hoc est, mundo semen bonum, seu Regni filios. Filij autem Regni dicuntur filij Ecclesiæ, quæ Dei Regnum est, non solum boni, sed etiam mali. Quemadmodum cap. 8. *Filij Regni eiicientur in tenebras exteriores,* At eum Dominus asserit bonum semen esse filios Regni. filij Regni vocantur homines boni, gratiæque participes, quos Deus in mundo efficit germinare. Sic August. serm. 46. de diuer. (Matth. 8.)

3. *Nocte zizania superseminantur.*

Cum autem dormirent homines.] Nocte dormiunt homines, ideo noctis hæc est descriptio, vt placet Interpretibus. Cum nox esset, quo tempore omnes homines assolent indulgere somno; venit homo agricolæ hostis, zizaniaque super triticum seminatum sparsit. Agricola quidem, oriente luce, bonum semen terræ mandauit; impius sator & inimicus tenebris noctis tectus zizania sua in agrum emisit. Tertullianus lib. de anim. cap. 17. auenarum eum vocitat superseminatorem, & frumentariæ segetis interpolatorem nocturnum. Malum semen in caligine seminatur, bonum amat lucem. (Tertull.)

4. *Quinam homines dormientes?* (August. & alij.)

Quinam homines dormientes? Chrysostomus, *Præsules minimè vigiles.* Hæresit Augustinus qq. Euangel. in Matth. c. 11. Hieronym. Euthymius, & alij.

5. *Quidnam, superseminare?* (Chrysol.)

Venit inimicus eius, & superseminauit Zizania.] Superseminasse zizania dicitur, quia super triticum ea seminauit. Prius elucet bonum, quam malum exponatur. Prius Deus boni sementem fecit, quam diabolus mali sementem efficeret. Chrysolog. serm. 96. *Nullum malum ab originis processit Auctore. Ab inimico superseminatum est malum. Malum non est à rerum Parente procreatum. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Genes. 1. (Genes. 1.)

6. *Hæresis zizania à dæmone superseminata.* (Tertull.)

Præterea Deus prius veritatis Euangelicæ fecit sementem; postea Dæmon hæresum superseminauit zizania. Tertullianus lib. de Præscript. adu. hæret. c. 31. *Reuertar,* inquit, *ad principalitatem veritati, & posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primo constituit; auenarum autem sterilis fœni adulterinum ab inimico diabolo postea superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat; quia & alibi Verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum.*

§. II.

De seruis ad Patremfamilias deferentibus zizaniorum natalitium.

7. *Non omnia quæ in parabolis narrantur, aliquid significant.* (August.)

ACcedentes *autem serui.* Augustinus lib. 18. de ciu. c. 2. de typis, ac figuris veteris Testamenti loquens, ait: *Non sanè omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt: sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in citharis, atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed vt aptari possint, insunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus; sed ea, quæ percussa resonant, connectuntur his. Ita in Prophetica Historia dicuntur & aliqua, quæ nihil significant: sed quibus adhæreant ea, quæ significant, & quodammodo religentur.* De Parabolis autem specialiter, Chrysostomus hom. 65. in Matth. profatur, *In Parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi. Sed cum quid per Parabolam intendat Dominus didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio est conatu inuestigandũ.* Et hom. 48. *Sæpius me dixisse memini, non ad verbum exponendas esse Parabolas.* Igitur quod adiicitur in præsenti, seruos accessisse ad Dominum, &c. parergon, & emblema esse potest, ideo à Christo explicatum non esse reor. (Chrysost.)

8. *Attamen Patres existimant probabiliter hosce in seruis Angelos signari.* (Hieron. Theophyl. August. Euthym.) *Vel Orthodoxos quosque.*

Attamen D. Hieronymus seruos Patrisfamilias Angelos esse ait, Theophylacto approbante. At Augustinus lib. de qq. Euang. sec. Matth. cap. 12. hanc refutat expositionem, asserens seruis Patrisfamilias probos homines significari. Angeli etenim non ignorant, vnde semen malum oriatur. Quamobrem interrogatio illa, *Vnde ergo habet Zizania?* Illis tribuenda non est. Euthymius, *Seruos effingit Dominus Orthodoxos, qui feruentiorem* erga cultum suum gerunt zelum: qui frequenter admirantur, quod Deus zizania nasci permittat.

9. *Defenditur Hieronymi sententia.*

Profectò Hieronymi sensus potest defendi. Angelis enim interrogatio est adscribenda non tanquam ignorantibus. Baptista Discipulorum ex ore quæsiuit, Tu es, qui venturus *est, an alium expectamus?* Et tamen sciebat Christum verum Messiam. Licet autem parabolæ multa non possent attribui ad ornatum apposita, posset Angelis addubitatio adscribi interrogatio illa non quasi ignorantibus; sed vt materiã Patrisfamiliæ solutioni exponant: quemadmodum de quæstione Ioannis Baptistæ asserẽdum.

10. *Inimicus homo est diabolus.*

Inimicus homo hoc fecit.] Diabolus indicatur, Domino asserente; Dei enim, & hominum inimicus est. Non est ille homo, sed in homine inimico appositè adumbratur. Zizania filij sunt nequam. Græcè, υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, id est, *filij illius mali, & nequissimi,* scilicet dæmonis. Dicuntur autem filij nequam, id est, diaboli homines impij, quia ab eo sunt proseminati, & illum imitantur, iuxta illud: *Vos ex patre diabolo estis.* Ioan 8. Basilius ad Psalm. 44. *Omnes, qui peccatum admittit, ex patre diabolo est.* (*Peccatores satio, seu filij diaboli.* Basil.)

11. *Cur diabolus pater, aut sator dicitur impiorum?*

Cur autem diabolus pater dicitur impiorum, seu zizaniorum seminator, cum Deus omnium sator? Dicitur diabolus seminare zizania, id est,

hominès improbos, non propterea quod illos procreet, aut gignat: Sed quia ex bonis malos reddit: & ex tritico in zizania conuertit. Deus quidem auctor mali minimè est, hominem in agro suo, seu mundo velut repurgatum triticum seminauit. Quid enim aliud Adamus fuit in gratia, Iustitiáque originali conditus, quam tritici porum granum? Gratiæ ergo, virtutumque omnium Deus sator est, dæmon verò seminator vitiorum. Barradius noster ait, zizania improbos etiam Christianos significare. Didicit ex Augustino sermon. 46. de diuer. & Cypriano epist. 52. ad Maximum, cuius verba recitat Augustinus lib. 2. cont. Crescon. cap. 34. Idem sentiunt Carthusianus, Abulensis, & Caietanus.

Barrad. August. & alij.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX APPARITIONE ZIZANIORVM.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Simile est Regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.

Licet Regnum cœlorum tantum est, & homo tantillus: aptè tamen augustissimum Regnum cœlorum comparatur paruulo homini, qui seminat bonum semen in agro.

Exhibere autem munera, eleemosynam nempe erogare, res tanti momenti est, vt homuncionem cælestem, & maximum efficiat.

12. Psalm. 8. Bellarm. Interl. Remig.

QVID magis exiguum, quam homo? Ait Dauid, *Quid est homo, quod memor es eius? & filius hominis, quoniam visitas eum?* Psalm. 8. Bellarminus, *Maximum (ac si diceret) est hoc beneficium, quo Deus altissimus dignetur meminisse hominis, qui est puluis, & cinis.* Quonammodo ergo totum cœlorum Regnum (Interlinearis, *Id est tota Ecclesia,* Remigius, *Id est Christus*) vilissimo homini comparatur? Crediderim, quia seminauit bonum semen in agro suo. Anselmus, *Bona non seminat nisi magnus, qui semen bonæ voluntatis ad opera charitatis studet perducere.* Iam constat, cur Regnum cœlorum totum appositè vilissimo homini æquiparatur. Tanta enim res est bona disseminare pauperibus, beneficiis donare subditos: vt tantillus homo ex operibus charitatis magnus appareat. Dum enim bona largitur & cœlestis, & gigas apponitur contemplandus.

13. *Zachæus pusillus in Regem cælorum conuertitur eleemosyna promissione.*

Zachæus Publicanorum Princeps corpore pusillus, animo vilior erat ex rapinarum deformitate At Christus, *Hodie salus huic domui facta est, eo quod ipse sit filius Abrahæ.* Luc. 19. Ac si diceret, eo quod ipse sit Dei Filius. Nam de Christo Matth. *Liber generationis* IESV-CHRISTI *filij David, filij Abraham.* cap. 9. Hodie ergo Zachæus pusillus, & vilis in Dei Filium, sioe Christum conuertitur, vt possit profari Matthæus, *Simile est Regnum cælorum,* id est, *Christus* homini pusillo Zachæo. Vndénam pusillo homuncioni gigantæam Domini staturam æmulatio? *Hodie salus huic domui facta est.* Audi Publicanum. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Non dixit, *Dedi,* sed *do.* Hodie dare incipit. Titus Bostren. *Vt primum Christum Dominum non citra gaudium in domum excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum curator.* Ergo cum incipit charitatis opera seminare excipiendo Christum inopem hospitio, & se pauperum consecrans curatorem, aptè à Domino Dei filius, alterve Christus appellatur; quia *simile est Regnum cælorum,* id est Christus *homini, qui seminauit bonum semen in agro suo,* id est, *opera charitatis* exposuit.

Luc. 19. Matth. 1. Titus. Bostr.

14. *Zachæus hospitalitatis opere quodammodo IESV staturā exæquat, seu similis ei dicitur.* Luc. 19. Strab.

Preme clausulam illam Lucæ de Zachæo profantis: *Quærebat videre* IESVM, *& non poterat; quia statura pusillus erat.* Porrò cum primum Christum domo excepit, addit Euangelista, *Stans aut Zachæus.* Luc. 9. Particula, *stans* cur apponitur? Strabus, *Stans,* seu *eleuatus ex persistentia hospitalitatis.* Cum primum opus charitatis seminat, iam eleuatus est, iam giganteæ Christi staturæ gerit morem; quia disseminare charitatis semina homuncionem efficit Regni cœlorum æmulatorem.

15. *Pusillus erat Zachæus cū ascenderet arborē, quia nōdum promiserat, pauperibus se erogaturum.* Luc. 19. Ambros.

Profectò pusillus ille in conspectu Domini promisit, se daturum pauperibus diuitias: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Luc. 19. Tunc stat, seu eleuatur, iam post promissionem operum charitatis pusillus non est, qui ante seminationem huiusmodi vilis homo ostendebatur. Pulchrè Ambrosius, *Quid sibi vult, quod nullius alterius staturam nisi huius scriptura expressit? Quia statura pusillus erat. Vide, ne forte malitia,* (id est rapina) *pusillus. Nondum enim promiserat, cum ascenderet* arborem. Dum iniquè bona pauperum terit, pusillus ostenditur; dum spargit, adeo magnus in conspectu Domini obiicitur, vt valeat aptè Abrahæ filius, tum seu Christi seu Christus appellari.

16. *Discipuli ad Regnū pos-*

Discipulos Dominus monebat, *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Luc. 12. Ac si diceret, dum auditis

fessimum se pusillos habebant, sed ex eleemosyna fiunt Regi cælesti similes. Luc. 12. Chrysost.

auditis Reges futuros, vt Regnum, id est, Rex cœlorum Christus similis vobis valeat appellari: nolite timere, quod vos pusillos nunc esse videamini. Vultis adeò esse magni, vt decenter vobis Regnum cœlorum æquiparetur? *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Ibid. Chrysostomus acutè, *Impossibile est, sine eleemosyna videre in vobis Regnum.* id est, obiicere in vobis pusillis Regni imaginem, aut similitudinem. Spargentes autem operum charitatis semina, vestra pusillitas gigantæa Christi statura (imitatione) decorabitur.

17. *Magnus Rex erat Iob ex magnorū operū, nempè eleemosyna expressione.* Iob 1.

Credite mihi opera charitatis magna pusillum hominem magnum efficiunt. De Iobo legimus, *Erátque vir ille magnus inter omnes Orientales.* cap. 1. Vndénam magnus Iob? An quia *fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia eius magna nimis?* Minimè verò, sed quia opera charitatis magna disseminabat: En boum iuga. Græcè habetur, *Et opera magna illi erant in terra.* Ac si diceret, Terræ inanis pauperum bonum operum magnorum charitatis semen recipiebant. Opera hæc magna Iobum magnum asserebant. Pulchrè Chrysostomus hom. 3. in Iob. *Erant autem ei opera magna super terram. Quænam? Hospitalitatis amor.* Ideò equidem *magnus inter omnes Orientales.* (Chrysost.)

18. *Homo ad similitudinē Dei, dū dat subditus infirmus.* Gen 1. Nyssen.

Inquit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. Vndénam homo imago, & similitudo Dei? Ex mente Nysseni, quia dedit costam, è qua exædificaretur mulier. Qui sublevat subditi infirmitatem, qui roboret, is est, cui Regnum cœlorum, seu Rex Deus assimilari possit.

19. *Fæmina nō dicitur ad Dei similitudinem cōdita, dum aufert. At dicitur, dum dat pauperibus.* Gen. 1. Nyssen.

Cur fœmina non asseratur facta ad Conditoris similitudinem? An quia non dedit, sed abstulit ex dormiente Adamo costam? Nyssenus approbans orat. 1. posse ait facillimo negotio fœminam Dei imaginem adeò referre, vt verè asseratur, simile est Regnum cœlorum mulieri, sicut dicitur, *Simile est Regnum cœlorum homini. Vidi ego,* inquit, *fæminam clam honestissimo vtentem furandi genere. Hæc, inscio marito, de re familiari pauperibus largiebatur, pro viri fælicitate, pro familia prosperitate, pro incolumitate filiorum impertiebat, clam viro, sed pro ipso viro.* Pro ipso donabat, qui factum nesciebat. Id enim præstabat in gratiam illius, qui videt in abscondito, nec benefacta sua diuulgabat. Et mulier igitur habet, vt ad imaginem Dei sit. Itaque si dum Eua aufert clam ab Adamo costam, haud ad Dei imaginem facta affirmatur: dum hæc mulier clam furatur piè à viro quod pauperibus pro viri ipsius incolumitate largiatur, ea ostenditur, cui Rex cœlorum valeat comparari: *Simile est Regnum cœlorum,* (seu Rex cœli,) *mulieri.*

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Cum autem dormirent homines, &c.

Dum Præpositi obdormirent, siue desides ostentantur: inimicus perdit hæreditatem Domini.

Assero, diligentiam Præsulum subditis salutarem.

20. *Contra Præsules desides.* Thom.

Ait Doctor Angelicus in Cat. *Dicit autem, Cum dormirent homines: quia cum negligentius agerent Præpositi Ecclesiarum, venit diabolus, & superseminauit eos, quos malos filios Dominus interpretatur.* Tota hæreditatis ruina Præsulum desidia est: eorum diligentia frumentum liberet à zizaniis.

21. *Qui vigilat, Pater verè est, qui dormit, in puerum commutitur.* Eph. 5. Rurit.

Præsules dormientes curat Apostolus excitare, vt Dominicam custodiant hæreditatem. *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis.* Eph. 5. Custos grauidæ seminibus terræ factus es? Obdormire desine; nam qui dormit obmortuo assimilatur. Dormitio hæc non est Patrum, seu Præsulum Ecclesiæ: sed puerorum, quos non vrget custodiendi ministerium. Ruritius aptè epist. 14. *In quantum in Dei cognitione, ac dilectione proficimus,* (diligenter ministerio Præsulatus incumbentes,) *Patres sine dubio nuncupamur. In quantum verò socordia, desidiaque committimur, atque ad continenda, ac peragenda commissa diuina à secularium actuum intentione quasi à somno segniores adsurgimus: rectissimè puerorum leuitate censemur. Vnde & Apostolus ita Patrem commonet negligentem: Surge, qui dormis.* Quid somno cum Patre? quid cum Præsule vitio puerorum? An aptè segetes custodientur, dormienti puerulo commissæ?

22. *Adamus cui fuit seges humana obdormiuit ipse, & hæreditas destructa est.* Gen. 3. Rurit.

Adam Pater humani generis à Deo custos non tam paradisi materialis, quam totius humanæ segetis assignatur. Desidiæ somno traditus est, cum orationis vigiliæ deberet incumbere. Vnde inimicus homo omnem destruxit segetem zizaniorum, id est, peccati superseminatione. Adiicit illa epist. 14. Ruritius, *Adam paradisi & custos delegatur, & colonus; vt quod orationum obtinuisset industria, parcitatis abstinentia custodiret. Sed quoniam neglexit, per concupiscentiam omnibus amisit & vitam, & immortalitatem.*

23. *Dum Mathathias dat populo Dei Principem sollicitum, cunctis præditum virtutibus ornatum tradit, ad segetum custodiam.* 1. Mach. 2. Egesipp.

Cum Mathathias è vita se discedere recognosceret, ne segetes custodis obdormitione perderentur superseminante inimico zizania: sic profatur, *Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.* 1. Mach. 2. An senex aptè prouiderit Dominicæ hæreditati custodem? Num acceptor personarum ostenditur, dum filio adscribit Principatum? Certè Mathathias iustissimè Iudæ Machabæo segetum custodiam addixit; quia eum videbat sollicitudinis, ac diligentiæ virtute præditum. Diligens est? O quam aptus ad Præsulatum: *Sit vobis Princeps.* Egesippus lib. 1. cap. 1. sic de Mathathia. *Cum*

sibi supremum diem adesse intelligeret, vocatis ciuibus, atque assistentibus liberis: hortatus est, vt tuerentur patriam, Templique religionem; Ducémque eis Iudam Machabaeum cura, atque sollicitudinis sua successorem reliquit. Sollicitudine praeditus est Iudas? O quam agnatus segetum custodiae.

24. Scio, fortitudinem necessariam esse ad inimicum hominem zizaniorum superseminatorem à segetibus ablegandum: scientiam ad eiusdem astum agnoscendum. Cur igitur Mathathias non reliquit ex Egesippi sententia successorem non solum sollicitudinis, sed & fortitudinis, & sapientiae? Profectò quia vbi adest diligentia nullatenus potest hostis segetes deperdere. Sollicitudo ad hostes ablegandos fortitudo est, sapientia est ad dignoscendos. Dominos ad Discipulos segetum Praepositos, *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. Ad debilis summi Praesulis prouidentia agnos infirmos Praepositos haereditatis assignare? Quonam modo poterunt luporum frangere fortitudinem? Certè Discipuli voica diligentia praediti, (licet aliis virtutibus ornati non fuissent quibus mirificè praefulgebant,) poterant aptè praefici gregi. D. Thomas in Cat. hanc Ambrosij pulchram sententiam expressit. *Contraria sunt sibi haec animalia, vt alia ab aliis deuorentur, id est, agni a lupis. Sed bonus Pastor gregi suo timere non nouit. Ideòque ibi Discipuli non in praedam, sed ad gratiam diriguntur. Sollicitudo enim Pastoris boni efficit, vt lupi in agnos audere nihil possint.* Apostoli naque Pastores boni suot, sed simul agoi. Vt agni noo timent luporum fortitudine superari, astu seduci; quia vt Pastores boni sollicitì ostentantur. At vbi diligentia Praesuli, segeti incolumitas.

Si adest Pastori sollicitudo, grex securitate fruitur inter lupos, quia diligentia fortitudo est, &c.

Luc. 10.

Ambros.

25. Rex quidam aiebat, *Nudus egressus sum de vtero matris meae, & nudus reuertar illuc.* cap. 1. Quid mirum, si totius humani generis Princeps nudus exoritur. Post peccatum ouditatem agoouere primi Parentes. *Cum cognouissent, se esse nudos,* &c. Gen. 3. Quare Rex nudus apparet? Crediderim, Dominum nuditate intendisse hominum aeternare diligentiam, ac sollicitudinem. Clemens io Cat. Comit. *Solus ex omnibus homo nudus gignitur, nullo vel armorum, vel indumentorum cognatorum genere protectus. Nec ideo quod sit caeteris animantibus inferior; sed ea re maximè & nudus ille, ac nulla re instructus ortus: vt socordiam à natura depellat, diligénsque, artificia propter egestatem gignat varia.* Dum igitur Principem Deus ad diligentiam ac sollicitudinem vnicam cogit, aptissimè toti subditorum prooidit communitati. Nam Praesul diligens omnium quodammodo virtutum epilogationem exerit.

Homo ad Principatū solum modo indiget sollicitudine, quam reliqua virtutes assequens comitari.

Clemens.

26. Dormiat Princeps, negligens appareat: licet coelesti polleat fortitudine, videtur haereditas deperdi. Princeps ille Israël custos, qui non dormitauit, nege dormiet, si animo quidem vigilabat, corpore in scapha *dormiebat*. Tunc oborta tempestas ouiculam conturbauit, Discipulique haereditas depetdenda proclamant: *Domine, salua nos, perimus.* Matth. 8. Cur ô booi, non curatis plicare vela, gubernatorem compellare, immittere ad pelagus onus nauigij? Vnica illis securitatis spes, si Praepositus euigilet. Excitatur Praesul, nauis securitate fruitur, quae dum ille dormiebat, conturbabatur. Basilius Seleuc. orat. 22. *Ostende te vigilantem, & pelagus reuerebitur.*

Vel Dei vel Praesule dormiente, communitas conturbatur.

Matth. 8.

Basil. Seleuc.

27. Quando non petit subditus Praesule dormiente? Mulier mulierem accusabat, *Mortuus est autem filius mulieris huius nocte; dormiens quippe oppressit eum.* 3. Reg. 3. Mater obdormiti O quanta filij clade! Guatricos Abb. serm. 3. de Nat. *Vigila super curam recens nati, memor, quoniam aemula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei.* O quotiens tibi filius, seu subditus datus in costodiam moritur, qoia Praesul mater obdormisti! Diligentia etenim subditus custoditur, desidia destruitur haereditas. D. Chrysostomus perficiat argumentum. *Nullus,* (ioquit hom. 22. ad Popul.) *vigilans vnquam lasus est.*

Moritur filius datus tibi in custodiam ob tuā desidiam.

3. Reg. 3.

Guatric.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.

Diabolus, seu peccator iniquissimus est zizaniorum, siue discordiarum in haereditate Dominica superseminator.

Vnde nihil sic curant Diui, quam discordia, iurgiorúmque occasionem aliis non exhibere; ne Dei inimici habeantur.

28. ANselmus, *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania, id est, venit diabolus Dei inimicus, & superseminauit discordias inter fratres.* Profectò zizaniorum seminator homo diabolus est Dei inimicus, id est, peccator iniquissimus, quem Deus specialissimo odio prosequitur.

Anselm.

29. Audi Dauidem, *Quomodo dicitis animae meae, Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in occulto rectos corde.* Psalm. 10. De quibusnam peccatoribus Vates loquatur? An de raptoribus, de adulteris? Profectò crediderim peccatores per antonomasiam illos appellari, qoi seminant discordias inter fratres, quia diabolum aemulantur, qui antonomasticè peccator est. D. Synesius ep. 44. reddit rationem, cur zizaniorum seminatores absolutè peccatores dicantur. *Quoniam nulli aequè mores Deo execrabiles sunt, ac famigeratoris, qui ex occulto vulnus infligit. Ignauissimus enim cum sit, maxima infert mala, & quoddam hic inesse fatum dicitur, vt in Cynedorum gregem adscribantur, idque ipsum inter caetera eius artis esse praecipuum. Quare si quis rumores falsis de rebus spargere deprehendatur, hos ipsum neque rogaueris, neque dubitaueris; sed quamlibet firmus, & constans esse videatur, vt audacter hominem pronuncia seminatorem, purum Cocyti assectam,* id est, diabolum.

Seminator discordiarū vocatur, absolutè peccator quia Creyton daemonum est, siue Tartarorū, siue diabolus ipse.

Psalm. 10.

Synes.

30. De Magdalena Lucas asseruit, *Ecce mulier,* qua

Magdalena abſolutè vocatur peccatrix, quia velut Cocytus dæmonũ. Sic ſeminatores diſcordiarum. Luc.9.

quæ erat in ciuitate peccatrix. cap.9. Non expenditur Magdalenæ ſpeciale delictum, ſed peccatrix abſolutè appellatur. Cur non dizit Eoangeliſta, Ecce mulier *quæ meretrix erat in vrbe.* Certè ſicut Dauid aſſeruit ſeminatores diſcordiarum eſſe abſolotè peccatores, quia Cocyti aſſeclæ, ſiue Cocytus ipſe, vbi dæmones commorantur: dum exponit fœminam, in qua ſeptem dæmonia commorantur, *Ex qua,* (ait,) *ſeptem dæmonia exierant:* abſulotè peccatricem vocitauit. An diſcordiarum ſeminatrix? Minimè; ſed ex eo ſeminatoribus zizaniorum aſſimulabatur, quod Cocytus eſſet ſeptem, ſeu innumetabilium dæmuniorum. Audacter pronuncia diſcordiarum ſeminatorem Cocytonis aſſeclam.

31. *Sator diſcordiarum deficiens eſt ab humanitate, quia in dæmonem vertitur.* Iacob.1.

Annumerantur inter Antichriſti nomina à Doctoribus aſſignata, ille: *Deficiens.* Quam aptè filio diaboli, tam inſigni nequiſſimi parentis æmulatori id nomen adſcribitur. *Deficiens*, quia deficit omnino ab humanæ naturæ proprietatibus. *Vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Iacob.1. Quinam, quæſo, integri ſont haud deficientes? Pacis quidem aſſertores. Nam qui diſcordiarum ſeminatores exiſtunt, hi deficiunt in omni. Adnoto verba illa Hemoris ad Sichimitas, qui Iacobæorum mores publicabat: *Viri isti pacifici ſunt.* Gen. 34. Aquila, *Viri isti conſummati, atque perfecti ſunt.* An pacificus perfectus vir eſt? Ita planè. Vnde pacis oſor, diſcordiarúmque ſeminator non ſolum vir perfectus non eſt, verum & defecit à viro, & in diabolum eſt conuerſus.

Gen.34. Aquila.

32. *Curauit Abraham viriliter tueri concordiam, ne deficeret ob humana perfectione, ſiúque Belial efficeretur.* Gen.13. Cathar.

Facta olim rixa inter paſtores Abrahami, & Lothi, quia Paleſtinæ licet vbertima vix ſufficiebant eorum gregibus alendis. Porrò Abrahamus Lotho dixit, *Nè, quæſo, ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos. Ecce vniuerſa terra coram te eſt; recede à me obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Gen.13. Quare Patriarcha ſuo iuri ceſſit, & tam anxiè curauit, ne diſcordiæ fonerentur? Pulchrè Catharinus, Dixerat ei Dominus, *Ambula coram me, & eſto vir perfectus.* Quomodo autem perfectus vir poſſet eſſe, ſi non totis viribus diſcordiarum cauſam intercidere procuraret. A perfectione adeò huminis caderet vt vir imperfectus diceretur, ſi non ſtuderet pacis conſeruationi. Ergo qui addit non ſolum non tueri, ſed & lædere pacem dum zizaniorum ſeminator exiſtit, omnino deficiet ab humano, & diabolicus prorſus exſurget.

33. *Filij Iacob futuri Parentes Dei ex cõcordia, non poſſunt vllo ex capite quodam modo ad diaboli familiam pertinere.* Gen.49. Rupert.

Iacob moriturus ſic filios alloquitur: *Congregamini vt annunciem, quæ ventura ſunt vobis in nouiſſimus diebus. Congregamini, & audite filij Iacob.* Gen.49. Quænam ventura erat annonciaturus? Profectò futurum ex progenie illa Meſſiæ expectati aduentum, Eccleſiæque Chriſti exædificationem. *Audite filij Iacob.* Addit Adamus, *Imo & Christi parentes.* Preme particulam bis appoſitam, *Congregamini.* Cur tam ſollicitè bortatur ſemel & iterum vt cõgregentur? Rupertos, *Congregamini, vt & corporibus congregemur in eiſdem parietibus, in eadem domo Dei, in eadem ſchola Christi. Et quod magis expedit, mentibus congregemur in vnitate fidei, in ſocietate ſpiritus, in vinculo pacis, in filiatione Dei.* Nam *beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Vt poſſitis Dei partes appellari, neceſſarium eſt eſſe pacis aſſertores. Nam ſi diſcordiarum ſementem feceritis, ex patre diabolo exortos eſſe comperiemini; qui homo inimicus zizaniorum ſuper triticum nozia ſemina ſeruit.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Superſeminauit Zizania in medio tritici: Inimicus homo hoc fecit.

Aptè diſcordiarum ſeminator Dei inimicus appellatur, quia Deus concordiæ ſator exiſtit.

Aſſero, nihil Deo eſſe iucundius concordia noſtra; quia nihil diabolo Dei inimico eſt horribilius.

34.

APpellatur appoſitè diſcordiarum ſator Dei inimicus, quia Deus ſator quidem tritici, id eſt, fidelium vnica exiſtentium pacis in ſpica. Nihil Deo gratios, quam fratrum concordia: nihil ſic inuiſum Conditori, quam ſuper triticum zizania ſeminare. Vnde inimicus Dei aptè erit appellandus, qui pacis geſſerit turbatorem.

35. *Dei eſt iubilatio concordia iuſtorũ, ideò aſcendit in voce tubæ.* Pſalm.46.

Concordia Dei eſt iubilatio. Dauid cecinit, *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Pſalm. 46. In voce tubæ quænam iubilatio, ſi die nouiſſima tuba horribilem excitabit ſonum? *In tuba nouiſſima.* Certè non dixit, *Aſcendit Dominus in tuba*, ſed, *in voce tubæ.* Audiſti plures tubas adeò concordes, (horribiliter planè,) vt vnica videatur tuba reſonare? Audiui. Ergo Chriſtus aſcendens cum iubilatione, tubæ ſonitu concordi delectatur; quia Deo dulce admodum eſt, quod concordiæ, ac pacis exerit ſimulachrum. Chryſoſtomus de Apoſtolis Chriſti Aſcenſionem, aliáque myſteria tooorbe prædicantibus: atque eum concordi, vnanimíque doctrina fidei iugo ſubmittentibus, intelligit. *Et cur,* (ait,) *non dixit, In tuba, ſed, In voce tubæ? Significans eorum concordiam, & animi conſenſionem.* Dum ergo Chriſtus aſcendit ad ſuperos in conſpectu Apoſtolorum, quorum concordia tubarum Eoangelicarum ſonum exprimit: neceſſariò in iubilatione ſupera ſcandit; quia fratrum concordia Dei eſt exultatio.

Chryſoſt.

36. *Amat Chriſtus ſimilitudinem ſui, quia concordia myſteria fidei nõ tam verbo, quam opere prædicat, Filium idem cum Patre oſtendit.* Ioan.17. Caietan.

Et quonam modo Chriſtus ſui non amaret ſimilitudinem? An non fratrum concordia Trinitatis eſt æmulatio? Orat Dominus, *Omnes vnum ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te. Vt credat mundus, quia tu me miſiſti.* Ioann.17. An mundus credet, ſi Apoſtoli illigati concordia fuerint profecti ad prædicandum? Caietanus, *Vnde intelligamus, extenſionem fidei non tam fieri prædicatione, quam virtute vnitatis Chriſtianorum.* Quare vnitati adſcribitur vis auguſtior ad adductionem hominum ad fidem, quam ipſi prædicationi? An quia in prædicatione audiunt fidei myſteria: in concordia autem eadem aſpiciunt? an non concordia fratrum

Trinitatis

Trinitatis mysterium repræsentat? *Vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Personarum distinctio, essentiæ vnitas. Quonam modo ergo Dominus non diliget pacis, concordiæque assertores, si æmulatores diuinæ vnitatis, non solum verbo, sed & opere fidei mysteria prædicant?

37\. *Sponsa cœlestis concordia præparatur ad Nuptias, quia nil gratius Numini.* Cant. 1. Ambros.

Huiusmodi similitudine decoratam Christus suam amat sponsam Nuptiis æternis præparari. Fatur ipse, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Cant. 1. Equi iuncti concorditer iugum trahunt? En Domini equitatum. Ambrosius ad Psalm. 118. *Vbi cœpit sponsa Christi concordia, & mansuetudine populorum esse sublimis: & toto circumferri orbe tanquam currus equis velocibus supra mundum rapta, ascendit ad sponsum.* Præparatur enim concordiæ pulchritudine. En illa ciuitas Ierosolyma, quam vidit Ioannes *a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Apoc. 21. Quænam sponsæ præparatio? Certè tunc præparata, id est, agnata sponso cœlesti ostenditur, cum ex vnionis vinculo vnica ciuitas Ierosolyma, *visio* scilicet *pacis* coalescit. An non Dominus *propter hanc relinquet Patrem,* siue è cœlo descendet; *& adhærebit vxori suæ?*

Apoc. 21.

38\. *Dum concordia Deum lætificat, inimicum eius diabolum exterret.* 1 Reg. 16. Chrysost.

Nec mirum concordiam lætificare, quæ quidem diabolum exterret. Dauide citharam percutiente, *recedebat a Saul spiritus malus* 1. Reg. 16. Num citharam concordiæ symbolum pertimescebat? D. Chrysostomus hom. 4. in Acta profatur, *Cithara est charitas ipsa, voces loquentes verba, quæ ad charitatem conciliandam pertinent. Omnes in vnam suauem conspirant consonantiam. Hoc dæmonum furorem compescit.* Quid mirum & diabolum exterreri audiens voces contrarias eis, quas ipse profert discordiarum excitatrices: & Deum recreari eo ipso, quo inimicus eius mœstitia afficitur?

39\. *Vnus concordiæ amator Deo lætificando symphoniam efformat, quid totum Collegium consentientium.* Luc. 15. Euthym.

Vnus quidem concordiæ amator, sufficit, vt Deus mirum in modum delectetur. Prodigus post dissidia redit ad Patrem iam concordiæ amator, iam fraternæ charitatis assertor. Audit senior frater *symphoniam*, & actus inuidia obmurmurare non veretur. Luc. 15. En vnicum concordiæ amatorem, Prodigum vtique Patri hærentem & fratri, licèt ipse à pœnitente germano animo recederet. Quinam ille symphoniæ sonitus? Asserit Euthymius è concordia Prodigi excitari. *Audis musicæ concentum, propter vnius filij erga Patrem concordiam.* Si ergo vnius filij pax tam grata parenti, si vnica vox paterno concordans auditui tantam infert Domino lætitiam: quid quando tota familia, totum Collegium dulcibus numeris adaptatur? Ignatius epist. 14. *Memorabile Sacerdotum vestrorum Collegium dignum Deo coaptatum est, consentitque Rectori, vt chorda ipsa citharæ: ita colligati sensu, & concordi charitate.* Liceat Ignatij Martyris sententiam mei Ignatij Collegiis accommodare tanta concordia colligatis. O quanta exultatio IESV ex Collegij totius concordia, si vnica subditi vnius chorda resonante tam grata est Numini audienti! *Audit musicæ concentum propter vnius filij erga Patrem concordiam.*

Ignat.

40\. *Aduersa diaboli Dei inimici ex concordia conturbatio nostra.* Bonau.

Diabolus Dei inimicus? Ergo nihil diabolo terribilius concordia, si nihil Deo gratius existit. D. Bonauentura lib. 1. Pharet. cap. 28. ex Bernardo: *Parum timet diabolus ieiunantes, quia tam de istis, quam de illis multos traxit in laqueum ruinæ. Sed concordes, & vnanimiter viuentes in domo Domini, coniunctos Deo, & sibi per vinculum charitatis: hi dolorem, hi timorem, hi liuorem diabolo ingerunt.*

41\. *Dum Deus lætificatur nostra concordia, diabolus Dei inimicus, contristatur.* Cant. 6. Gregor. *Sit diabolus non solum Dei, sed hominum inimicus. Concordia colligemur.* Tertull.

Hinc sponsa, *Terribilis vt castrorum acies ordinata diabolo*; quæ sponso cœlesti, *pulchra vt Luna, electa vt Sol* apparet. Cant. 6. Quia qua Deus concordia delectatur, diabolus exterretur, & comminuitur. D. Gregorius hom. 8. in Ezech. *Electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt magis, quo eos per charitatis concordiam munitos contra se, & conglobatos aspiciunt.* Igitur si diabolus se Dei ostendit inimicum, quia discordiarum assertor: nos debemus Dei domestici semper aduersum Dei hostem Marte aperto ex concordiæ amore dimicare; quia concordia nostra diabolum conturbat. Tertullianus ad Martyr. *Inueniat munitos, & concordia armatos diabolus vos; quia pax vestra bellum est illi.* Sic verbum illud: *Inimicus eius,* id est, Patris familias, superseminauit zizania non solum Patri, sed & filiis aptabitur: *Inimicus etiam tritici*, id est, filiorum Patris familias, *&c.*

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Nónne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet Zizania?

Vix credunt serui Patris familias, posse in tritico verè inueniri zizania.

Quia difficulter sibi persuadent iusti, posse alios iustos egregiæ virtutis delicto aliquo maculari.

42\.

ASpectauerant serui Patris familias deprauatam zizaniorum superseminatione hæreditatem; & tamen subdubitant, num oculis sit danda fides. Ac si dicerent. Vidimus te frumenti grana pulcherrima seminasse: vnde ergo habere potest hæreditas zizaniorum germina? An oculi nostri seducti? Ita planè, ait D. Hieronymus seduci possunt oculi, *quia inter lolium & triticum, quandiu herba est, magna similitudo est.* Ergo ô Domine tibi soli iudicium adscribitur, vt recognoscas, an triticum zizaniis exuberet? an tuo in conspectu repurgatum appareat? Nec enim credendum tam bonum semen locum zizaniis criminum exhibuisse.

Hieron.

Serui probi non comprehendunt quomodo, potuisse in hæreditate Petri adesse zizania. Matth. 26. Ambros.

Hæreditas illa pulcherrima Petrus, frumentum illud electorum granorum parens, zizaniorum grana admisit, dum ter Dominum abnegauit. *At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio, quid dicis.* Matth. 26. Accedunt serui Patris familias Euangelistæ scilicet, & deferunt zizaniorum apparitionem, sed diuersimodè à singulis enarratur, adnotante Ambrosio lib. 10. in Luc. *Sed videamus negandi tenorem, quem inter Euangelistas video esse diuersum.* Vndénam

Euange

Euangelistarum ea concors diuersitas? Addit pulchrè Doctor, *Ita arcanum fuit, Petrum potuisse peccare, vt peccatum eius nec ab Euangelistis potuerit comprehendi.* Vident illi zizaniorum germina, sed vix quodammodo comprehendere possunt vndénam tam pulchrum frumentum habuerit zizania: ac si proclamarent illa diuersitate narrationis: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania*, id est, vndénam potuerit Petrus peccato illo fœdari?

43.

Dilecti serui Dei, haud credibile iudicant, posse inter tot Iacobi virtutum germina mendacij zizania reperiri. Gen. 27.

Se Iacob aliquando Esaü simulauerat, mendacio quidem expressu, vti Doctores multi existimant. Quod approbat Isaaci illa clausula: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Cui Esaü, *Benedictionem meam ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam.* Gen. 27. En triticum Iacobum zizaniis defœdatum, si quidem venialia piacula sordes animæ iostæ, seu næuiculus pulchritudinis. Vident Interpretes doctissimi Patris familias serui, nec possunt sibi persuadere zizania vera existere, quæ apparuerunt. Vnde quod Isaac, & Esaü fraudem, & furtum nominant: ipsi virtutem, & mysterium appellarunt. Quid mirum si serui Patris familias. Audi vnum ex hisce Enodium lib. 1. epist. 4. *Pene vitium credidi, rem esse virtutis.*

44.

Iustus Ioseph videt hæreditatem Domini zizaniorum plenam (specie visibili tenus,) & non credit. Matth. 1.

Ventrem Deiparentis segetem quidem cœlestem liliis vallatum aspectanit sponsus. *Ante quam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Matth. 1. Seruus Patris familias non accurrit ad Proceres Iudæorum, vt annunciat verè triticum zizaniis defœdatum: sed ad ipsum Dominum hæreditatis properat, & profatur? *Vnde habet zizania?* Vndénam tanta Mariæ puritas potuit criminis infici vilitate? Facilius credam, oculos decipi, quam sanctitatis triticum potuisse admittere germina zizaniorum. Auctor Imperf. hom. 1. in Matth. *Cui inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto? Sine dubio à sponso suo Ioseph, qui Zeloso amore semper se admouente, vitam circumspiciebat Mariæ. Forsitan autem cum esset iustus, cœpit sic cogitare de illa: Comessatrix, aut vinolenta nunquam fuit, non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix.* Verum concludebat: *Vnde ergo habet zizania?* id est, minimè subest, vnde hæc iniqua germina exoriantur. Igitur à Deo fœcunditas vxoris. *Hæc, & alia similia tractans, nil horum inueniebat in ea; sed è diuerso omnia laudabilia, omnia admiranda, quæ sine Spiritu sancto possibile non erat, esse in natura humana.* Quod igitur zizaniorum à diabolo satore germen apparet, proculdubio à Spiritu sancto est. O iustum Patris familiæ seruum!

Imperf.

45.

Vere seruus Dei videns zizania, credit esse frumentum.

Dei seruus verax vel cum videt zizania, existimat proculdubio seduci oculos. Qui autem nomine tenus Patris familias seruus est, ipsam virtutum pulcherrimam germinationem existimat esse zizania. Primum ostendo in sororibus Lazari virtute conspicuis, veraciter Patris familias famulabus. Miserunt ergo sorores ad IESVM dicentes: *Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem IESVS, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem.* Ioan. 11. Moritur Lazarus, sepelitur, quatriduanus fœtet. Rogo, an sorores Dominum incusarent mendacij? Basilius Seleuc. Orat. 40. *Sorores illas admirari est, quod ibi inaudissent ægrotationem non esse lethalem, ipsúmque vidissent emortuum, contrario rei euentu non sunt offensæ, vt sine mendacij suspicione ad Dominum adierint.* Non solum subdubitant, an triticum admiserit zizania; sed nec addicunt quæstioni; quia nulla suspicione pulsantur. Quid mirum, si seruarunt. Patris familias proprium est, non credere posse triticum zizaniorum germine defœdari!

Ioan. 11.

Basil. Sel.

46.

Serui nequam vndique eruditi virtutum, credunt totum esse vitiorum zizania. Ioan. 5.

Secundum expono. Sanatur à Domino Paralyticus, calumniatores adstant Pharisæi quæritantes: quibus ille, Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle *grabatum tuum?* Ioann. 5. Seruus bonus in tam pulchra virtutum segete nullum zizaniorum granum recognouit. At serui nequam tot contemnunt tritici germina, totámque segetem, ob vnum violati Sabbati zizaniorum falso crediti granum, putant esse zizania. D. Gaudentius serm. 12. ad Neoph. *In campo magno virtutum adhuc vnum fecerat opus IESVS: quod frementi contra se imperito populo Iudæorum, quasi verisimilem sæuiendi aditum dedisse videbatur; quod scilicet Paralyticum in Sabbato curasset. Itaque tanquam violati Sabbati reus insectationem patitur Iudæorum.* Nihil ab eis laudabile in magno virtutum campo reperitur, totum triticum in zizania conuersum reputatur. O seruorum nequitiam!

Gaudent.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Inimicus homo hoc fecit.

Mirum est, quod cùm diabolus sit, qui superseminauit zizania: homo, & non diabolus inimicus appelletur à Domino.

Quam aptè inimicus homo vocitatur? Nihil enim homine in hominem alium crudelius inuenitur.

47.

SI Patris familias inimicus diabolus est, ipso Domino assertore, cur non Dominus dixit, *Inimicus diabolus hoc fecit*, sed *Inimicus homo?* Putásne mitius cum hæreditate Dominica actum fuisse, dum homini, & non diabolo inimico permittente Numine, tradita est? Certè perdenda non potuit horribiliori inimico committi. Nullus enim hostis crudelior homine, si homo sit vulneratus.

48.

Hebræi traditi à Deo in manum hominis inimici, vt diriùs vulnerarentur. Iudic. 3. Ambros.

Olim *iratus Dominus contra Israel, tradidit eos in manus Chusan.* Iudic. 3. Hebraicè, *Vendidit eos.* Nihil enim est aliud, homines in manu inimici hominis tradi, quam diuendi, vt seruire miserè cogantur. Vnde additur, *Et seruierunt ei octo annis.* Cur venditi Hebræi? Ambrosius ad Psalm. 43. *Ecce in peccatis vestris venditi estis.* Si ergo ob crimina grauissima supplicio erant afficiendi, cur non dæmoniis traduntur torquendi? Existimas nè, hominem inimicum mitiorem esse diabolo? Crediderim horribilius

actum

actum cum Hebræis quodammodo, dum homini inimico traduntur; quam si diabolo committerentur. Hic enim nouit ex Iobo animum reseruare; ille autem & in corpus & animum vulneraturus exsurgit.

49. *Homines inimici crudeliores ad homines inimicos torquendos. Ideò damnati colligantur in fasciculos.* Matth. 13. Anselm.

In fasciculos zizania colligantur ad æternam conflagrationem. *In tempore messis*, (ait Dominus,) *dicam messoribus: Colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos, ad comburendum.* Matth. 13. Cur in fasciculos improbi colligantur? Acutè Anselmus, *Quia pro modo peruersitatis sua vnusquisque punietur.* Angeli seu boni, seu vt alij existimant mali, messores, dæmones crudelissimi aderunt damnatorum tortores. At nequissimi illi, qui triticum Ecclesiæ, vti zizania, perdere procurarunt, puniendi sunt *pro modo peruersitatis sua*, dum vnus alij homini alligatur, vt vnus sit alterius tortor horribilis. Ignis tartareus crudelis criminum vindicator. At homo in hominem dirior carnifex exponetur.

50. *Iudicauit Dauid, melius sibi incidere in manus Dei irati, quam in inimici hominis manus.* 2. Paral. 21. Ambros.

Ideò Dauid, *Melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multa sunt miserationes eius; quam in manus hominum.* 2. Paral. 21. Cur non potius dæmonis manus excludere curauit: *Quam in manus dæmonis?* Crediderim, quia hominum manus crudeliores manibus dæmonum iudicauit. Diabolus enim non excedit præscripti supplicij terminos; homo autem inimicus sine termino nouit desæuire. Ambrosius ad Psal. 37. *Elegit, non quod a flagello esset immunis: sed quod moderatius iudicauit, vt Dei lenitati magis, qui nosset ignoscere: quam hominum se committere potestati, qui mensuram vltionis frequenter excederent.* Quam quidem diabolus non excedit.

51. *Cum Deus ostendit, se non ad exitum iracundia assiciendum, ait, se non esse hominem inimicum.* Ose. 11. Hieron.

Vis dignoscere hominum crudelitatem in homines? Ipse Deus Conditor profitetur. *Non faciam furorem iræ meæ; non conuertar, vt disperdam Ephraim; quoniam Deus ego, & non homo.* Ose. 11. Quid si homo esses? Disperderem inimicus, quia homo in hominem non scit nisi destructor irruere. Hieronymus, *Homo ad hoc punit, vt perdat: Deus ad hoc corripit, vt emendet.* Verbum illud: *Punit* hominem exponit aut parentem, aut Magistrum, ad quem attinet cura puniendi filium, aut alumnum. At ex quo capite punit homo, *punit, vt perdat.* Quid si ad hominem addat inimicitiam? Quid si verè possit dici: *Inimicus homo hoc fecit?*

52. *Prima, & secunda bestia Danieli obiecta crudelissima omnium, quia in eis quidnam inimici hominis ostentabatur.*

De feris terram exterminantibus & comminuentibus Daniel præfatur. *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam, donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Secunda bestia similis vrso. Tertia quasi pardus. At sic quartam descripsit: *Ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: & habebat cornua decem. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum; & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Dan. 7. Emanuël Saà ex Patribus annotat primum & quartum animal reliquos superare feritate. Præcipuè verò quartum animal, quod quidem in cornu illo paruulo totum orbis exitium epilogauit. Prima bestia admodum horribilis. Quomodo horribilis, si *super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Imò quia Deus voluit nimiam animantis exprimere feritatem; è leæna illud in hominem conuertit. Nihil enim immitius homine, cum aduersus alios homines sit repugnandum. Porrò quartum animal habet cornu paruulum, quo cuncta horribilia cornua superet feritate. Cornu autem illud vndénam tam horrendum? *Quia oculi quasi hominis erant in cornu isto.* Non absolutè oculi hominis visebantur in cornu, sed, *quasi oculi hominis*: & ex oculorum hominum quasi imagine suprema indicitur feritatis intensio. O humanos oculos reguli vincentes venenatum aspectum!

Dan. 7. Saà.

Leæna mutata in hominem inimicum, vt sit crudelior.

Solus aspectus hominis inimici crudelior leone, & pardo.

53. *Ne homo inimicus sine limite desæuiat in homines, necessaria Dei retentio, & refrænatio.*

Exaggerat Paulus Martyrum tentamina, dum scribit, *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana.* Scio, (ac si diceret,) mitius vobiscum actum fuisse, si Deus vos feris horribilibus, imo & dæmoniis dilacerandos, vt Iobus, tradidisset: ad fidei vestræ probationem commissi estis homini inimico. O certaminis horribilitas! Addit opportunè, *Fidelis autem Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis.* 1. Cor. 10. Si voluntati hominis inimici traditi fuissetis, supra id, quod potestis tentamina desæuirent. At quia Deus fidelis est vobis, agnatam hominis inimici temperabit. D. Anselmus opportunè, *Quis si mensuram iudex tentationibus non prabet, eo ipso stantem deiicit, quo vltra vires onera imponit. Et idcirco inimicum nostrum,* (hominem,) *pia dispensatione permittit, & retinet, relaxat, & refrænat.* Pondera verba, *permittit, & retinet, relaxat, & refrænat.* Haud fit sine retentione permissio, aut sine refrænatione relaxatio, quia si Deus permittens, & relaxans, non retineret & refrænaret, inimicus homo sine limite desæuiret.

1. Cor. 10. Anselm.

54. *Homo inimicus vel lingua maledicente horribilior est ad hominum exitium, quam hostium, & dæmonum exercitus.* Dan. 7.

Bestiæ illius crudelissimæ quartæ adnota proprietatem eam: *Et os loquens ingentia.* Dan. 7. Cur non potius hominis inimici manus horribiles expressit? Certè quia tam crudelis est homo inimicus, vt sufficiat maledicere, ad cunctos homines comminuendos. Balach Rex curans Dei populum delere, postquam comperit potentissimum exercitum ab Hebræis superari: omnino excidit ab spe, donec in mentem venit, Balaam malum Prophetam Dei & Israël inimicum esse. Aduocat inimicum hominem fatus: *Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: Si quomodo possim percutere, & eiicere eum de terra.* Num. 22. Cur Dux, qui potentissima exercitus impugnatione non poterat delere populum, vnum Balaam adducit ruinæ maledictis executorem? Profectò quia quod hostis non potest exercitus fortitudine, poterit inimicus homo sola maledictorum expressione. Non omnis hostis est inimicus, sed omnis inimicus fortissimus ad infallibilem hominum ruinam. Origenes asserit Balachum non fidisse Balaami incantationibus, nec dæmoniis ei ministrantibus, sed maledictionibus hominis inimici, *Si fortè præualeant maledictiones Balaam.* Quæ quidem, quia hominis inimici, validiores sunt non solum hostium exercitu, sed & dæmonum phalange.

Num. 22. Origen.

SECTIO

SECTIO II.

Zizaniorum Extirpatio.

TEXTVS.

VERS. 28. SErui autem dixerunt ei. Vis imus,& colligimus ea. 29. Et ait, Non; nè fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. 30. Sinite vtraque crescere vsque ad messem,& in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos, ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Zizaniis vsque ad messem permissis.

1. *Zelus seruorum.*

VIs imus,&c.] Zelus seruorum Dei indicatur, nullum cupientes in mundo adesse peccatorem, nulla in agro Dominico zizania. *Vis imus*, inquiunt, *& colligimus*, seu *colligemus ea?* Anselmus, *Vis, vt excommunicemus eos?* *Imus, & colligimus* Hebræa phrasis, qua actionis innuitur properatio. *Hecho, y dicho*, vt vulgariter expendam.

2. *Quam vtiliter triticū & zizania simul commorentur.*

Non; ne colligentes zizania,&c.] Compescit Paterfamilias seruorum zelum, nec eis potestatem facit euellendi noxia germina. Cur non sinit Dominus, zizania eradicari? Si improbi è mundo tollerentur, multi probi simul truderentur ex agro. Probi enim multi nascuntur ex improbis. Præterea ipsimet impij improbos, ipsa zizania in triticum sæpè transmutantur. Augustinus serm. 46. de diuers. *Fieri potest, vt qui hodie sunt zizania, cras sit frumentum.* Addo improborum societatem magnam probis exercendæ virtutis exhibere materiam. Tolle impios tyrannos, erunt nè Martyres in Ecclesia? Augustinus lib. qq. ex Matth. cap. 12. *Non esse, ait Dominus, tales auferendos è vita, ne cum malos conatur quis iam interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri sunt. Aut bonis obsint, quibus & inuiti fortè vtiles sunt.* (August.) Hieronymus addit, *Datur locus pœnitentiæ, non citò amputandus frater; potest enim resipiscere.* Strab. *Non exarsit in iram, nec mox vlcisci voluit.* (Hieron. Strab.)

3. *Hæretici extirpandi illico.* (D. Thom. August.)

D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 8. asserit, Deum prohibere zizania, id est, hæreticos auelli tunc, cum periculum adest, nè triticum simul euellatur. Augustinus lib. 3. cont. epist. Parmen. cap. 2. *Si se Dominus, cum serui dixit, Sinite vtraque crescere vsque ad messem: causam præmisit, dicens: Ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. Vbi satis ostendit, cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum firma stabilitate certa securitas manet: id est, quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet: vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere; non dormiat seueritas disciplinæ. In qua tantò est efficacior emendatio prauitatis, quantò confirmatio charitatis diligentior.*

4. *[illegible] ex professo.*

Itaque parabola indicat, semper vsque ad iudicium fore maloscum bonis permixtos, neque esse à Deo summo Patrefamilias omnes protinus extirpandos, sed potius patienter, vt à vitiis ad virtutem reuertantur, tolerandos. Non autem prohibet à Reipublicæ Christianæ Magistratibus, vel hæreticos igni tradi, vel fures, reliquosque maleficos extirpari, iuxta illud: *Maleficos non patieris viuere.* Deut. 13. (Deut. 13.)

5. *Zizania & triticū simul vsque ad messem.* (August.)

Sinite, vtraque crescere vsque ad messem.] Improbi homines simul cum probis in Ecclesia vsque ad iudicium morabuntur. Nec deerunt iusti, nec improbi. Vtraque tam zizania quam frumenta vsque ad falcem excrescent. Augustinus serm. 18. de verb. Dom. *Concedo, in comparatione zizaniorum, simul ac palearum frumenta pauciora. Tamen vtraque crescent vsque ad messem. Toto agro deesse non potest frumentum, quod perseuerando vsque in finem, saluum fiat.* Anselmus, *Longanimitas vsque ad finem necessaria est.* At D. Hieronymus asserit vsque ad messem reseruari zizania, vt innuatur multas actiones specie prauitatis bonas esse, & è contra: *quia inter lolium & triticum dum herba est, magna est similitudo; itaque difficile discernuntur.* Profectò, (vt adnotat Augustinus,) *boni dum sunt infirmi opus habent malorum commixtione, vt per eos exerceantur, aut illorum comparatione inuitentur ad melius.* (Hieron. August.)

§. II.

De Zizaniorum in messe extirpatione.

6. *De messoribus.*

TVnc dicam messoribus.] Messores Angeli, *qui separabunt impios de medio iustorum.* His iubebit Paterfamilias zizania prius colligare in fasciculos, vt igni committantur.

7. *De fasciculis impiorum.* (August.)

Alligate ea in fasciculos.] Quales futuri sint fasciculi Augustinus exposuit serm. 39. de sanct. *Ligate in fasciculos, hoc est rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum.* Gregorius lib. 9. Mor. cap. 39. ad illud Iob, *Vbi nullus ordo*, profatur, *Fasciculos ad comburendum ligare est, hos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat.* Euthymius, *Ostendit sermo, quod hi, qui in eodem peccato communicant, etiam in supplicio communicaturi sunt eodem: similique vltionem sustinebunt.* Certè Theophylactus ex hac alligatione zizaniorum intelligit, alligandos damnatos, ne amplius possint operari. *In fasciculos, hoc est, ligatis eorum manibus & pedibus. Non enim quis vltra tunc operari poterit; sed omnes operandi vias ligabitur.* (Gregor. Euthym. Theophyl.)

8. *Auctoris accommodatio.*

Igitur quia zizania colligari assolent in fasciculos: de eis loquens inquit: *Alligate ea &c.* At in expositione parabolæ fasciculorum non meminit. Iubet Paterfamilias, messores primum

zizania colligere, quoniam Angeli in iudicio impios à probis separabunt. *Mittet Angelos suos,* (exposuit Dominus,) *& colligent de Regno eius omnia scandala,* id est, omnes offensiones, omnia peccata, quæ scandala dicuntur, quia hominum sunt offendicula. Colligent etiam eos, *qui faciunt iniquitatem,* id est, omnes peccatores, *& mittent eos in caminum ignis.* Aptius, *Colligent omnia scandala,* id est, zizania, quæ triticū scandalizant, & exemplo, aut doctrina praua corrumpunt.

9. *De tritico in horreum congregando.* *Triticum autem congregate in horreum meum.*] Iustos triticum appellauit, horreum est æterna fœlicitas. Tunc in horreum omne triticum congregabitur, cum iusti iudicij die in cœlum empyreum recipientur. *Tunc,* (addit Dominus,) *fulgebunt iusti sicut sol;* duplici lumine rutilabunt, corporis, & animi. Corpus enim, & [illegible] mi ris splendoribus externis, ac spiritualibus fulgurabit. Anselmus, *Triticum, id est, in [illegible] congregate, (quia vnitatem amauerunt,) in cœlestes mansiones.* Ansel.

10. *Præcipue parabola pertinet ad hæreticos.* Porrò parabolam de hæreticis speciatim exposuere Chrysostomus hom. 47. Hieronymus hic, Augustinus lib de qq. Euang. in Matth c. 11. Certè de omnibus impiis interpretandam esse censuimus. At non abnegarim præcipuè ad hæreticos pertinere filios dæmonis inimici, semen pessimum. Qualem segetem Arius, Pelagius, Lutherus, Caluinus, & reliqui huiusmodi diaboli filij produxere? Permittit Dominus hæc zizania, funditus non extirpat, fert patienter, pœnitentiam expectat. Nisi in triticum commutentur, tartareis flammis committenda sunt. Chrysost. & alij.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM,
EX ZIZANIORVM EXTIRPATIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Vis, imus, & colligimus ea? Non; ne fortè colligentes Zizania, eradicetis simul & triticum. Sinite vtraque crescescere vsque ad messem.

Non permittuntur vel experti agricolæ zizaniis extirpandis tunc operam dare; quia quandiu herba sunt, id est, in principio, difficile discernitur triticum à zizaniis.

Monemur, à temerario iudicio abstinere, quia multa virtutis actiones vitij specie obtici assolent; & e contra sub virtutis indumento vitium latitat.

11. Hieron. PATERFAMILIAS prohibet seruos agricolas ab extirpatione zizaniorum abstinere; quia vt annotauit Hieronymus, *Inter lolium & triticum, quando herba est, magna similitudo est, & in discernendo difficilis distantia.* Monemur, non facilè iudicandum de proximi defectibus; quia multæ virtutes assolent vitij speciem exhibere: & multa vitia sub virtutis indumento latitare. Si agricolæ seduci poterant circa seminum germina: quid aulici? Deo reseruādum iudicium. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Tunc triticum & zizania dignoscentur à cunctis. At nunc difficillimè potest vitium a virtute omninò, sempérque d[illegible].

12. *Prodigus Patri triticum.* Prod[illegible] [illegible]en[illegible] [illegible]œni[t]udine affectus ad patrem accedit [illegible] [illegible], [illegible] *super collum eius.* Luc. 15. Ambrosius lib. 7. in Luc. *Et cum adhuc longè sis, videt, & accurrit. Videt in pectore tuo: accurrit, ne quis impediat; complectitur quoque, in occursu præscientia est, in complexu clementia.* Porrò adolescens triticum erat paternæ hæreditatis, Patris cœlestis præscientia approbatur: *In complexu clemētia.* Illicò tamen clamat, *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Cur festinat induere, quem præsciuit ex pœnitentia immortali gratiæ stola esse vestitum? Profectò seruis adstantibus morem gessit, cuius oculis, quod in Dei conspectu erat triticum, zizania apparebāt. Nuditas externa peccati effectus? Peccator est filius. Ergo *induite illum,* ait, ad iudiciū hominum infirmandum. Acutè Chrysologus serm. 3. *Citò proferte stolam primam, & induite illum. A seruis antè vestiri voluit, quam videri.* Quare à seruis vult vestiri ante, quam aspectari? Ne serui Patrisfamilias videntes externam nuditatem adolescentis, speciem nuditatis internæ referentem, proclament: *Vis imus, & colligimus ea?* O quam difficilè hic peccator à iusto discernitur! *Cum erat, ne autem zizania servis appareret, indui iubet.* Luc. 15. Ambros. Chrysol.

13. David opportunè, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata.* Psal. 31. Idem est remissam esse iniquitatem, ac tectum esse peccatum; quia vera peccatorū obliteratio signatur ex mente Augustini. Cur ergo distinxit David, remissionem iniquitatum à peccatorum obtectione? Crediderim τὸ *Quorum remissæ sunt iniquitates* ad diuinam pertinere veniam delictorū. At illud: *Et quorū tecta sunt peccata,* ad hominum spectare visionem, & iudicium. Sunt enim multi in conspectu Domini triticum, qui quidem in hominum iudicio apparent zizania. D. Innocentius: Remissa iam peccata, & quæ apud Deum non sunt, apud humanos oculos tegi di[illegible] *vt non ostendantur iusti per i[llegible] deformes.* Qu[illegible]modo per illa deformes ostenderentur [illegible] non sunt? Quia quod [illegible] cum verè [e]st Deo, hominum oculis apparen[t] zizania. *Postquam Deus iniquitatis [illegible] [illegible].* Aug. Innoc.

14. Adulteram fœminam Pharisæi ad conspectum Domini adducunt zizania quidem auellenda. *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.* Porrò

[illegible]

agricolæ decipiuntur, reputantes adulteram pœnitentem, esse iam zizania, & Christum non esse triticum.
Ioan. 8.
Chrysol.

inimici capere simul curabant experimentum, an Christus verè esset Dominicæ hæreditatis frumentum, dum iuxta Mosaicæ legis præscripta iudicaret. At Christus noluit damnare fœminam, quam pœnitudine ex Patrum mente affectam vidit. Ipse autem procul dubio Pharisæis vt Mosaicæ legis transgressor est iudicatus. Chrysologus serm. 49. *Iudicatur hic solus, qui solus iudicare noluit, ne puniret. Improba seueritate discutitur, qui, vt largiretur veniam, nihil quæsiuit. Cum solus innocens inuenerit reos, omnes, ad iudicium pietatis immensa suscipera maluit, quam irrogare sententiam.* Eo dupliciter seductos malos Patrisfamilias seruos. Fœminam iudicant adulterij adhuc ream, quam Dominus ex pœnitudine iam puram aspexit. Christum, qui ex misericordia non iudicat legis rigori debere subiacere, quam ipse venia donauerat, iniustus legis violator creditur.

15.

Inter loliam & triticum, inter virtutes & vitia visibili specie est similitudo: vnde homines assolent decipi.
Nazianz.

Inter lolium & triticum, (mihi credite,) *magna similitudo est.* Triticum, quæso, purissimum oculis mentis obiicite virum fortem, prudentem, temperantem, iustum. Accedant serui Patrisfamilias, & attentè contemplentur. Clamabunt protinus, *Vnde habet zizania.* Nazianzenus orat. pro D. Basil. *At idem homines facilè quoque mihi falluntur videntur, vt & fortem, temerarium appellent, & prudentem, timidum: & temperantem, agrestem, & inhumanum: & iustum, asperum, & contumacem: Vis imus, & colligimus ea?* O stulti agricolæ! *Non, ne colligentes zizania eradicetis triticum.* Triticum est, quod vos vestro iudicio zizania reputatis. Vndenam ergo illa seductio? Porrò quia vitiorum & virtutum sæpe adest finitima similitudo: *Inter lolium & triticum magna similitudo est.* Pergit Doctor, *Neque enim hoc quidem malè tradiderant: virtutibus finitima, & quodammodo vicina esse, vitia: nihilque facilius esse, quam vt ab illis, qui huiusmodi scientiam non tenent, res quædam aliud esse iudicentur, quam ea vera sint.*

16.

Ægrè potest agnosci vir iustus amator, quia specie terrenus, debet esse cælestis.
Gen. 1.
Nazianz.

Deus profatur, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. Ex mente Nazianzeni, vir perfectus innuitur Dei à materia, & passionibus abstractionem referens. Tuis oculis exponatur vir perfectissimus. Materialis est, terrenus est, passionibus subiacet humanis. Deciperis profectò ex tritici ac lolij similitudine. *Ægrè quit teneri Philosophus,* id est, vir perfectus, (ait Doctor orat. 27.) *in materia vacans materia, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis.* Serui Patri familias vident materiam, corpus, terram, passiones, & zizania reputantes clamitant: *Vis imus, & colligimus ea?* At Dominus agnoscens in materia immaterialitatem, in corpore incircumscriptionem, in terra cœlum, in passionibus impatibilitatem: occurrit, *Non, ne colligentes zizania,* quæ falsò existimatis, verè triticum extirpetis.

17.

Serui Domini Apostoli ardentes inter triticum adesse zizania traditorum, non profantur, Vadimus, & colligimus ea? sed Domino iudicium attribuunt.
Ioan. 13.

A veritate ipsa Discipuli audierunt, Dominum à nequissimo Apostolo tradendum, qui immittere manum auderet in parapsidem. *Aspiciebant ergo ad inuicem Discipuli hæsitantes, de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex Discipulis eius in sinu* IESV, *quem diligebat* IESVS. *Innuit ergo huic Petrus, & dixit, Quis est, de quo dicit. Itaque cum recubuisset ille supra pectus* IESV, *dicit ei: Domine, quis est?* Ioan. 13. Preme particulam: *Aspiciebant ergo ad inuicem Discipuli.* Cur aspiciunt ad inuicem? vt recognoscant, quinam ex eis inter triticum vices exerit zizaniorum. *Qui intingit manum in parapside,* ipse est zizania, solus immittit Iudas, ergo Iudas est traditor. Absit iudicium hoc à viris iustis; quia sæpè quod zizaniorum speciem exprimit, verum est triticum. Vide adhuc hærens Petrus omnium ex animo Ioannem interrogat pectori Domini additum. Ille tamen licet fonti hæresceret sapientiæ, non audet iudicare, sed iudicium Authori reseruat: *Domine, quis est.* Cyrillus Alexand. lib. 9. cap. 15. *Admirari etiam in his oportet religionem Discipulorum. Nam cum coniecturis dare se nollent, interrogare maluerunt.* Quam iustè sciri nolunt dare coniecturis externarum actionum, quia plerumque fallaces.

Cyrill.

18.

Triticũ ventris purissimæ Maria suspicatur Iosephus zizania, sed cum esset iustus, non curat extirpare, traducendo, sed Deo iudici adscribit.
Matth. 2.

Iustus ne Iosephus Deiparæ sponsus tibi videtur extitisse, si videns Virginem grauidam zizania reputaret, quod verè frumentum electorum? *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Attamen visibili specie communis fœtus apparuere zizania. Quid Iosephus? An clamitatit, *Vis imus, & colligimus ea?* Traducatur vxor adultera. Absit. *Ioseph vir eius cum esset iustus, & nollet traducere eam, voluit occulte eam dimittere.* Matth. 2. Si iustus est, amans iustitiæ deferat Magistratibus vxoris delictum. Non apparet. Prægnans obiicitur; en zizania. Prægnans obiicitur; en triticum electorum vallatum liliis puritatis. O quotiens zizania tritici specie obiiciuntur! O quotiens triticum zizaniorum speciem æmulatur. Cum ergo esset iustus noluit credere fallibili iudicamento. Opportunè D. Paschasius lib. 2. in Matth. *Hoc velim, audiant temerarij. Nos fratres, quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facie superficies causarum interdum interiora veritatis obscura: declinemus, ad præsens iudicium subtrahamus sententiam, fugiamus discrimen, dicamus totum Deo.*

Paschas.

19.

Quam difficilè, inter triticum, & zizania discernere, præcipuè in re castitatis.

Esto de Virgine nihil sinistrum suspicemur, & cum Iobo loquamur. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* At de aliis fœminis iuxta oculorum obiecta possumus iudicare. Deprimit oculos, abstinet à colloquiis virorum, cubili recluditur? Casta est. Incautè huc illuc oculos admouet, texit colloquia cum adolescentibus, vagans sæpè aspicitur? Impudicitiæ succenditur æstu. O iudicij errores! Vidi virgines opinione, meretricia arte victitantes aspexi, dum visibili speciei credebam; quæ quidem Domini iudicio omnino subiacebant. Ideò clamat Salomon, *Tria sunt difficilia mihi, quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Prou. 30. Vndenam via mulieris adulteræ penitus ignoratur? Certè quia exterioribus indiciis credendum non est? Nam cum tibi videtur mulier *modo deprehensa esse in adulterio,* Dei iudicio liberatur vt casta. Cum autem castam reputas, Dei oculis Thamar cooperta obiicitur. Bellè Hieronymus ad Fabiol. *De cæteris virtutibus sapientia, fortitudine, iustitia, temperantia, humilitate, mansuetudine, liberalitate*

Prou. 30.
Hieron.

possunt & alij indicare. Pudicitiam sola nouit conscientia, & humani oculi huius rei certi iudices esse non possunt, (absque his, qui passim in morem brutorum libidini expositi sunt. O quantæ virgines, & quantorum expectata pudicitia in die iudicij dehonestabuntur! Quantotum infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur. Ergo *nolite ante tempus iudicare*, sed illam expectate temporis instantiam, quando Dominus dicat messoribus, *Colligite primum zizania*, &c.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Vis, imus, & colligimus ea? Et ait, Non; ne fortè colligentes Zizania, eradicetis simul & triticum, &c.

Iusti Patris familias fuit non illicò condemnare zizania, vt auellerentur ex sola seruorum depositione.

Edocet iudices, Pater familias, Præsules, subditos reos haud inauditos condemnare.

20. MVlti serui de zizaniorum noxia inter triticum commoratione contestantur, probata causa est: nec tamen illicò iubentur zizania eradicari. *Non*, (inquit,) *ne fortè colligentes zizania*, &c. Vbi Anselmus, *Ecce iusti iudicis discretio.* Suam discretionem habet iustitia. Nimium ius nimia iniuria est. Poterat ex plurium testium depositione iusta sententia contra zizania ferri. Sed an discreta? Profectò Paterfamilias serui zelo succensi impediuntur, nè absenti reo, & inaudito damnum inferatur. *[Marg.: Anselm.]*

21. Ad Christum iudicem supremum adultera fœmina adducitur, quæ attestatoribus pluribus erat damnanda. *Modo hæc mulier deprehensa est in adulterio.* Attamen Dominus nullatenus voluit eam damnare. *Mulier, nemo te condemnauit. Nemo Domine. Sed nec ego te condemnabo.* Ioan. 8. Vbi Chrysologus serm. 49. *Vt largiretur veniam, nihil quæsiuit.* Supponit Doctor conuictam esse ex testimonio accusatorum mulierem. Supponit verè adulterio fuisse contaminatam. At Dominum venia donasse peccatricem. Iam facilis redditur clausula expressa, *Vt largiretur veniam, nihil quæsiuit.* Quid si de delicto quæsiisset? Signum esset voluisse damnare. At dum non interrogat ream de delicto, indicat se noluisse damnare; quia reus inauditus à iusto discreto iudice non damnatur. Vt ergo veniam largiatur nihil quærit, qui damnaturus multa quæsiisset, vt multa accusata fœmina responderet. *[Marg.: Christus nō interrogat adulteram, quia nolebat condemnare, nec enim damnaret inauditam. Ioan. 8. Chrysol.]*

22. Ex solo accusatore audito, qui aut falli potest, aut fallere, inauditum subditum castigare, nulla lex permittit. Valentis Arriani persecutio exlex hanc tyrannidem in Episcopos sanctos exercuit. De quo D. Basilius epist. 70. *Cum nemo sceleratus sine certis indiciis condemnetur, Episcopi sola intercedente calumnia damnantur, & nulla euidenti probatione assertis, ac roboratis criminationibus, suppliciis traduntur. Nonnulli nec nouerunt quidem accusatores suos, neque tribunalia viderunt; neque delati sunt primum, sed nocte intempesta arrepti in exilium fugati sunt.* *[Marg.: Tyranni inauditos damnabant orthodoxos. Basil.]*

23. Adamus deliquit, Eua peccauit, venit Dominus puniturus. At priusquam sententiam ferret, mulierem interrogat, *Quare hoc fecisti?* Respondet illa, *Serpens decepit me, & comedi.* Cur non interrogauit Adamum? Quia tam ipse tacitæ iudicis interrogationi responderat, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. Quare igitur, si diuinam perspicaciam delictuo hominum non fugiebat, de delicto Adamum & Euam tam accuratè interrogat? Abulensis respondet, *Iudiciario more interrogat reum dissimulantem.* Contrà iudicij recti normam inauditus reus condemnator. At postquam rogatum Dominus exaudiuit, sententiam protulit, *Multiplicabo, ô mulier, ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit, Quia audisti vocem vxoris tuæ*, &c. Ibid. Tam graui pœna afficiendi obticent rei, quia postquam audiui condemnantur, non habent, vnde possint excitare querelas. *[Marg.: Interrogauit Deus Adamum, & Euā, ne inauditos damnaret, rectissimus index. Gen. 3. Abul.]*

24. Audiendus Dauid, *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non requiret.* Psalm. 9. Vbi Rupertus premit particulam, *Non requiret*, id est, ob nefarias hominum malitias, quibus dæmonis superbi existunt æmulatores, inauditos Deus condemnabit. Et quemadmodum serpentem non interrogauit, sed inauditum pœna illa affecit, *super pectus tuum gradieris*, &c. Gen. 3. Sic superbos homines diaboli imitatores nec rogatos, nec auditos pœnæ addicet. Hoc quidem secundum multitudinem iræ suæ. Attamen Bellarminus, ne diceretur vel diaboli æmulatores Deum inauditos condemnasse, sic versum exposuit: *Exacerbauit Dominum peccator, & cum deberet omni studio quærere reconciliationem, secundum multitudinem iræ suæ non quæret, id est, propter magnitudinem iræ suæ in pauperes afflictos, non quæret Deum, vel reconciliationem cum Deo.* Nec enim dicendus Deus inauditum damnare peccatorem, quem tot inspirationibus solet interrogare. *[Marg.: Homines diaboli serpentis imitatores non interrogat Deus. An damnat inauditos? Pertinaces diaboli affectas nonaudit. Psalm. 9. Rupert. Existimo, de cœlesti iudice id non asserendum. Bellarm.]*

25. Iudicem cœlestem sequenti Psalmo accuratius Dauid descripsit, *Dominus interrogat iustum, & impium. Qui autem diligit iniquitatem odit animam suam. Pluet enim super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psalm. 10. Expendo particulam, *interrogat iustum, & impium.* Cur Deus interrogat, quod minimè potest ignorare? Certè vt se gerat rectum iudicem, qui inauditos non damnat peccatores. Postquam enim audiuit reum, *pluet* opportunè *super peccatores laqueos*, Præmiserat Vates, *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, &c. Bellarm. *Diiudicat malos, & discernit eorum opera. Metaphoricè dicitur Deus interrogare, siue examinare, quando perfectè iudicat.* *[Marg.: Dominus interrogat impium, vt auditum [illegible] iustè æterno [illegible] dicere. Psalm. 10. Bellarm.]*

Nec

Nec enim præsefert iudex iudicij perfecti imaginem, cum interrogatum, & inauditum reum condemnat.

26. *Iudicat ante tempus, qui antequam audiat reū, iudicio condemnat.* 1.Cor.4. Ambros.

Monet Paulus, *Nolite ante tempus iudicare.* 1. Cor.4. Quidnam est iudicare antè tempus? An iudicium temerarium taxat? *Nolite proximos vos homines iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo.* Sic Ambrosius, *Iniuria enim iudicis est, si ante eius cognitionem, à seruo procedat iudicium.* Aptius autem argomento, antè tempus iudicat, qui sine præmissa interrogatione inauditum subditum damnat. Chrysostomus hom.21. *Quid igitur? Nonne Magistratus hoc facere, nempe iudicare oportet? Oportet quidem; verum in manifestis criminibus, & confessis: & hoc si temporis commoditas expostulabit.* Nam etiamsi sint crimina manifesta, & confessa, si temporis angustia aliud non postulauerit, ante tempus iudicabitur reus, nec opportuna pœna afficietur.

Chrysost.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Sinite vtraque crescere.

Ineffabili Patris familias benignitate zizania simul cum tritico commorantur.

Assolet enim bonorum societas improbos allicere ad virtutis obsequium.

27. August.

Ait D. Augustinus, *Multi zizania sunt, qui ex societate bonorum postea fiunt triticum.* Ideò Pater familias noluit illico zizania à tritico separari. *Ne*, inquit, *colligentes Zizania, eradicetis simul & triticum* illud, in quod zizania essent conuertenda. Hæc proculdubio vis bonæ societatis, improbos reformare, & ad virtutis obsequium adducere.

28. *Satius in mundo bonorum societas efficitur peccator ad reductionē, quam ad desertū fugit.* Ioan.13.

Curabat diabolus hominem illum miserrimum quidem apud mortuorum sepulchra in deserto morari, nè cum viuis, nempè iustis degeret, eorum fortasse exemplo adducendus ad mentem meliorem. Tota dæmonis immittentis in cor Iudæ vt traderet Magistrum, cura circa id versata est, vt à condiscipulis sanctis abstraheret. *Continuo exiuit.* Ioan.13. Nam dum eum socium Diuorum aspectat, veretur reducendum. Zizania enim societate tritici aliquando conuertitur. Ideò Chrysostomus ad Psalm.4. peccatores hortatur conuertendos non ad deserta fugere, sed medijs in ciuitatibus bonorum inire societatem ad vitiorum imminutionem. *Eos ipse quoque imitare, in media ciuitate solitudinem persequens. Quomodo autem hoc erit? Si fugias improbos, si bonos sequaris, tu enim maiorem percipies securitatem, quam qui in desertis habitant. non solum eis fugiendis, qui lædunt; sed etiam communicando cum iis, qui prosunt. Si autem malos fugias, bonos autem sequaris, vtrimque & virtus augescit, & decrescit vitium.* Igitur qui desiderio pœnitudinis subdubitat,

Chrysost.

vtrum ad deserta cum Petro abnegante properabit: an ad bonorum cœtum accurret? eligat ciuitatis tumultum, si bonis curet adhærescere; quorum proculdubio societate vitia imminuentur, & in virum alterum efformabitur.

29. *Tanti momenti est bonorum & malorū societas ad malorum reductionē, vt vel sancta communitas possit mundum malignum imitari.* 1 Ioan 5. Elias Cret.

Profatur Apostolus, *Scimus, quoniam ex Deo sumus, & mundus omnis in maligno positus est.* 1. Ioan.5. Si Apostoli ex Deo erant cur in mundo maligno collocantur? Profectò triticum cum zizaniis adiungitur, in eorum vtrique conuersionem. Ergo si in mundi malignitate adest bonorum societas, satius peccator ad mundum malignitate pressum accurret, quam inibit solitudinem. Elias Cret. ad orat. 1. Nazi. locutus de Monachorum communitate, ad quam quotidie peccatores pœnitudine ducti accurrebant, dixit: *Qui societate gaudent mundi quidem rebus, & negotiis mortui sunt; sibi ipsis autem mundus sunt, considerantes se inuicem, ad prouocationem bonorum operum.* Si è mundo sancta illa communitas egressa est, & nihil habet cum mundo maligno commune: cur sibi ipsis mundus esse Diui asseruntur? Quid communitati sanctæ cum mundo maligno? Certè in malignitate mundi Apostoli, & omnes, qui ex Deo sunt, commorantur, & zizaniorum, seu peccatorum socij tandem zizania conuertunt in triticum. Vnde tota illa mundi familia possit Monachorum cœtui comparari. Communitas Monachorum, (aliter expendo,) sibi mundus est; quia quemadmodum in mundo mali bonis hærentes ad virtutis obsequium prouocantur, & fiunt è zizaniis frumentum: sic peccatores ad Monasteria accurrentes, ex societate Sanctorum reducuntur: & ipsi sancti aliorum exemplo ad augustiorem perfectionis gradum prouocantur: *Sibi ipsis mundus sunt, considerantes se inuicem, ad prouocationem bonorum operum.*

30. *Vel mortuus peccator societate iustorum resurgit.*

Afferatur vel desperatus peccator ad iustorum cœtum, nouam certè assurget ad vitam. Huiusmodi mirabilem zizaniorum in triticum conuersionem exprimit apprimè illa cadaueris ex Elisæi ossium contactu resurrectio. *Mortuus est ergo Elisæus; & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi reuixit homo, & stetit super pedes suos.* 4.Reg.13. Liceat in ossibus Prophetæ Christi membra, triticum electorum in terra emortuum contemplari. Cadauer autem illud tibi zizania sint peccatorum ad cœtum bonorum accurrentia. Resurgit cadauer, seu societate tritici zizania fiunt electorum germina. Pulchrè Bachiarius epist. ad Ianuar. de recip. lap.. *Et tu ergo si mortuum dicis, iuxta Elisæi illum ossa constitue. Nolo vt eum longè segreges à Christi membris; quia ipse consortio meliorum erubescet, & resurget in vitam. Nonne emendationis paruum putas esse momentum, si peccator asciscitur in consortium beatorum; quia illorum præmia sua sentit esse tormenta? Si quis laudatur, erubescit, si quis vituperatur, agnoscit. Inter hæc flagella verborum constitutus satisfactioni, emendationique semper approximat.*

4.Reg.13.

Bachiar.

31. *Efferata animantia mansuetorũ societate inter mansueta recensentur.* Gen. 8. Ambros.

In Noë arca olim multitudo animantium custoditur. Leones, tygrides, vrsi, lupi, struthiones. *Recordatus autem Dominus Noë, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum.* Gen. 8. Animantia à belluis distinxit; quia animantium nomine ferarum genera, belluarum autem appellatione mansueta animalia exposuit. Excitat autem quæstionem Ambrosius lib. de Noë, & Arc. cap. 16. *Cur non animantia, quæ mitiora sunt, post hominem nominauit, sed ferociora?* An vt hinc collocato homine, illinc appositis mansuetis animantibus, quæ ferociora erant in medio collocata vi societatis mansuescerent? Ita Doctor, *In quo videtur illa esse ratio, vt ea, quæ ferociora erant, vtriusque partis vicinitate mansuescerent.* Triticum enim Noë, & mansuetorum animalium potuit zizania efferatorum ad mansuetudinem adducere.

32. *Bonorum fermentum peccatores conuertit in panem.* Matth. 13. Theoph.

Fatur Dominus, *Simile est Regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.* Matth. 13. Quod fermentum est massæ, hoc zizaniis est triticum. Quid fermentum? Theophylactus, *Fermentum dicit Apostolos. Sicut enim fermentum, cum paruum sit, totam farinam in se transfert: sic & vos totum mundum transformabitis, licet pauci sitis.* Ergò zizania tritici societate electorum vertentur in frumentum.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Sinite vtraque crescere.

Sicut tritici societate zizania conuertuntur in triticum: sic non semel triticum vertitur in zizania. Moneantur agricolæ.

Profectò magna cautela circa socios habenda est; assolet enim prauorum contubernium bonos allicere ad prauitatem.

33. *Cautela indicitur operariis, qui cum peccatoribus conuersantur.* August.

MOnet Augustinus, *Non eradicandos* à iustis peccatores, *sed corrigendos; si tamen periculum non timetur.* Assolet enim triticum in zizania conuerti ex zizaniorum societate. Vnde magna cautela tritico indicitur.

34. *Spinæ peccatorum suffocant iustos, & perdunt.* Luc. 8. Chrysost. Carthus.

Ex semine ab agricola iacto *aliud decidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* Luc. 8. Vbi Chrysostomus, *Spinæ iniqui.* An spinæ iniquorum iustorum frumentum suffocant, & deperdunt? Ita planè: *Simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* Poterat triticum simul exortum suffocare spinas, seu in triticum conuertere, sed spinæ peccatorum iustos peruerterunt. Carthusianus Dionysius, *Simul exortæ spinæ suffocauerunt illud, id est, homines affectionis immoderatæ oppresserunt fructum bonorum, & germen virtutis viderunt, & expulerunt.*

35. *Mirum est, quod triticũ ad se conuertat zizania, & non potius conuertant ad se zizania triticũ. Talis triticũ Dei est æmulator.* Ierem. 5. Chrysost.

Deus prosatur Ieremiæ ex ore, *Si conuerteris, conuertam te, & antè faciem meam stabis: & si separaueris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* cap. 15. Quinam hic Prædicator adeò augustæ virtutis, vt simul habitans cum sceleratis, eos ad se conuertat, & non potius ipse ad eos conuertatur? *Quasi os meum erit*, id est, Christi erit egregius imitator. Chrysostomus hom. 3. in Gen. *Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit, id est, qui è peccata ad virtutem proximum adduxeris, & non potius conuertatur ab illo in peccatorem; pro virili humano me imitabitur.* Tam noxia est prauorum societas ad bonos corrumpendos, vt pro virili humano Dominum imitetur, qui peccatorem ad sui imitationem adducit, & non potius adducitur ad peccatoris æmulationem.

36. *Omne triticum Sethi conuersũ est in zizania ex societate filiorum Caini.* Gen. 6. Basil. Sel.

Aderat tota humanæ generationis hæreditas velut fundus tritico ac zizaniis germinans. Ibi Sethi filij triticum purissimum referebant. Ibi Caïni posteri zizaniorum vices gerere videbantur. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cúmque vidisset Deus, terram esse corruptam, (omnis quippè caro corruperat viam suam super terram,) dixit ad Noë.* Gen. 6. Miror omnem carnem viam suam corrupisse. Vbinam Sethi posteritas? Cuncta ne hæreditas zizaniis exundat? Nulla frumenti spica obiicitur? *Omnis quippè caro corruperat viam suam.* Quid mirum omne triticum in zizania conuersum, si cum zizaniis simul commorabatur? D. Basilius Seleuc. orat. 5. *Quod si vel exigua virtutis reliquia in ipsis superessent, eo certissimè per vitiorum admistionem extinguebantur, & deteriorum rerum imitatio deleuerat omne vestigium probitatis.*

37. *Misericorditer custodit Deus in domo grana iustorum, vt in zizania non conuertantur, commixta peccatoribus.* Psalm. 67. Caietan. Anselm.

Exaggerat Psaltes prauæ vim societatis ad homines in zizania conuertendos. *Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Psalm. 67. Caietanus ex Hebræo, *Deus faciens sedere vnicos domi, quod est, reddere securos homines, qui soli domi sunt.* Anselmus autem, *Deus in loco sancto suo, quod non extra nos, sed in nobis.* Deus ergo in nobis sanctis habitans curat securos reddere homines, sine contagione peccati puros. Ad id autem separat eos à sæculari conuersatione, à prauorum societate, & domo recludit. Nam si cum zizaniis triticum moraretur, necessaria esset absolutè quodammodo potentiæ vis, ne à moris vnici puritate triticum ad mores varios zizaniorum degeneraret.

38. *Abscondit triticũ Deus in abscõdito faciei suæ, ne ex societate improborum in zizania vertantur.* Psalm. 30.

Profectò quasi domus esset infirma ad conseruandum triticum protectio, alibi Vates cecinit, *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* Psalm. 30. Alij scripsere, *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à congregationibus virorum.* Congregatio virorum *conturbatio est?* Certè congregatio virorum iustos & peccatores complecti assolet. Vt autem iustus conturbari non possit, eum Deus à societate hominum abstrahit, & in faciei suæ abscondito protegit.

39. *Diabolus nõ habuit, vnde triticum Adams peruerteret, donec societas zizaniorum adderetur ei.* Gen. 3. Cyrill.

A Domino triticum in paradiso seminatur Adamus. Cur inimicus diabolus non illicò curauit in zizania conuertere? Respondet acutè Cyrillus Alexand. lib. 3. in Gen. *Modus peccandi nondum in terris apparuerat, cum homo vnus tantummodo esset.* Si non aderat prauus socius, quonam modo inimicus poterat triticum in zizania conuertere? Oritur mulier, quam ipse prius promissionibus mendacibus in zizania conuertit; superseminauit in medio tritici, & illico triticum est in zizania conuersum. *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. Prauæ ô vis societatis?

Observ.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Ne colligentes Zizania, eradicetis simul & triticum, &c.

Sustinet, tolerat Paterfamilias zizania, si fortè in triticum conuerterentur.

Monens quidem tolerandos esse peccatores, qui tandem sæpe vertuntur in iustos: perissent autem nisi patientia Præsulis sustulisset.

40. August. Chrysol.

AVgustinus, *Forte simul eradicatur triticum, cum auferuntur zizania, quia multi primo zizania sunt, & postea triticum fiunt.* Chrysologus autem serm 97. *Sic imperiti erant cultores, sic operis nescij, sic discretionis scientiam non habentes, vt euellentes zizania eradicarent & triticum?*

41. *Non repentè zizania in triticū vertitur: expectetur, necessum est.* August.

Respondet acutè, *Aliud erat in specie, aliud habebatur in flore: & quod hodie erat zizania, cras in triticum vertebatur.* Preme *cras*, & *vertebatur.* Sunt Præsules, qui hodie volunt perfici subditi conuersionem, præsens amant illud verbum: *Vertitur*, pigritans reputant *vertebatur*. O patientia necessaria ad zizaniorum in triticum conuersionem! *Cras in triticum vertebatur.* Addit Augustinus, *Multi primo zizania sunt, qui nisi patienter cum mali sunt, tolerentur, ad laudabilem mutationem non perueniunt. Itaque si euulsi fuerint, simul eradicatur & triticum, quod futuri essent, si parceretur.*

42. *Dum à Deus videtur à peccatore, id sanè vt inducias largiatur, & tempus conuersioni impendat; non est ira, sed patientia.* Gen 4.

Cain à Domino separatur timens, ne occidatur à creaturis. *Ecce eiicis me à facie tua, omnis ergo, qui inuenerit me occidet me.* At Dominus *posuit in Cain signum*, ne occideretur, Gen. 4. Si eiicitur peccator, cur asseruatur viuus? Crediderim, quia à facie Dei detruditur, ne iudex cogatur sumere vindictam. Vnde abstractionem illam Dei apposité patientiam appellaro.

In casu haud dissimili, *Videns* IESVS *turbas multas circa se iussit ire trans fretū.* Matth. 8. Itáne Numinis est, fugere peccatores? Potius patientis est se auertere ab ingratis, vt eos expectet pœnitentes. Pulchrè Chrysolog. serm. 19. *Non vt fugeret homines, qui hominum venerat ad salutem; sed insipientibus inducias dat credendi; errantes, vt reuertantur, expectat; patientiam prabet, & veniam. Sustinet contumaces, qui vult non perdere, sed saluare, quod fecerat.* Si fortè Dei patientia zizania in triticum conuertantur.

43. *Seiungitur Christus à Iudæis, vt patientor expectet zizaniorū in triticum conuersionem.* Matth. 8. Chrysol.

44. *Dum Deus*

Cum Ioannes ciuitatis supernæ gloriā exprimeret addit: *Et Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens, & Agnus Templū illius est.* Apoc. 21. Cur Agnus Templi vices gerēs obiicitur? Primasius asserit Templum Ecclesiam, seu fidelium cœtum innuere. *Agnum* autem pro Deo mansueto, ac patiente positum esse. Ecclesia autem in cœlis est Dei mansuetudo, id est, ob Dei Agni patientiam, instar tritici absque zizaniis congregatur in horreo; zizania enim Dei mansuetudine in triticum fuere conuersa. *Dominus Deus Agnus* (inquit lib. 5. c. 21.) *Templum illius est. Ecclesia enim conuersit zizaniis, in solio electus exultat, in Domino sacrata manet. Vt à quo existendi sumpsit originem, & redemptionis experta est lenitatem; in ipso beatam quoque obtineat mansionem.* Deo Agno debetur tritici beatitudo, qui tolerauit zizania vt in triticum verterentur.

Agnus tolerat zizania, an afferat ad triticum in horreo cælesti collocandum. Apoc. 21. Rupert.

45. *Præsules patienter expectantes subditos peccatores, eos à zizaniis ad triticum alliciunt.* Isai 2. Hieron.

De Præsolibus Euangelicis, populíque Christiani Magistratibus prædicat Isaias, *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*, c. 2. Qui olim rigidi subditos vulnerabāt, iam mansueti instar agricolæ vomeris opus expectabunt. Ideo lancea mutatur in falcem; quia mansuetudo, & expectatio Præsulis tot zizaniorum germina conuertet in triticum, vt falcium noua fabricatione Paterfamilias indigeat. Hieronymus epist. 135. *Bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem Christianam. Nunc & Isaia vaticinium cernimus opere completum: Concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces.*

46. *Iudices, & Apostoli coronantur spicarū manipulis, quia eorum mansuetudine zizania in triticeā anni benignitatis coronā sunt mutata.* Rupert.

Ait Ioannes videns, *In circuitu sedis sedilia viginti & quatuor, & super thronos viginti & quatuor seniores, & in capitibus eorum corona aurea.* Apoc. 4. Quorum numerum Rup. lib. 4. de vict. verbi c. 7. ex iudicibus, & Apostolis conflat. Cur coronas aureas habere dicuntur? Assero ex Doctoris mente triticeis anni benignitatis Domini coronis ornati. Nec enim semel *aurea* vocitantur spicæ. Patientia iudices & Apostolos coronauit fidelibus ex zizaniis planè in triticum conuersis. *In omnium seniorum illorum capitibus corona, quia iuxta diuersas rationes temporum conuersioni subditorum famulata est inermis patientia.*

47. *Petrus trium millia zizaniorū germina ex patientia conuertit in triticum.* Matth. 27. Act. 2.

Christus exorabat à Patre, *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Matth. 27. Patienter expectat agricola, si forte zizania in triticum conuertantur. Porrò Petrus Magistri mansuetudinem imitatus patientissimè tulit iniquos, & tandem spicis aureis coronatur. *His autem auditis, compuncti sunt corde, &c. Et appositæ sunt in die illa, animæ circiter tria millia.* Actor. 2. O quot zizaniorum germina noxia in triticum fuere mutata! An non id ex Patrisfamilias patientia? Chrysostomus hom. 7. in Act. *Reueriti sunt Petri mansuetudinem, quia his, qui Dominum suum crucifixerant, & contra ipsum clamauerant, tanquam pater curam gerens loquebatur. Nec simpliciter obedierunt, sed seipsos condemnarunt: sinserunt, quod fecerant.* Et quando patientia Præsulum non fœcundissima manipulorum mater?

Chrysost.

LIBER VNDECIMVS.

INCIDENS IN LATRONES.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vitæ, seu IESV locuti in Parabolis FRVCTVS VNDECIMVS.

CVM turgidus quidam legisperitus tentandi gratia de consequendæ vitæ æternæ commoda ratione Dominum aliquando rogaret: eiusque iussu ambo dilectionis mandata protulisset, & quisnam esset proximus inquireret: arrepta hinc occasione Christus Parabolam de Samaritano in medium affert, qui hominis à latronibus vulnerati, à Sacerdote autem & Leuita prætereuntibus neglecti, sollicitam curam habuit verè *Custos.* Profectò Samaritani cœlestis illud oleum, quo vulnera sanantur Mariæ effusa misericordia est; prouidit enim Filius nobis vulneribus affectis Matris suæ pietatem. Pulchrè Richardus Laur. lib. 1. de laud. Virg. *Si vulnus oleo perungatur, oleum non permittit cicatricem obduci, donec sanies sit educta: nec Mariæ benignitas conscientiam pacificari, donec per Confessionem putredo vitij sit eiecta. Maria siquidem illud oleum est misericordiæ, quod verus Samaritanus, id est, Christus infudit vulneribus sauciati, id est, generis humani per præuaricationem primæ matris de Ierusalem in Iericho descendentis.*

Richard. Laur.

LVCAS CAP. X.

VERS. 23. BEATI oculi, qui vident, quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.

25. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est, quomodo legis?

27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut te ipsum.

28. Dixítque illi: Rectè respondisti: hoc fac, & viues.

29. Ille autem volens iustificare se ipsum, dixit ad IESVM: Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens autem IESVS, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis, abierunt, semiuiuo relicto.

31. Accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præteriuit.

PARAPHRASIS.

23. POST *hæc conuersus ad Discipulos, eam illis gratulatur felicitatem, quæ summis viris negata esset. Beati, inquit, oculi, qui quod vos videtis, aspiciunt.*

24. *Illud pro certo confirmo vobis, quod multi Prophetæ, ac Reges voluerunt videre, quæ vos humiles aspectatis, & non viderunt: & auribus capere, quæ auditis, & non ceperunt. Felicitatem agnoscite, sed insolentiam fugite.*

25. *Accessit ad eum quidam scriba legisperitus velut ex intima legis cognitione quæstionem propositurus. Magister, inquit, quod est præcipuum Dei præceptum, quo seruando possim assequi vitam æternam. Argumentator non requirit, sed tentator interrogat.*

26. IESVS *autem, Quod ex me quæris, hoc alij ex te deberent discere. Siquidem tu scientiam legis profiteris: in ea quid scriptum est? aut quomodo tu legis scriptum.*

27. *Ille respondit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus animi viribus; quia satis amari non potest, qui infinitè amabilis obijcitur. Post hunc autem, diliges proximum tuum sicut te ipsum. En legis præscripta.*

28. IESVS *autem approbans, ait: Tenes, quid sit optimum. Nihil superest, nisi vt præstes, quod intelligis. Id si feceris, viues; nec enim cognitio legis dat vitam, sed obseruatio.*

29. *Quoniam vitium suum nolebat agnoscere legisperitus, quasi iam præstitisset abundè præceptum de diligendo Deo, de proximo excitat quæstionem. Quis, inquiens, est meus proximus? Quasi Deum diligeret, qui in proximum immitis esset.*

30. IESVS *autem similitudine expressa respondit, Dei præceptum de diligendo proximo haud esse arctis finibus cognationis, ac gentis circunscribendum. Homo, quidam, inquit, proficiscens ab Ierosolymis Iericho, incidit in latrones, qui non contenti miserum vestibus spoliasse, inflictis diris vulneribus semiuiuum in via relinquere, illic periturum, si nemo succurrisset: atque eo facto ipsi abierunt.*

31. *Accidit autem, vt Sacerdos quidam per eandem viam faceret iter. Is cum ob Religionis professionem potissimum præstare debuerit Dei præceptum: tamen Iudæus Iudæum, spoliatum, saucium, semiuiuum vidit; nulloque misericordiæ affectu tactus præteriit.*

32. Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videns eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum; & videns eum, misericordia motus est.

34. Et appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus, fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit, Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi IESVS: Vade, & tu fac similiter.

32. Accidit etiam post hac, vt eâdem Leuita transiret, à quo meritò quis expectasset præcepti diuini obseruationem. Et is quoque viso saucio, præteriit, nec quidquam opis suo attulit populari.

33. Porrò accidit postea, vt Samaritanus quidam illac iter faciens, spoliatum ac semiuiuum conspiceret: & admirans, quid esset, accessit propius, & intellecta hominis calamitate, misericordia motus est erga Iudæum, cum ipse esset Samaritanus: innuens latos misericordiæ fines.

34. Neglecto ille itineris dispendio, adiit hominem, vinum, & oleum infudit vulneribus, deinde obligauit. Nec hoc officio contentus, suum illum in iumentum imposuit, in diuersorium deportauit, vbi diligentius etiam illius curam egit.

35. Quoniam autem necessitas vrgebat itineris, duos denarios altera die deprompsit, deditque hospiti, vt tantisper haberet curam vulnerati, donec ipse peracto itinere rediisset. Habes, inquit, pretium, de meo cura hunc; quod si quid vltra hanc summam impenderis tibi, nihil peribit: mihi imputa, cum rediero; & quidquid impenderis, resoluam.

36. Hæc locutus Dominus, dixit legisperito: Quis horum trium tibi videtur, fuisse proximus ei, qui incidit in latronum manus

37. Tum legisperitus: Is, ait, qui misertus, subuenit vulnerato. Subiecit IESVS, *Rectè respondisti; fac, vt vita orationi respondeat: & malis esse Samaritano, quam Sacerdoti, ac Leuitæ similior.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

SECTIO PRIMA.

Legisperiti Quæstio.

TEXTVS.

VERS. 23. BEati oculi, qui vident, quæ vos videtis. 24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis: & non viderunt: & audire, quæ auditis: & non audierunt. 25. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum; In lege qnid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit: Diliges Dominnm Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. & proximum tuum sicut te ipsum. 28. Dixitque illi, Rectè respondisti, hoc fac, & viues. 29. Ille autem volens iustificare se ipsum dixit ad IESVM: Quis est meus pruximus?

COMMEN

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Beatitudine oculorum Dominum aspectantium.

1. *Contextus ratio.*

ET *conuersus*, &c.] Asseuerat supra Dominus, Patrem Messiæ aduentum sapientibus abscondisse, paruulis reuelasse. Nunc ad Discipulos paruos conuersus beatos appellat, quod Messiam Prophetis, Regibusque desideratum aspectarint. Porrò Matth. 13. eadem ferè verba à Domino legimus fuisse prolata. (Matth. 13.)

2. *De quibusnam oculis sermo?*

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.] An de oculis corporeis Dominus loquatur, vel potius de oculis fidei? De oculis corporeis? Ergo beati etiam multi Iudæi impij, qui corporeis tunc Dominum aspectabant. De oculis fidei? Ergo verum non erit, quod dicitur: *Prophetæ non viderunt, & non audierunt*, si quidem oculis, auribusque spiritualibus, fidei scilicet conspexere, & audiuere. Respondeo, intelligendam sententiam de oculis ac auribus simul corporeis, & spiritualibus. Nec enim beati dicerentur Discipuli, si corporis tantum luminibus Christum aspicerent, vti Iudæi improbi; neque dicerentur cognitione Christi præstare Prophetis, si spirituali tantummodo visione ipsum aspectarent. Dicuntur ergo beati Prophetisque præcellentiores, qui tum corporis, tum mentis oculis viderunt. (*Auctoris sententia.*)

3. *Obiectioni fit satis.* Hieron.

Obiicis sententiam Saluatoris, *Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Matth. 13. Ergo non in hoc præcellunt Prophetas Apostolica lumina. Respondeo cum Hieronymo, *Abraham vidit in ænigmate, vidit in specie. Vos autem Discipuli in præsentiarum tenetis Dominum vestrum, & ad voluntatem interrogatis, & connescimini ei.* Itaque licet Prophetæ visione spiritali aduentum Christi fuerint contemplati: tamen à Discipulis superantur, quod illum hi oculis corporeis aspectarint, & cum illo versati fuerint.

4. *Ad aliam obiectionem respondetur.*

Si beatos vocitat Discipulos quia Saluatorem viderint, quonammodo alibi beatos appellat eos, *qui non viderunt, & crediderunt?* Ioan. 20. Loquitur Christus apud Ioannem de visione respectu fidei, quæ visionem materialem excludit. Hic verò de visione Discipulorum iam credentium agit. Non repugnat vna alteri beatitudo. Beati enim sont, qui postquam crediderunt, vident. Præterea Discipuli non videbant Christum esse Messiam, & credebát. Credentes videbant ipsum Messiam, sed esse Messiam non videbant. Beati igitur erant, quia non viderunt, & crediderunt id, quod non viderunt: beati quoque quia ipsum Messiam aspectarunt.

5. *Prophetæ voluerunt videre, & audire Iesum.*

Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis. &c.] Isaias ex omnium Prophetarum mente proloquitur, *Et desiderauimus eum.* cap. 53. De Christo omnes Prophetas vaticinatos lego. An credendum, non peroptasse videre eum, de quo expresserant vaticinia? Petrus ait, *Deus prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum.* Act. 10. Barradius noster, *Omnes Prophetas Christum videre desiderasse probatur, quod omnes de Christo sint vaticinati; neque dubitandum videtur, illos vt vere peroptasse, de quo vaticinabantur.* Quis non expeteret videre illum, cuius crudelissimam pro ipsius Prophetæ redemptione necem præsignabat? (Act. 10. Barrad.)

6. *Multi Reges cupiere Messiam videre.*

Et Reges.] Num omnes Reges Christum etiam videre expetierint? Non ait, *Omnes*, sed, *Multi Reges.* Illi scilicet, qui Deum coluere, venturúmque credidere Messiam, eum videre peroptarunt. Apud Matthæum, *Multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ videtis.* c. 13. Vbi Beda putat iustos eos appellari, qui apud Lucam *Reges* dicuntur. *Quos Lucas multos Prophetas, & Reges dicit, Matthæus apertius Prophetas, & iustos appellat. Ipsi enim sunt Reges magni; quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Metaphoricè itaque nomen Regum exposuit. At propriè sic expendo: Multi Reges iusti, Dauid, Salomon, & alij Principes Iudæorum videre cupierunt, &c. Nec abnegarim ideo apud Matthæum præter iustos Reges particula *multi* alios pios homines designari, qui Reges non erant, sed Messiam desiderabant. (Matth. 13. Beda. *Auctoris expositio.*)

7. *Antiqua Ecclesia desideria circa Iesum admirum.* Cant. 1. Athanas. Bern. Cant. 8. Ambros.

Porrò hæc antiquæ Ecclesiæ desideria illa indicant sponsæ verba *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. Athanasius in Synopsi. *Sunt verba illa veteris populi precantis Dominum, vt descenderet, & carni coniungeretur.* Et Bern. serm. 2. in Cant. *Patrum desiderium flagrans, & pia expectationis affectum spirat mihi vox ista.* Adiicit sponsa, *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* Cant. 8. Ambrosius lib. de Inst. Virg. c. 1. *Osculatus est Christus Ecclesiam foris, quando tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit tanquam gigas, ad currendam viam. Foris factus est, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis, quod in sinu est Patris. Cognosce illum foris, quando nos quæris, vt redimas.* O Prophetarum ac Regum desiderium! Ideo vocatur *Desiderium collium æternorum.* Gen. 49. Hoc est, Prophetarum, ac Regum, qui ab initio orbis conditi venturum Messiam desiderabant. Vnde dicitur, *Totus desiderabilis.* Cant. 5. Beati ergo oculi, qui vident, quæ vos videtis, ô Discipuli, & aures quæ audiunt, quæ auditis. Salomonem verum multi Prophetæ, & Reges videre, & audire cupierunt: sed non est illis concessum. Vobis autem concessum fuit iuxta illud: Oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit *Dominus Sion* Isa. 52. Et, *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Isa. 30. (Gen. 49. Cant. 5.)

§. II.

De Legisperito Dominum tentante.

8. *Legisperitus quid?*

ET *ecce quidam legisperitus surrexit.*] Legisperitus, Græcè νομικὸς, id est, *legista*, à lege, quæ dicitur, νόμος. *Quid faciendo*, inquit, *vitam æternam possidebo?* E Græco, *Quid faciam, vt vitæ æternæ hæres sim*, seu *vt æternam vitam veluti hæreditate possideam.*

9. *Qui tentamine in [illegible] Cyril.*

Tentans illum.] Quidnam tentationis hisce verbis latitet? Experiri volebat ille, num aliquid Dominus diceret, legisperitorum sententiis, aut legi contrarium. Cyrillus, *Volebat, vt aliquid diceret contra Moysem. Magistrum vocat, doceri non sinit, sed tentare. At quia Dominus solebat,*

solebat, de vita æterna loqui, visus est isto hoc principio. Quid faciendo, vitam æternam possidebo? Anselmus, *Interrogat, quod scriptum est, vt ex eius responsis iustificetur, vel damnetur.*

Anselm.

10. Chr. interrogando respondet.

In lege quid scriptum est? quomodo legis? Tentanti respondere noluit quid facere opus esset ad vitam æternam comparandam: sed legisperitum ad legem remisit. Quidnam scriptum in lege ad consequendam æternam vitam necessarium? Quidnam peritus in Moyse legisti?

11. De duplici præcepto. Deut. 6. Leu. 19.

Diliges Dominum Deum tuum, &c.] Legerat in Deuter. præceptum de diligendo Deo, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. c. 6. Legerat in Leuitico præceptum de proximo diligendo, *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, &c. c. 19. Lxx Leges πλησίον, id est, *proximum tuum, sicut te ipsum.*

13. Replicatio particularū.

Illa particularum replicatio: *Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis*, &c. amoris in Deum annotant intensionem. Theophylactus, *Non remisse diligendus est Deus.* Profectò τὸ *Ex toto corde* sic exposuit Nyssenus, *Cordis nomine anima sensitiua, mentis intellectiua potentia significatur.*

Nyssen.

13. Approbatur legisperiti responsio.

Recte respondisti; hoc fac & viues.] Rectè dixisti, ex lege ad comparandam vitam æternam, amorem Dei, proximique esse necessarium. Deum ergo, proximúmque dilige, & *viues*, hoc est, vitam æternam, de qua interrogasti, consequeris. Anselmus, *Laudat responsionem, non laudat factum.* Strabus, *Iste non impleuerat, quod scriptum erat.*

Anselm. Strab.

14. Quonam modo ille iustificare vellet.

Ille autem volens iustificare se ipsum.] Aliqui in bonam partem interpretantur. Legisperitus accepto Christi responso, eius gratia mutatus, deposito tentandi animo, voluit iustitiam comparare, & legis illa duo præcepta tradere executioni. Vnde cogitauit, qui nam esset proximus diligendus? Iustúsne tantum, an Israelitæ omnes, an soli amici? Quia scilicet apud Iudæos in controuersia positum quinam proximus: non autem quisnam Deus amandus, quod exploratum cunctis; ideoque de solo proximo diligendo interrogauit. Lex indicit, *Dilige amicum tuum sicut te ipsum.* Profectò particula *Amicum* ansam exhibuit quæstionibus: An solus amicus amandus? An inimicus sit proximus diligendus? An amicus ille significet iustum solum, quia qui Dei inimicus est, quonammodo Dei famuli erit amicus? Debet enim iustus perfecto odio persequi omnes iniquos, vt sic licet correptione affectos ad virtutem adducat. An amicorum nomine Hebræi omnes intelligendi sint? De proximo ergo apte dubitans quæritat.

15. Auctoris sententia.

Existimo similius vero in peiorem partem sententiam interpretandam. Neque enim legisperitus tentandi animum deposuerat. Vnde assero, verbum *iustificare*, haud significare hoc loci comparare iustitiam; sed iustum se ostentare, iuxta illud: *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra.* Luc. 16.

Luc. 16.

16. Quonam modo se bisce verbis iustificare experiretur. Caietan. Maldon.

Sed quonammodo se legisperitus voluerit bisce verbis iustificare? Caietanus, *Putauit appellari proximos solos viros iustos, aut Israelitas: & hoc responsurum* IESVM; *& quia praeferebat se amicum iustorum, seu Israelitarum; ideo hac interrogatione intendebat iustificare seipsum.* Maldonatus ait, iustum se ostendere voluisse in ea saltem re, quæ agebatur, id est, voluisse videri non tentandi, sed discendi causa interrogasse: ideoque finxisse ignorantiam, quæ plus habere videretur probabilitatis. Facilius dixerim, voluisse se iustum ostendere, quoniam interrogatio illa hominis erat de seruanda lege solliciti. Iansenius, *Iustificare se voluit, quia voluit ostendere hac interrogatione sollicitum se esse de legis diuinæ intelligentia, quod est iustorum.*

Auctoris expositio. Iansen.

17. Taxatur legisperiti interrogatio. Cyrill. Strab. Cyrill.

Patres quidem sic legisperitum ex interrogatione taxant: Cyrillus, *Laudatus iste à Christo, prorupit in superbiam, nullum sibi proximum putans esse, & in iustitia comparandum.* Strabus, *Proximum non habebat, qui nunquam forte misericordiam fecerat.* Rursum Cyrillus, *Vacuus à dilectione proximi ostenditur, qui non æstimat aliquem sibi proximum esse; & per consequens, à dilectione diuina. Qui enim non diligit fratrem, quem videt; Deum, quem non videt non potest diligere.* Hinc probo stultè se iustificare intendisse, qui se haud agnoscere proximum profitetur.

IN IESVM LOCVTVM In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX LEGISPERITI QVÆSTIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba

Beati qui vident, quæ vos videtis, &c.

Beatitudo videndi in carne Dominum illustratur.

Vbi Christicolarum fælicitatem inuno videntium, & audientium propter fidei mysteria.

18. Anselm.

ANSELMVS sic exponit, *O beati oculi, qui vident, id est, qui cognoscunt ea Sacramenta quæ reuelaui paruulis.* Id est, Incarnationis, seu Humanitatis, & Diuinitatis mysteria. *At beatos dixit oculos interiores, non exteriores quibus Pharisæi corpus Christi viderunt.* Nostram sententia

sententia hæc beatitudinem prædicat. Ecclesiæ enim nouæ alumnis datum internis fidei oculis Christi Sacramenta aspectare.

19\. *Currunt Pastores, vt beatitudine videndi Christum, perfruantur.* Luc. 2. Bern.

Christo nato, Pastores, *Transeamus vsque in Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinantes.* Luc. 2. Cur festinatione vtuntur? Vt beatitudine aspiciẽdi eum, quem tot Prophetæ, Reges expetierant videre, fruerentur. Bernardus ser. 22. in Cant. *In principio quidem erat Verbum, sed tunc nec videndum ipsum pastores venerunt festinantes, cum nunciatum est factum Transeamus, & videamus hoc Verbum. Et sequitur, Venerunt festinantes. Ante non se mouebant, dum Verbum erat tantum apud Deum. At vbi Verbum, quod erat, factum est: vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc venerunt festinãtes, tùc occurrerunt. Vt videamus.* Et Ambrosius ad Psal. 118. *Corpus suscipiens Dominus IESVS, charitatis nos vinculis alligauit; & tanquam fasciculum se nobis dedit, quem inter vbera nostra contineamus, cuius ad[illegible] beate latemur.* Ambros.

20\. *Beat[illegible] sponsa proxima Christi, [illegible] videt eum.* Cant. 1. Origen.

Proclamat sponsus, *Ecce tu pulchra es amica mea* Cant. 1 Legit Origenes, *Ecce speciosa, ac beata proxima mea.* Porro species illa beatitudinis ex approximatione, & visione profluebat; quia *beati oculi, qui vident quæ vos videtis, Quare non solum speciosa es, dicet,* seu beati, *sed speciosa es proxima mea. Sponsa si longe fuerit a conspectu sponsi, non est speciosa* (beatitudinis scilicet amicta fulgoribus,) *Tunc pulchra*, ac beata fit, quando *Dei Verbo*, carne amicto, *coniungitur.*

21\. *Qui vident [illegible] in gloria [illegible] habitant oculi.* Isai 9. Isai 30. Abac 3. Hieron.

Isaias præfatus, *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* cap. 9. Quam magna lux? *Lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnera populi sui* Isai. 30. Ex Interpretum mẽte vaticiniũ respicit Christi aduentum, quando filiis gratiæ dabitur eum oculis intueri. An non tanti fulgoris erit beata visio? *Deus* ait, Abacuc) *ab Austro veniet.* c. 3. Id est à Meridie, quia Bethleem à meridie Ierosolymam respicit. Hieronym. *Deus semper in meridie est* beatitudinis. *Et Ioseph in typo Christi conuiuium facit fratribus in meridie. Venit ergo in pleno lumine; Deus ab austro veniet.* Si ergo Christus pleno in lumine venit, & populus vidit lucem hanc meridianam beatitudinis, merito beati vocitantur: *Beati oculi.*

22\. *Si oculi videns [illegible] necessario vident gloriam, quia beati oculi?* Ioan 1. Cyrill.

Asserit Ioannes *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ergo addendum necessario fuit, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre,* Ioann. 1. Vidisti corpusculum, non gloriam conspexisti. Certe si viderunt Dominum, quonam modo potuissent oculi eorum non repleri beatitudine? *Et vidimus gloriam eius.* Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioann. cap. 18. *Postquam dictum est & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: addendum necessarie fuit, Et vidimus gloriam eius.*

23\. *[illegible] Christum. Angeli beati descẽdũt, homines beatificandi ascendunt.* Gen 28. August.

Scalam Iacobæam prophetiam de Christo fuisse Ambrosius lib. 2. de Iacob, & vita beat. asseruit. *Vidit Angelos descendentes, & ascendentes.* Gen. 28. Ascendunt vsque ad Christum in vertice Scalæ seu gremio Virginis morantem aspiciendum. *Iacobus prauidit Christum in terris ad quem Angelorum caterua descendit, & ascendit.* Descendunt Angeli, vt asserant beatissimum Christi conspectum. Ascendunt homines Angelorum beatitudinem æmulantes, et videntes verbum carne indutum superna beatitudine quodammodo potiantur.

24\. *Si oculi interni [illegible] Dauidis, quando [illegible] beatitudinis finis ex Verbi incarnati aspectu.* Psalm. 118. August.

Pulchre Dauid, *Defecerunt oculi mei in eloquiũ tuum dicentes Quando consolaberis me?* Psalm. 118. Augustinus. *Defecerunt oculi mei in verbum tuum, factum scilicet carne. Et quasi loquantur oculi, dum ardenter expectant, me interrogans, & quærunt de tempore, quo adueniet illa consolatio Israel, qua visa nihil videre voluit amplius Simeon.* Vnde & Dominus dixit, *Beati oculi, qui vidẽt, quæ vos videtis.* Cur lumina Dauidis Regis tanto afficimini desiderio videndi Israelis Consolatorem? Quia beati oculi, qui vident. En Regem, de quo Christus: *Multi Reges voluerunt videre, quæ vos videtis.*

25\. *Ioannes triginta annos oculos abstraxit à pulchro aspectu, vt vnica Iesu visione beatificentur, post mortificationem.* Hieron. Chrysost.

Miraris Ioannis Baptistæ ad deserta recessum? Ibi triginta annos inter asperas rupes, & incultos colles degens nihil vrbanum vidit, nihil decorum aspectauit. Seruabat equidem oculorum aciem, vt in speciosum præ filiis hominum illam defigeret, ex præmio vtique tam diuturnæ mortificationis. Hieronym. epist. ad Rust. *Viuebat Baptista in eremo, & oculis desiderantibus Christũ nihil aliud dignabatur aspicere.* Cætera enim ei omnia fœda, & impura apparebant, qui tantam luminibus beatitudinem expectabat. Chrysost. hom. 1. in Mat. *Oculis expectantibus Christum nihil aliud dignum est aspicere, nisi Christum. O beati oculi, qui vident* Saluatorem! Certè Ecclesiæ filiis tanta beatitudo præparata. Sed proh dolor! quam pigritantes ad Templum accedimus, vbi Dominus in Sacramento commoratur? Vereor, ne corporalis præsentia Domini, quæ debuerat oculis præstare beatitudinem, iam fastidium ingerat aspectanti, ex interni fidei luminis defectu.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.

Totum possibilem, circa dilectionem, hominis affectum exigit Dominus ob solum Incarnationis beneficiũ.

Assero, beneficia à nobis cordis affectum extorquere.

26\.

POstquam Dominus memorans Incarnationis mysterium beatos oculos aspectantes appellauit. Legisperitum apte allicit ad mandati maximi huius expressionẽ: *Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mẽte tua.* Vbi Theophylact. *N[illegible] remisse diligẽdus Deus tuus.* Preme, quæso, particulam. *Dominum Deum tuum.* Id est, Dominum hominem factũ, quãdo tuus specialissim[e] factus est, toto cordis ac animi affectu, totis viribus diligere procu[illegible] ex incarnationis beneficio ineffabiliter nostram exigit dilectionem. Theoph.

27\. *Du[illegible] Deus effi[illegible]* Psalm. 115.

Quid retribuam Domino (clamat Dauid) *pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Psalm. 115. Omnibus donamur, cum Deus nobis speci[illegible] fiuè datus est. *Qui proprio Filio suo non pepercit,*

Rom. 8.

Sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Rom. 8. Ergo cum & Deo, & omnibus donatus sum, quid Domino retribuam? Calicem accipiam, me totum charitatis igni offeram holocaustum: quia maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam quis pro tanto offerat largitore.

Chrysost.

Chrysostomus hom. 12. in Matth. *Illud est admirationis omnimodo plenum, quod ille, qui erat Deus, homo fieri voluit. Iam verò alia iuxta rationis ordinem consequuntur. Ex illo enim antecedente, quod & natus, & datus est nobis Filius Dei, rectè infertur, cætera omnia facillimo negotio donaturum.* Ergo pro omnibus omnia litabo, me totum Domino impendam.

Bernard. *Millies me Deo offerre debeo.*

Bernardus de dilig. Deo. *Si totum me debeo Deo, pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo. Nec enim tam facilè refectus, quam factus. Nam qui semel & tantum dicendo fecit: in reficiendo certè & dixit multa, & pertulit dura, & gessit mira. In primo opere me mihi dedit, in secundo se: & vbi se dedit, me mihi reddidit, Datus ergo, & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Et si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum. Ex toto corde tuo,* &c.

28. *An non nimis amandus, qui nimium donauit? Nunquam nimis Deus diligitur.* Cant. 1. Bernard.

Cupiebat sponsa totam se Dilecto amoris holocausto litare. *Trahe me.* Tota ex anima, toto ex corde cupio sponso colligari. *Post te curremus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Cant. 1. Et quomodo non nimium, id est, *totis* animi *viribus* diligerent Dominum sibi iam datum? D. Bernardus serm. 21. in Cant. particula illa, *Curremus* asseruit dilectionis feruorem assignari. Vndenam cursus velocitas, siue charitatis incrementa? Quia datus est hominibus Saluator. *Sanè Ecclesia non ante currere voluit in odorem sui Salomonis, quousque is, qui ab æterno ex Patre sapientia erat, factus est ei in tempore à Patre sapientia, quo ipsius odorem percipere posset.*

29. *Habitu inuentus vt homo totum hominem debet ad se attrahere.* Plutarch. Phil. 2.

Plutarchus Orat. 1. de Fortu. *Alexander conciliauit arctissimo, & perpetuo amoris fœdere Asiā, cum, mutato Macedonico habitu, in Persico eandem ingressus est.* An non de Christo profatur Apostolus, *Habitu inuentus vt homo* Phil. 2. Igitur potiori iure totius humani generis arctissimam exigit dilectionem.

30. *Dum Deus se ipsum sagittam in cor nostrum immittit, totum ad se attrahit.* Anacre. Hebr. 2. Oecum. *Actio illa qua Deus fit homo, nos attrahit ad amorem totius cordis.*

Liceat Anacreontis fabella explicare. Græcus hic Carm. de amore. introducit Amorem certantem cum quodam viro, vt eum deuincere valeret, & ad suum affectum allicere. *Cumque omnibus in eum iactis telis, nihil tandem proficeret, velut si lapideum cor sagittaret: æstuans Amor iecit se ipsum, penetrans in eum, quem amauerat: suumque reddidit.* Porrò Dominus nostri cordis videns frigiditatem, vt se ipsum iaceret, *Semen Abrahæ apprehendit*, Hebr. 2. Vbi Oecumenius adnotat, non dixisse Apostolū, *Semen Abrahæ suscepit:* sed vsum fuisse hac dictione: *Apprehendit*, metaphora sumpta ab iis, qui persequuntur auersos, & fugientes; nihilque intentatum relinquunt, vt eos comprehendant. Fugientes Dominus apprehēdit ingratos, & quasi vi cogit ad dilectionem ea ipsa actione, qua Abrahæ ex semine germinatur.

Chrysol.

Vnde Chrysologus serm. 69. *Iacet in cunabulis vt homo. Vagitu suo implorat, inquirit, exigit, quam tibi præstitit ipse pietatem.* Exigit quidem totum animi affectum, totam cordis, ac mentis dilectionem.

31. *Dum Deus apud nos moratur, ei debemus dilectionem instar sponsæ.* Apoc. 21.

Fatur Ioannes, *Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo a Deo paratam, sicut sponsā ornatam viro suo. Et audiui vocem magnā de throno dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cū hominibus, & habitabit cum eis.* Apoc. 21. Porrò illud: *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus*, innuit Christi apud homines commorationem. Cur autem Ecclesia sub habitu nouæ spōsæ inducitur, cum Deus factus homo nobiscum habitare dignatur? Certè vt annotetur nostræ dilectionis incrementa ex tanto accepto munere.

August.

Vnde Augustinus in Manu. cap 26. Deus ad nos descendit, vt familiarius ab homine diligeretur.

Chrysol.

Ideo Chrysologus ser. 141. cum iumētis asserit computandos, qui ex tanti muneris vi ad specialissimā non adducitur dilectionem. *Tamen homo si non mox cum Angelis, agnosce vel tardissime cum iumentis; ne dum moraris, ipsis iumentis, quibus ante comparatus fueras, postponaris. Ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu, quo possunt Authorem suum fatentur, contra naturam in tuam venisse naturam*

Observat. III.

Ad illa verba:

Beati oculi, qui vident quæ vos, &c. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*, &c.

Beatos efficit Christicolas fides, & sanctitas, id est, vera mysteriorum aspectatio:

Quia nulla iucunditas nisi à Deo, & in Deo.

32.

BEatos appellauit Christus oculos, qui aspiciebant, quod Apostoli intuebantur. Diximus explicandum locum de externa ac simul interna aspectatione; qua Prophetæ, & Reges interna, quæ fit per fidem iam Dominum aspectarāt. Beatitudo hæc pertinet ad Christicolas, qui & Christum commorantem inter nos quasi oculis externis aspiciūt, dum inuenitur foris: & simul oculis fidei, & sanctitatis conspectant. Hæc verax beatitudo, quod vidimus, virtutum exercitamentis imitari.

Thom.

Sic Euangelicum respectum D. Thom. exposuit, *Beati ergo sunt oculi nostri in hoc, quod fide vidimus Verbum pro nobis hominem factum, imprimens nobis decorem sui luminis: vt nos sibi conformes faciat, per sanctificationem, atque iustitiam.* En verax beatitudo.

33. *Qui Deo lætatur, obsequia semper gaudet.*

Præmitto Apostolum proclamantem. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus, *Dominus enim prope est*, Gaudium Christianorū perpetuum, interminabile, quia Dominum aspicit fidei, ac sanctitatis oculis: *Dominus enim prope est.* Profectò æternari gaudium minime nisi in Deo potest.

Chrysol.

Chrysol. ser. 12. *Dedimus corpori annum, demus animæ dies: impendimus nobis tempora, tempus deputemus Authori; viuamus Deo paululum, qui sæculo viximus totum, vt gaudeas in secula seculorum.* De gaudio ex virtutis exercitamentis hîc præcepto exposuerim. Eo ōie, quo tempus Authori deputas, in seculà gaudes; quia æterno gaudio, id est, cœlesti voluptate afficitur, qui virtuti impendit obsequium.

Procul

34\. *Dies dicatus Dei seruitio sine tenebris, totus voluptatibus exundat.* Gen. 2. Iunil.

Proculdubiò dies seruitio diuino dicatus sine tenebris est, totus luce oppletur. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Gen. 2. Quanam Deus requie potitus est, qui interminabili gloria & requie fruebatur? An requiescere Deum à laboribus suis, nihil est aliud, quam operi suo, id est homini requiem tribuisse. Iunilius, *Requieuisse dicitur Deus translato genere locutionis, cum creaturæ rationali, in qua & hominem creauit, in se ipso requiem præbuit post eius perfectionem, per donum Spiritus sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris.* Annota quænam hominis requies: *Requiem præbuit Deus homini per donum Spiritus sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris.* Nihil aliud est hominem beatè requiescere, quam charitate accendi præcordia. Vt autem interminabilis huiusce gaudij ex virtutibus concepti vim exponat, addit. *In quo & id magnopere aduertendum, quòd dies ipse septimus, quamquam mane potuerit, vesperam tamen habere minimè perhibetur.*

35\. *Qui Deo seruit videt gustando. Ergo beati oculi.* Psalm. 33.

Intra in gaudium Domini tui, aliquando Dominus asserebat. Ita homines concludit gaudium de cœlestibus, siue de virtutum exercitamento conceptum, vt vix possit vnquam ad secularia remeare. Dauid admonet, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 33. Prius posuit, *Gustate*, mox, *videte*. Quicumque cœci mundi delicias amabatis, videte ex virtutum gustu nullam adesse secularibus delicijs voluptatem. Mellea dulcedine videntur redundare; sed vel particulam degustans ecce moreris 1. Reg. 14. Ergo spirituales deliciæ homines continent, ne aliud iam concupiscere velint. Gregorius hom. 36. in Euang. *Augent spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant. Quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod auidius ametur. Proinde Psalmista nos admonet, Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Gustate, & videte?* inquit? Cum respicimus, gustamus, & non afficimur fastidio? En oculorum beatitudinem. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.*

Gregor.

36\. *Virtutum exercitamentum paradisiaca est vita.* Gen. 2.

Paradisi memoro plantationem. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* Gen. 2. Et quare voluptatis dicitur paradisus: An ex arborum, ac graminum pulchritudine, florum varietate, fructuum abundantia? Certè friuola esset omnis vis creatæ pulchritudinis ac fœlicitatis ad hominem vera afficiendum lætitia, nisi sanctitatis veraci paradiso frueretur. Moyses Barcepha lib. de parad. part. 1. cap. 7. *Hoc dicit Moyses Dominum Deum comparauisse viuendi modum secundum spiritum ita vt ea vita esset plena sanctitatis, & meditatione rerum diuinarum, & ab omnibus animi perturbationibus, anxietatibusque remota: quam comitentur, gaudium, & exultatio.* Solummodo etenim in virtutum exercitamentis, & oculorum mentis contemplatione potest homini hîc deliciarum paradisus præparari.

Moyses Barce.

37\. *Nulla exactio est, qui virtutem amplectitur lætitia verax.* Luc. 15.

Si expertus es miseriam eorum, qui diabolo seruierunt, apertè agnosces Dei famulantium beatitudinem. Prodigum adolescentem contemplare, quibus affectus fuerit exactionibus, dum diabolo, *viuendo luxuriosè*, litauit obsequium. An symphoniæ vox exauditur in munere? Certè miserrimi resonant eiulatus: *O quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Ego autem hic fame pereo.* Vbinam lætitiæ concentus? Certè in Dei domo symphonia à frugi filio exauditur. *Vt audiuit symphoniam.* Luc. 15. Dum diabolo seruit exactiones innumeras patitur, & laborans queritur: dum pœnitere incipit lætitiæ potiri concentu. *Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore. Et quondam vincti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris.* Iob. 3. Vbi Chrys. in Cat. Græc. *Diuinus sermo eos prædicat beatos, qui vocem vectigalia, ac tributa exigentis minimè audierunt. Qui enim corporis voluptatibus, animique cupiditatibus resistunt exactoris diaboli voce nequaquam vincuntur, Nam ab ijs, qui se se ei vltro dediderunt, hoc pro tributo exigit, vt eius satisfaciant cupiditati.* Non vt satisfaciant cupiditati suæ: sed eius, cui seruiunt. Quænam diaboli cupiditas nisi homines exitio addicere? Qui ergo diabolo obtemperent, exactione tartarea torquentur. Hi solummodò verè exultantes, qui beatitudine virtutis, ac sanctitatis potiuntur.

Iob. 3. Chrysost.

38\. *A Deo dilecti ne poterunt, qui vero gaudio sanctitatis fruuntur.* Thren. 3. Bern.

Ille sanctitatis exultatione æterna affectus, audiendus est. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Thren. 3. An ô Ieremia, qui semel Dominum cuius suauitatem expertus es, degustauerit, poterit ad mundi illecebras prosilire? Respondet Bernard. ser. 35. in Cant. *Anima nescio an ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliusve ducat: quam post spiritualis studij gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis. Audi enim hominem expertum, quæ loquatur. Bonus es, inquit, Domine sperantibus in te, animæ quærenti te. Ab hoc bono auertere si quis sanctam animam conaretur, puto, haud secus accepisset, quam si de paradiso, & ab ipso introitu gloriæ conspiceret deturbari.*

Observat. IV.

Ad illa verba:

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum sicut te ipsum.

In lege scriptum esse solummodo dilectionis præceptum asseritur quodammodo; quasi solummodo diligere præcipiamur.

Dummodo charitatem habeas, quidquid libeat exequi poteris, sufficit diligere.

39\. *Qui charitatem habet totam legem seruat. Nec enim lædere potest quem diligit.* Strab.

Pcrcunctatur... PRemit Strabus verba illa Dominica? *In lege quid scriptum est? quomodo legis.* Respondit Legisperitus. *Diliges Dominum. Diliges proximum.* An non amplius in lege scriptum legisti? Quam plurima adduntur præcepta: *Non iurabis, non concupisces, non falsum testimonium dices*, &c. Cur ergo solummodò in lege vnum & alterum dilectionis præceptum innuit scriptum. Soluit Doctor quæstionē. *Per solam dilectionem venitur ad vitam æternam.* Quia scilicet diligens verè Deum & proximum, neque in Deum, nec in proximum delinquere poterit. Charitatem ergo sectare, & quidquid volueris

præstare poteris; Legis etenim perfectus obseruator assereris, cum nimimè possis eum, quem diligis, vltro lædere.

40. *Habuit charitatem in Deũ, & proximum, deinc copia faciendi, quidquid voluerit; quia nihil gerere nequaam.* Tob. 1.

De seniore Tobia ait Textus, *Cum per captiuitatem deuenisset cum vxore sua, & filio in Ciuitatem Niniuem; cum omnes ederent ac cibis gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis: & dedit illi potestatem, quocumque vellet, ire; habens libertatem quæcumque facere voluisset.* Tob. 1. Parum esset à Rege terreno huiusmodi libertate, ac potestate donari Tobiam, si non augustius à Rege cœlesti cuius obsequio erat addictus, hanc recepisset potestatem. Tobias quidquid velit, faciat; quia dilectione in Deum, & in proximum succenditur. In Deum quidem, quia dum omnes ederent de cibis gentilium, hic custodiuit animam suam. In proximum autem, cuius cadauer tam sollicitè terræ amandabat. Habeat igitur libertatem faciendi quidquid velit; quia Deum & proximum diligens nihil Deo, aut proximo præstabit aduersum. Augustinus de Discip. Eccles. apud Hildeber. Epist. 83. *Habe charitatem, & fac quidquid vis.* Quia nihil gerens charitati contrarium, nullo piaculo contaminari poteris.

August.

41. *Oculi Iudithæ charitate muniti, quomodo delinquere poterant?* Iudit. 9.

Cum Iuditha ad Bethuliæ, quæ Holophernis obsidione cingebatur, liberationem præpararetur, sic Dominum precatur: *Capiatur*, ô Domine, Holophernes *laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum labiis charitatis meæ.* Iud. 9. Petit labiis inesse astum, quo Ducem decipiat. Quæsierim, an fœmina deliquerit, dum mentiri videtur, vel dum labia expetit prudentissima, quibus decipiat amantem? Profectò non deliquit Iuditha, cui à Deo copia, vt quidquid vellet, posset efficere. An non vtriusque dilectionis fœmina accendebatur? Quam Dei amatrix, quæ *in superioribus domus suæ fecit cubiculum secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur; & habens super lumbos suos cilicium ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata,* &c. cap. 8. Quam in proximum erat affecta, quæ totam se se addixit populi libertati? Quæ ergo charitate in Deum, & proximum feruescebat, quidquid vellet, præstare poterat sinè piaculi suspicione. Preme particulam: *Percuties eum in labiis charitatis meæ.* Quonam modo poterat delictum in charitatis labiis latitare. Videtur mentiri, sed non mentita est, apparet dolus in labiis; sed veraciter nullum mendacium, nullus dolus in labiis poterat adesse, vbi charitatis flamma rutilabat. Confirmo ex D. Ennodio lib. 7. epist. 25. *Impatiens Iudith rigidioris præcepti diligentia, non ingiter quid dignum facit reprehensione; quod libera est.* Id est, quia labia charitatis liberè possunt loqui sine piaculi vllius suspicione.

Enod.

42. *Sulpitius dũ mentiri videtur, non mentitur; quia charitate in proximum ferebatur.* Gen 4. Paulin.

Caino Deus, *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Gen. 4. LXX. *Nonne si rectè offeras, non autem rectè diuidas peccasti?* Porrò D. Paulinus egit, *si rectè diligas, non rectè diuidas, peccasti:* & hisce vtitur verbis, vt ostendat, Seuerum Sulpitium mendacij crimine reum esse, dum Paulinum præconiis extollit. Attamen dum mentitur, nullatenus asserit commisisse mendacium. Quonam modo potuisset Sulpitius & mentiri, & non mentiri. Ait Pulchrè Nolanus Præsul epist. 2. *Expostulandi causa est, quod te multa dilectio vsque ad peccatum mendacij trahit, onera nostra iniustis laudibus cumulans. Arguam te de charitate peccare, si quidem de nobis ita loqui iustum existimas.* Quonam modo si de charitate peccat, existimat iustum esse, quod de Paulino loquitur? Quia si charitas causa est præconij, videbitur fortasse mendacium, sed minimè erit: & si mendacium fortè, sine vllo piaculo materialiter exponetur. Quia qui charitate accenditur, quidquid voluerit potest gerere, aut loqui sine criminis suspicione. Addit ergo Pater, *Iure audies, si rectè diligas, non rectè diuidas, peccasti.* Sed quonam modo potest non rectè diuidere, seu aptare præconia bene meritis, qui rectè diligere nouit? *Iustum existimas.* Profectò diligens Deum, & proximum amans, nunquam ex intentione delinquet. Existimabit iustum esse, quod gerit, quod loquitur. Verè etenim *de charitate peccare* non poterit, quia charitas & peccatum vna in sede minimè commorantur.

43. *Sara nec ridet, nec mentitur; quia ex charitate in Deum risit.* Gen 18. Ambros.

Charitas in Deum quidquid fecerit, aut locuta fuerit, non peccabit. Audiens Sara se nonagenariam parituram Isaacum, *risit occultè dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Dixit autem Dominus ad Abraham, *Quare risit Sara? Negauit autem Sara dicens: Non risi, timore perterrita.* Gen. 18. Quæstioni dant Patres, an Sara ridendo, aut negando, deliquisset? Recolit D. Ambrosius Saræ erga Deum dilectionem, timorem, humilitatem, obsequium. Hospitio excipiens Deum sollicita cura cibos mensæ ministrat, tria sata farinæ commiscet. Ergo *vel ideo negauit* (inquit Cat. Lipom.) *quia ignorauit; ideo risit, quia prophetauit.* Charitate enim in Deum succensa mulier, licet videatur deliquisse, quidquid gerat, quidquid loquatur, pia intentione exposuit.

44. *Abrahamus non delinquit, quia proximi dilectione succenditur.* Gen 16. Ambr.

Idem prorsus de charitate in proximum affirmarim. Saræ vir Abrahamus cum ex Sara vxore liberos non accepisset, ipsius vxoris, quam ardentissimè diligebat, precibus ad Agar Ægyptiam Saræ ancillam ingreditur. *Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam viro vxorem: ingressusque est ad eam.* Gen. 16. Vbi Ambrosius defendit nullum à Patriarcha commissum fuisse delictum. *Quod ergo* (inquit lib. 2. de Abra.) *putas esse peccatum, aduertus esse mysterium.* Quodnam, quæso, mysterium? Respondet ingeniosus societatis Interpres, charæ beneuolentiæ, arctissimæque erga vxorem dilectionis vim mysterium extitisse, quo defendit Ambrosius Abrahamum non peccasse. Vbi enim dilectio in proximum fulgurat, quonam modo suspicio piaculi potest consistere? Igitur qui duplicis dilectionis in Deum scilicet, & proximum igne succenditur, totius legis iura seruabit.

* * *

OBSERV.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Hoc fac, & viues.

Requirenti Legisperito, quidnam faceret, ad æternæ vitæ consequutionem, amoris sola præcepta, quasi planam viam ad superos, indicat.

Expendo, amorem viam arctam plenam difficultatibus, laboribus, asperitatibus exundantem, facillimam reddere.

45. ROganti Legisperito, quid faciendo, vitam æternam consequi posset, debuisset Dominus legis difficultates exponere, ieiuniorum, vigiliarum, reliquorumque pœnalium operum præscripta obiicere. Solummodo dilectionis præcepta asseruit obseruanda. *Hoc fac, & viues.* Cur legis tot laboriosa gesta non expressit? Certè quia diligenti nulla potest obiici difficultas. Dilige Deum, & proximum. O quam plana ad vitam æternam via præparatur.

46. David, *Ne pereatis de via iusta.* Ps. 2. Genebrardus, *De via plana.* Quonammodo iustitiæ via tot asperitatibus plena, potest verè plana via vocitari? Certè quia dilectionis præcepta omnem asperitatem verterunt io dulcedinem. Isaias appositè, *Erunt praua in directa, & aspera in vias plana*, cap. 40. Procopius, *Plana & facilis reddi quit via, qualis per Christum via dilectionis iam existit.* Nulla asperitas obstat, vbi dilectio fulgurat. Vnde Doctor Angelicus Opusc. de Sacram. cap. 5. *Ne via homini videretur grauis nimis, factus est homo Deus, & per hoc socius via, & peregrinationis.* Id autem ex Doctoris mente Domioos præstat, dum corpus suum hominibus impendit animi robur, & vinum dilectionis fomitem ministrans.

Amor efficit planam viam cæli, quæ aspera est.
Psalm. 2.
Isai. 40.
Procop.
Thom.

47. Laborauit ne Iacob, dum expectat, dum pascit alienum gregem, dum æstus vi, & frigoris efficacia premitur? Videbantur ei *pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen. 29. Audi D. Ambrosium lib. 3. de Virg. prementem illud Ierem. 17. *Ego non sum turbatus te pastorem sequens. Non laboraui* (ait) *sequens post te. Neque enim laborat qui Christum sequitur: cum laborantes ad se, vt requiescant, euocet. Ergo ipsum sequamur: quando ipsum sequimur, non laboramus. Quia non est labor in Iacob.* Qui enim amans sequitur, laborare non potest.

Non laborauit Iacob dum pascens oues, quia amabat.
Gen. 29.
Ambr.

48. Premo adhuc Geneseos testimonium. Diligens Rachelem Iacob, auunculo profatur, *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Annuente Labano, *seruiuit Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen. 29. Vbi quæritat Augustinus qq. super. Gen. *Quod scriptum est, seruiuit Iacob pro Rachel annis septem, & erat in conspectu eius velut pauci dies, eo quod diligebat illam: quærendum, quomodo dictum sit, cum magis etiam breue tempus longum soleat esse amantibus?* Quænam via asperior amanti, quam moram diuturnam necessario tereret? An non assolet quolibet in instanti annos effingere dilectio? Vndenam igitur expectatio amanti tam facilis reddita est? Credideri͂m ipsam dilectionem dilectionis ardentissimæ morarum viam facilem reddidisse. Sic soluit Doctor sapientissimus: *Erant in conspectu eius velut pauci dies. Dictum hoc propter laborem seruitutis, quem facilē, & leuem amor ipse faciebat.* Amor dies conuertebat io annos, mutabat in secula ob molestiam expectationis. Sed amor ipse annos paucos dies, secula faciebat instantia.

Non laborat Iacob dum expectat, & pauci dies ei anni videbantur, quia amor amoris impatientiam frenabat.
Gen. 29.
August.

49. Christum Iacobus pastor verum pastorem pro Rachele humanæ generationis seruientem figurauit. Iacob quidem pro Rachele præstitit obsequium, sed se ipsum minimè litauit. At Christus profatur. *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Ioan. 10. Proh Pastoris viam plenam asperitatibus! Imo planissimum Pastori nostro iter à Patre præparatur. Ipsa enim dilectio, quæ eum cogit ad vitæ pericula, ad vulnera necisq. periculis aufert amaritudinē, à via abstrahit difficultates. Chrysol. ser. 40. *Pastor bonus animā suam dat pro ouibus suis. Fortem faciat vis amoris, quia nihil durum nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem praualent superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet. Si amor est, vincit omnia.*

Melior Iacobo Pastor vitam tradidit pro Rachele sua, facilior ei mors, quia dilexit.
Ioan. 10.
Chrysol.

50. Agathonis Poëtæ apud Marsil. Orat. 5. cap. 7. apta Amoris descriptio: *Agilis, & flexibilis.* Agilem planè exponit ad quaslibet actiones & flexibilem, quia nunquam frangitur, sed morem periculis gerit. Addit Marsilius, *Agilem, & flexibilem dixit amorem: vt aptum ad motus omnes, promptumque intelligas.* Titus Stroza to. 2. cecinit:

Amor nullis frangitur periculis, quia flexibilis.
Agathon.
Marsil.
Stroza.

Qui mihi semper adest, leuibúsque quod excitat alis
Nostrum furtiuo flamine corpus agit.
Vix mihi iam videor pedibus contingere terram,
Vincit & humanos strenua planta gradus.
Quoque magis propero, tanto magis ipse labori
Sufficio, & vires impiger vrget Amor.

Sponso Annibali dixit vxor dilectissima apud Lili. lib. 3. *Haud superat labor vllus amorem.*

Lilius.

51. Quod si obiicias viros ex sexus fortitudine magis superare pericula: quam ex amoris robore: exprimam fœminæ amantis ad cuncta pericola soperanda affectus, quos dulciter cecinit Remondus noster Eleg. 1. Alex.

Vel delicata fœmina amanti nil difficile.
Remond.

Te mea vita sequar, quascunque inuaseris oras,
Vna feret tellus, vnaque cymba duos,
Seu maris Ionij tumidas sulcaueris vndas,
Ionij tecum me vehet vnda maris.
Seu propiùs Christum Solymis meditaueris agris,
Blanditur vitrea qua sacer amnis aqua:
Prona Palestinis Christum venerabor in agris,
Iordanisque bibam pura fluenta sacri.
Seu iuga Caucasei penetrabis inhospita montis,
Viuam Caucaseis hospita longa iugis.
Seu Lybia deserta petet, Lybia incola fiam,
Thresa ero, si ponti littera Threicij.
Pulsa per extremos si te ratis egerit Indos,
Protinus immensum metiar Oceanum.
Meque docebit Amor, fuerit si fracta carina
Indociles vndis arte mouere manus.
Obruar at rapidis si fluctibus, obuia Pistrix
In tua me viuam viscera conde, precor.
Cō ie precor, sed mox ea me quibus errat Alexis,
In loca seruatam piscis amice, vome,

En ob Alexij amorem nihil difficile tenerrimæ præsentatur sponsæ.

SECTIO II.

Samaritanus Proximus.

TEXTVS.

VERS. 30. SVſcipiens autem IESVS, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis, abierunt, ſemiuiuo relicto. 31. Accidit autem, vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem via; & viſo illo præteriuit. 32. Similiter & Leuita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt. 34. Et appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. 35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? 37. At ille dixit, Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi IESVS, Vade, & tu fac ſimiliter.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Parabola cortice.

1. *Suſcipiens quid?*

SVSCIPIENS *autem* IESVS Non aptè quidam legerunt, *Suſpiciens*, vim Græci vocabuli non callentes. Nam ὑπολαβὼν ab ὑπολαμβάνω, idem eſt, ac *ſuſcipio*, *Reſpondeo*. Sic Iob. 1. apud. LXX. legitur, *Suſcipiens diabolus dixit.* Poëta cecinit Ænæi. 6.

Iob 1. Virgil.

Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.

Suſcipiens autem, ſeu *reſpondens* IESVS.

2. *Locus ille Sanguinum, propter cædes.*

Homo quidam deſcendebat.] Rogauit legis ille Doctor, *Quis eſt meus proximus?* Dominus autem reſpondens, quis ſit proximus, parabola docet. Homo quidam Iudæus ab Ieroſolyma Vrbe in loco edito ſita, deſcendebat in Iericho, quæ humili in loco erat ædificata: incidit vero in latronum manus. Inter Ieroſolymam & Iericho locus aderat, qui *Adomina*, id eſt *Sanguinum* dicebatur, ob frequentes cædes, quas latrones patrabant, authore Hieronymo in Epitaph. Paul. *Locus Adomim, quod interpretatur* Sanguinum, *quia multus in eo Sanguis crebris latronum fundebatur incurſibus.*

Hieron.

3. *Latronum crudelitas.*

Qui etiam deſpoliauerunt eum.] Miſerum hominem latrones non ſolum ſpoliauerunt, ſed etiam vulnerarunt, & ſemiuiuum reliquere. Græcè aptius, ἡμιθανῆ id eſt, *ſemimortuum*, frequentiori profandi ratione: *Dejaron le medio muerto.* Porrò cum ſemimortuus etiamſi ſemiuiuus, Hieronymus ſemimortuum expreſſit.

4. *De Samaritano.*

Accidit autem, vt Sacerdos, &c.] Viator à latronibus ſpoliatus, ac vulneratus iacebat, animam penè agens. Conſpectus eſt à Sacerdote Iudæo tranſeunte, viſus eſt à leuita; ſed cum maximè debuiſſent, nihil opis attulere iacenti. Fecit illac iter Samaritanus quidam ea gente Iudæis infenſa, ſpoliatum ac vulneratum aſpectans accedit, compulſúſque miſericordia vulneribus vinum & oleum cauſa curationis infundit, & vulnera affecta medicamine alligat. Haud id miſericordi ſatis, iumento ſuo impoſitum in ſtabulum ducit. Græcè, πανδοχεῖον id eſt, *in hoſpitium*, ſiue *diuerſorium*, Sic plane dictum, quod omnes excipiat, à πᾶν, id eſt, *omne*, & δέχομαι, id eſt, *capio*.

5. *Traditur ægrotus ſtabulario.*

Et altera die.] Curam illius egit, dum in diuerſorio fuit. Quia verò diutius illo in loco manere non poterat, *altera die*, antequam diſcederet, ſtabulario, hoc eſt, illi, qui diuerſorio præerat, ægrum curandum tradidit, data quidem pecunia, & promiſſa, ſi quid amplius impenderet.

§. II.

Quinam trium illorum Proximus appellandus?

6. *Quinam horum proximus?*

QVis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe? Sacerdos ne, an Leuita, an Samaritanus proximus extiterit vulnerato? Legiſperitus autem abſque cunctatione reſpondit, Samaritanum ſibi videri fuiſſe proximum vulnerato viatori, quod miſericordia illum fuerit proſecutus.

7. *An concluſio parabolæ attingat ſcopum?*

Vade, & tu fac ſimiliter.] Imitare ô Doctor, non Sacerdotem, & Leuitam, ſed Samaritanum. An concluſio parabolæ à ſcopo aliena? Alicui videbitur. Nam ſcopus erat, docere, quiſnam ſit proximus: hæc verò concluſio id minimè docet; quia innuit, benefaciendum eſſe hominibus, non tamen indicat, quis ſit proximus. Præterea neque hoc parabola indicat; nam ex illa colligitur, proximum non fuiſſe Sacerdotem, aut Leuitam; ſed Samaritanum, quia opem ſemimortuo attulit viatori. Ergo ſolus is proximus, qui beneficium impendit alicui. Id autem falſum eſſe quis non videat? Omnes enim homines, quicumque in orbe terrarum commorantur, ſiue beneficiis nos onerent, ſiue maleficiis afficiant, proximi nomine

mine continentur. Respondeo, neque parabolam, neque conclusionem ab scopo aberrare, sed illum attingere perfectè. Tam enim parabola, quam conclusio indicat, quisnam proximus, omnemque hominem, siue ille ex eadem natione sit, siue ex diuersa, siue amicus, siue hostis sit, hoc nomine significari.

8. *Roboratur expositio.*

Porrò conclusio hæc, *Vade, & tu fac similiter*, hæc omnia significat. *Rectè dixisti*, Samaritanum Iudæorum hostem proximum fuisse vulnerato Iudæo: vade, & tu fac similiter; præsta quod Samaritanus præstitit, etiam hostes proximos reputa, & eis beneficia largire. Si ergo hostes proximi sunt, multo magis reliqui homines proximi erunt appellandi. Hieronymus ad Ephes. 4. *Affirmat Dominus, eum esse proximum, qui misericordiam fecerit: volens ostendere omnes homines omnibus esse proximos.* At non significat Dominus non fuisse proximum Sacerdotem, & Leuitam; sed indicat, proximi officia contempsisse.

Hieron.

§. III.

De spirituali Parabolæ sensu.

9. *Incidit genus humanum in latrones.* August. & alij.

AVgustinus lib. 2. qq. Euang. cap. 19. Origenes hom. 34. in Loc. Chrysostomus Orat. 5. con. Iudæ. Nazianzenus Orat. 4. de Theol. Gregor. lib. 10. Mor. cap. 8. Hieronym., epist. ad Fabio Bernardus serm. 1. de Anounc Chrysostomus propria homil. & alij plura de parabolæ huius spirituali sensu scripsere; è quorũ penu huiusmodi exprimo expositionẽ. Homo ille humanũ genus quod in latrones incidit, id est, dæmones. Hi spoliauerũt eũ Dei gratia, & peccatorum affecere vulneribus. Reliquere verò semiuiuum, quia animam quidem, non corpus occiderunt. Nam qui peccato lethali se inquinat, semiuiuus est: secundum corpus viuit, secundum animam Deo mortuus obiicitur. Præterierunt Sacerdos, & Leuita, opẽ minimè attulerunt. Etenim præteriit Sacerdos Aaron, ac Leuita Moyses, hoc est, legis sacrificia accessere, sed iacenti, ac sauciato homini medicinam haud afferre potuerunt.

10. *Samaritanus Iesu pietas.*

At accessit Samaritanus, id est, *Custos*, à verbo Hebræo, שמר *Samar*, quod significat, *Custodire*: accessit, inquam hominum Custos Christus misericordia motus iacenti, vulnerato, & semiuiuo homini medicinam adhibuit, olei, vinique instar, Sanguinem suum, vulneribus ipsius infudit, & sanauit. Ducit in diuersorium, quod omnium nationum homines excipit, id est, in Ecclesiam. Discessit in cœlum, ægrum verò hominem Præsulum curæ commisit, præmium illis daturus, si suo munere diligenter fungantur. Concludit August. lib. de Doctr. Christ. cap. 30. *Hinc intelligimus illum esse proximum, cui exhibendum est officium misericordiæ, si indigeat; à quo nemo excipitur, dicente Domino, Benefacite iis, qui oderunt vos. Et Dominus proximum nostrum se dici voluit; opitulatus est enim semiuiuo iacenti.*

August.

IN IESVM LOCVTVM In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX SAMARITANO PROXIMO.

OBSERV. I.

Ad illa verba:

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones; qui etiam despoliauerunt eum, &c.

Qui incidit in peccata, incidit in latrones, qui spoliant, qui vulnerant peccatorem.

Assero nullum horribilius peccatori supplicium ad criminum vindicationem, quam permittere eum rursum delinquere.

11. Ambros. August.

AMBROSIVS *latrones* asseruit dæmones, *Incidit in latrones, id est, in Angelos noctis, & tenebrarum; in quos non incidisset, nisi se eis mandati cœlestis deuius fecisset obnoxium.* Augustinus, *Incidit in diabolum, & Angelos eius, qui per inobedientiam primi hominis humanum genus spoliauerunt morum ornamentis, & vulnerauerunt dono possibilitatis liberi arbitrij perdito.*

12. *Peccati supplicium peccatum.* August.

Aptius dixeris, peccata ipsa extitisse latrones, qui spoliauere ac vulnerauere peccatores. Idem Aug. l. de qq. Euang. *Peccata spoliauerunt nos immortalitate, & reliquerunt semiuiuum, ex qua enim parte homo potest Deum cognoscere, viuit: ex qua verè ipso peccato premitur, mortuus est. Imposuerunt autem plagas; quia peccatum quid nisi plaga?*

13. *Vt puniat Deus, impios, tradit eos, in manus desiderij mali.* Rom. 1.

Plaga ne voluptas? latronésne peccata, è quibus delicię? O cunctorum criminum latrocinium! Omnibus bonis animum peccatorum latrones spoliant, & diris vulneribus afficiunt. A desideriis prauis exordiar. *Propter quod* (ait Paulus) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Rom. 1. Si peccatores Deo subiici noluerunt, cur non eos tyranno tradidit vulneran-

dos? Ægyptiam peccator repetat seruitutem. Ad Babylonicam captiuitatem cogatur remeare. Profectò ditior tortura desiderij praui quam tyrannorum. Vis homines miseros in latrones crudelissimos incidere? Mittantur in ipsa voluptatum desideria. An non spoliatos aspicis? An non vulneratos intueris? D. Thomas, *Inducit homines in desideria cordis eorum, sicut in manum dominorum* (dixerim latronum) *crudelium.*

Thom.

14. *Nullus in peccatorem tam crudelis hostis, ac ipsum peccatum.* Matth. 26.

Iudam contemplemini traditorem. Vix in desiderium cordis eius traditus fuit, & intendit vendere Saluatorem, cum intrauit in eum satanas, & incideos in latrones, seu in peccatum dum clamitat, *Quid vultis mihi dare,* &c. Matt. 26. ita spoliatus, ac vulneratus abiicitur, vt mirabilis D. Anastasio Synaitæ rerum appareat subita commutatio. Certè quilibet peccator incidit in latrones, qui quidem adeo dirus se exhibent miseru, vt vel horribilis inimicus vix posset sic hostem vulnerare. Theoduretus ad Paul, citat. *Quæ nullus vnquam hostis in eos perpetrauit, ea libentissimè, & promptissimè amplectuntur; & quod nullus vnquam iniustus index, vel inimicus in eos supplicium statueret, ij illud in se ipsos attrahunt.*

Theodor.

15. *Ob iniquissima gesta peccatores traduntur in manum latronum, hoc est, iniquitatis.* Isa. 64.

Audiendus Isaias, personam exerens peccatoris. *Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* Isai. 64. LXX. *Tradidisti nos,* &c. Præmiserat Vates, *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata vniuersa iustitia nostra: & cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Profectò vt peccatores tot delictis maculati supplicio grauissimo afficerentur, traditi sunt in manu ipsius iniquitatis, quæ spoliauit, & vulnerauit delinquentem. Hieronymus, *Ex quo discimus, quod & iniquitas manus habeat, & omnia peccata, quæ nos fortiter strictos tenere desiderant.*

Hieron.

16. *Regnū peccati tyrannis in ipsum peccatorem.* Rom. 6. Bernard.

Monebat Apostolus, *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Rom. 6. Quid si peccatum in corpore regnet? Corpus vulneribus saucium protinus abiicietur; quia peccati Regnum quid nisi tyrannis? Bernardus in Declamat. *Non est Dominus crudelis ad illud. Non est tyrannus tam impius, & inhumanus, sic vrgens seruulum, & non parcens, fatigatum magis instigat, subditum premit durius.*

17. *Reddidit Deus malu pro malis, hoc est, ad peccati supplicium peccatu permisit.* Isai. 3. Hieron.

Rursum exclamat Isaias, *væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.* cap. 3. Hebraicè, *Væ illis, qui sua scelera receperunt.* Reddita sunt mala, aut receperunt scelerum horribile supplicium. Hieronymus, *Quasi dicat, Nullam aliam ipsis opes crudeliorem, quam sua scelera, carnificinam.* O quot vulneribus saucius abiicitur, qui delictorum incidit in latrones!

18. *Nullus hostis crudelior peccato.* Anselm. Chrysost.

Asseruit Anselmus ad Rom. 1. peccatum criminis esse supplicium. *Vt culpis culpa feriantur, tradit Deus peccatores in delictorum manibus. Quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum.* Chrysostomus inibi, *Ait enim, illos aliis haud quaquam indigere, à quibus contumelia afficiantur. Verum eadem aduersus se patrare, ad quæ ab inimicis inuitari, ac compelli possent.* Testatur horribilem humani generis hostem. Vt vulneribus afficiatur homo ad dæmonis latietatem inuidiæ, expetit ne cum Iobo torqueri à planta pedis vsque ad verticem capitis: an cum Caino gerere homicidium, aut cum Dauide infici adulterio? Certè ab inimico generis nostri inuitari posses ad ea, quæ voluntariè geris, cum te curaueris omnino destruere.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones.

Ab Ierosolyma qui recedit ad Iericho, hoc est, qui à cella egreditur & ad hominum diuerticula pergit, incidit in latronum manus.

Monentur Religiosi, speciatim Moniales, spiritualis Ierosolymæ recessus tenere; ne ad publicum diuertentes perire cogantur.

19. August.

AVgustinus cont. Pelag. *Ierusalem paradisus, vbi pax & lætitia. Iericho mundus, in quo omnia orta occidunt, sicut Luna.* Si Deus hominem in Religionis paradiso collocauit, vbi pax, & lætitia: si fœminam in aditis custodiendam posuit: stultus planè ille, hæc dementia laborat, si ad mundum vel cogitatione conuertantur, vbi omnia occidere comperiuntur; quia locus Sanguinum est, latronum crudelissimorum domicilium.

20. *Dum Adā, & Eua recluduntur, incolumitate fruuntur; dum exeunt, deperennt.* Gen. 4. August.

In paradiso Adamus & Eua à Deo Custode fuere collocati. Dū recluduntur in aditis, Numini hærescunt. Cum autem Eua non omnino claustra relinquit, sed ad hortus vallum accedit loquutura cum serpente, incidit in latrones, & virum peruertit. O quot vulneribus affecti perierunt! Augustinus de qq. Euang. *Homo ille Adam, & Eua ab Ierusalem visione aut Ciuitate pacis lapsi, quia ad Iericho declinarunt, id est, Lunam mortalitatis nostræ.* Mutabilitate laboras qui à mundo recesseras? ad lunam redis mortalitatis, qui immortalitatis stola quodammodo ornabaris? Mortalitatis incides in latrones, qui spoliabunt, & vulnerabunt.

21. *Pereūt Moniales recedentes à cella in auditorium.* Theoph.

Ait Theophylactus, *Nisi quis a cogitationibus sublimibus,* & separatis *deciderit, non incidet in latrones.* Si autem subit latronum manus, qui à cogitationibus sublimibus decidit: quid si ad verba prophana diuertat? Existimo Euas multas periisse, quia à sublimibus cogitationibus cellæ, ad auditorium properarunt. Quid cogitanti sublimia cum colloquiorum illectamentis?

22. *Matres in plateis vulnerantur, quando Moniales ab aditis ad auditorium descendunt.* Thren. 2.

Ierosolymæ adolescentes suis matribus quæsitatunt: vbinam fructus sanctitatis? *Matribus suis dixerunt: Vbi est triticum, & vinum? Cum deficerent, quasi vulnerati in plateis.* Thren. 2. Matres illæ ex sanctitudinis fœcunditate, quæ in recessu cellæ à Domino sponso pane cœlesti, ac vino germinante virgines, nutriebantur: iam deficientes abiiciuntur instar vulneratorum in plateis, qui in manus inciderunt latronum. Vbinam ô matres triticum illud, ac merum, quo Angelicam vitam ducebatis? Profectò ad auditorium diuertentes à latronibus

fuistis

Pasch.

fuistis vulnere affectæ, in morem illorum, quæ in plateis vulnerantur. Paschasios, *Nostra Ierusalem amorè plorat, quia numerositer eius part vulnerata exhalatur, cum relicto angusto itinere, vias arripit latiores* An non spiritualis Ierosolymæ querulas voces auditis? Nónne Religiosorum Monasteria percipitis clamantia: O viri patres olim, ô matres sanctitudinis fœcunditate egregiæ! Vnde iam vulnera? Certè quum in cella recludebamini, incolumes immortali potiebamini amictu: spoliati, ac vulnerati estis, quia à claustris, à recessu augustissimo recedentes, vias iniistis latiores.

23.

Factus est Religiosus in prædam, quia à via deserti, discessit.
Ierem. 2.

Quæritat Ieremias, *Quare ergo Israel factus est in prædam? super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam. Posuerunt terram eius in solitudinem, Ciuitates eius exustæ sunt, & non est, qui habitet in eis. Numquid non istud factum est, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* cap. 2. Ducebatur Religiosus per viam desertam, abstractus à seculari itinere Ipse autem diuertit ad Iericho conuersationis mundialis. Ierosolyma cœlestis, id est, Religionis claustra deserta conspiciuntur; quia ciues eius in plateis à latronibus leone horribilioribus vulnerati coniacent, & non reuertuntur.

Lyran.

Lyranus, *Sic factum est illud tibi, quia dereliquisti Dominum ducentem te in columna nubis & ignis per viam deserti.* Cur è deserto spiritualis recessus, ad mundi diuerticula descendisti?

24.

Egressa Monialis à sinu Sponsi, vt videret mulieres seculares, incidit in latrones; quid si ad videndos viros egrediatur?
Gen. 34.

Dinæ, ô Monialis, contemplare recessum. *Egressa est, vt videret mulieres Regionis illius*, & incidit in latrones Gen. 34. Egressa, vt videret mulieres, virum vidit incauta, seu visa ab eo perire coacta virgines efficit prudentiores. E sinu sponsi cœlestis, ô sponsa, nun recedas, nec vt fœminas videas: ne latronum manus experiaris. Paschasius apposite lib 2. in Thren. *Idcirco quia de sinu Dei egressa est foras anima vna cum Dina, vt videret filias Regionis huius seculi: vulnerata est à Diabolo, & in membris eius compacta. Iam in furore suo auertit Dominus manum suam.* Si periere virgines, quæ ad aspiciendas mulieres seculares è sinu sponsi egressæ fuerunt: & manu Domini in furore auersa miserè vulneratæ lamentantur: Quidnam precor, eum è sinu sponsi recedunt, vt viros intueantur, vt cum ais periculosa colloquia texant?

25.

Curat Deus Religiosos mundano otio laborare; ne vacet illis, quando possint ad colloquentis diuerticula pergere.
Deut. 27.

Ad mentē reuoca Regularis vitæ exercitamēta. Vix horæ alicuius particulā vacātem videbis ab opere. Canunt Monachi, aut Moniales, contemplationi litant studium, legunt, memoriæ mandant, volumina Patrum euoluunt, cribuot, manuum opera exercent. Cur ita? Ne temporis particula relinquatur seculari colloquio, ne manus incautus Regularis latronum subeat, Moysem audi. *Si audieris vocem Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie: faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus* Deut. 27. Preme rò, *Omnia mandata eius.* Nihil erat in vsibus humanis adeò minimum, quod non esset cautum in lege. Si cibi eligendi, si vasa munda, si lauandæ manus; aderant legis præscriptiones; Cur suos Deus tot occupationibus pergrauabat Hebræos? Profectò non vt grauaret: sed vt præceptorum multiplicatione adeo eos intentos legi contineret, vt nec temporis particula relinqueretur vanitati.

Tertull.

Tertullianus lib. 2. in Marc. *Sacrificiorum onera, & operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi proprie desiderauerit. Sed & in ipsis commerciis vitæ, & conuersationis humanæ domi, ac foris ad vsque curam vasculorum omnifariam distinxit: vt illis legalibus disciplinis occurrentibus vbique, neque momento vacarent a Dei respectu.* Si Religiosi, si Moniales tot legibus Regulæ studium impendant obseruandis, si exercitamentis continuis impendant actiones, haud reliquum tempus aderit seculari colloquio, quod assolet incautos ad manus latronum attrahere.

26.

Si per fenestras assolét latrones ad Sponsæ cubiculum ascendere: quid si ipsa ostium aperiat? Vulnerabitur in foro.
Cant. 5.

Certè tanta cura adhibenda, ne ostium patescat egressui ad ineundum forum: vt vel animi fenestris reseratis latrones ad vulnerandam reclusam non semel ascenderint Probaturus sponsus an dilecta clausi cubiculi solitudine delectetur, pulsans acclamat. *Aperi mihi sponsa mea.* At illa reclusionis proposito, *spoliaui me* inquit, *tunica mea, quomodo induar illa: laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Profectò quæ ostium renuerat aperire, quia fenestram reserauerat, cogitationes speciem pietatis præseferentes ascenderunt: Surge, aperi, egredere. *Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo.* Quid iustius? *Quæsiui, & non inueni illum. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt Ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Ibid. Quia fenestram cogitationibus aperuit, pessulum ostij reserauit: egressa est, & vt nulla esset Dilectæ sponsæ egressio sine latronum periculo, custodes Ciuitatis in latrones conuersi & pallium tulere, & spoliatam vulnerarunt

Athan.

D. Athanasius in vita S. Synclet. *In sensus nostros, nobis etiam nolentibus, fures obstrepunt. Qui enim fieri potest, vt fumo foris excitato, domus nostra, si fenestra pateant, non denigretur? Quare omnes in forum egressiones prorsus sunt euitandæ.* Non euitauit egressionem in forum, qui fenestram non occlusit cogitationibus secularibus. Christi sponsa vulneratur quia fenestram non clausit? quid si ad ostium incauta properet, pessulum aperiat, & ad forum cum fatuis virginibus pergere non vereatur?

27.

Monachi nisi miraculorum patratores haud possūt ad vrbē ex recessu descendere. Eliseus quidē admiratores, non imitatores descendentis.
4. Reg. 4.
Damian.

Quid de Monachis addidero, qui ex speciali Regulæ præscriptione in montanis augustissimis commorantur contemplationi studium impendentes? Hi'ne licebit ad vallem descendere, Ciuitates inire, cum secularibus conuersari? Licuit, ais, vel Eliseo remotissimo, abstrahi à montis abditis, & ad vrbem descendere, ad pueri viduæ suscitationem 4. Reg. 4. An non licebit Monachis, quod Monachorum duci aliquando licebat? Certè non licet nunc Monachis à sæculo abstractis, vt contemplatiuæ vitæ iura seruent, quod semel licuit Eliseo. Audi pulchram Monachi Petri Damiani sententiam in Apol. cap. 28. *Quod Eliseus, ad resuscitandum Sunamitis filium, de montanis recessione descendit, huius temporis Monachos potius est venerationi habendum, quam, imitandum.* An non licebit Monacho ad suscitationem mortui proximi è monte descendere. *Liceat sane Monacho, ad seculum ex voluntate reuertere, qui iam mortuum hominem ad vitam poterit suscitare.* Ex voluntate quidem licet Monacho inire seculum ad proximi suscitationem: sed ex executione minimè. O quis posset (clamet) proximorum saluti incumbens, omnium peccatorum perficere conuersionem

nem. At à ſeculo abſtineo, contemplationis inſtitutioni addictus · *Liceat Monacho, ad ſeculum ex voluntate recurrere.* An aliquando licebit *ex opere* ad ſeculum properare? Licebit certè, ſi ſe miraculorum agnouerit patratorem. Illud namque Propheticum iter omnino cognoſcitur virtute plenum, per reſurrectionis humanæ miraculum. Liceat vulgari idiomate explicare: *Solo puede hacer con la obra eſſa Iornada vn hombre, que haga milagros.* Alij autem, ſi charitate feruent, *liceat ad ſeculum ex voluntate,* (non ex opere) *recurrere.*

Monachus ex voluntate deſidat, non ex opere ad vrbes.

Observat. III.

Ad illa verba:

Samaritanus autem quidam iter faciens venit ad eum, &c.

Samaritanus appellatur apte proximus Iudæi incidentis in latrones; quia Iudæus proximus verè Samaritani.

Aſſero, quemlibet licet ſit inimicus, noſtrum eſſe proximum: Chriſtumque ſuos alumnos edocuiſſe dilectionem inimicorum.

28. Voluimus Dominus hac parabola docuiſſe cunctos homines amicos, aut inimicos noſtros proximos eſſe, quibus debemus ſubuenire indigentibus. Samaritanus Iudæi ſibi inuiſi proximus appellatur, quia vel inimicus Iudæus proximus verè eſt Samaritani. Indicitur Chriſticolis dilectio inimicorum Domini veri Samaritani, ſeu *Cuſtodis* exemplo.

29. Danidis profatur ex ore, *Amici mei, & proximi mei appropinquauerunt aduerſum me, & ſteterunt.* Pſalm. 37. Si aduerſum Chriſtum ſteterunt, cur amici, & proximi appellantur? Auguſtinus quia ſe amicos, & proximos ſimulabant. At aptius Chryſoſtomus. *Amicos quidem, & proximos appellat, non vt qui* Iesvm *amarent; ſed vt qui ab eo amarentur vt proximi.* Quia quilibet licet inimicus, meus amicus eſt, ſi vt proximus aſpiciatur. Inimici ſunt mei, qui aduerſum me, inſurgunt Iudæi: ſed ego Samaritanus eos amicos appello, quia proximos recognoſco.

Inimici noſtri, amici appellandi quia proximi Ieſu exemplo. Pſalm. 37. Auguſt. Chryſoſt.

30. Ipſe apud Ioannem ait, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis,* cap. 15. Alij, *Pro proximis ſuis.* Profectò maiorem hac charitatem habet, qui animam ſuam pro inimicis ſuis ponit. Non dubitandum; ſed id Chriſtus aſſeruit. Bernardus ſerm. fer. 4. hebdom. pœn. *Maiorem charitatem habuiſti Domine, ponens animam pro inimicis.* Si Chriſti charitas ex eo commẽdatur eximiè, quia ponit animam pro inimicis ſuis, quare Chriſtus non inimicos, ſed amicos appellauit? Certè quia inimicus proximus eſt, & conſequenter inter amicos computandus. *Pro iis poſuit* (ait acutè Maldonatus meus) *poſuit animam ſuam, qui & amici, & inimici erant · amici quemadmodum ipſe vocat, quia proximi ab eo diligebantur; inimici, quia ipſum non diligebant.* Et Doctor Angelicus in Ioan. *Homines pro quibus Chriſtus animam poſuit, licet non eſſent amici, quaſi amantes: erant tamen amici, vt proximi amati.*

Chriſtus inimicos appellat amicos, quia proximos diligebat: nec poſſunt enim vna in ſede morari proximus, & inimicus. Ioan. 15. Bernard. Maldon. Thom.

31. Hinc Iudam proditorem compellauit amicum. *Amice, ad quid veniſti?* Matth. 26. An ironica appellatio? Abnegat Franciſcus Lucas, ſic exponens, *Amice, quem ego hactenus in amicitiam admiſi meam, coniunctam cum familiari conuictu, quem etiam nunc dico, cuiuſque perditionem doleo.* Sic ex Patrum mente. Aſt ego crediderim amicum appellatum fuiſſe, qui inimicum agebat horribilem, quia Chriſtus eum proximum eſſe recognouit. Samaritano enim piiſſimo vel inimicus exiſtit amicus, quia proximus eſt.

Iudam Chriſtus appellauit amicum, quia licet inimicum, proximum recognouit. Matth. 26. Franciſ. Lucas.

32. Iobus à Dæmone vulneratus, à tribus Proceribus inuiſitur. *Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo.* cap. 2. Vbi quæritat D. Gregorius lib. 3. Mor. cap. 14. cur amici Iobi appellentur, qui inimici potius appellari deberent, & figuram hæreticorum Eccleſiam Dei perſequentium gerebant? & reſpondet, *Nec mirum, quod qui aduerſantium formam exprimunt, appellantur amici: cum ipſi quoque traditori dicitur, Amice, ad quid veniſti?* Aduerſatiorum formam tres Principes illi gerebant? Ergo à Iobo Chriſti gerenta ſimulachrum debuere amici vocitari; quia quilibet homo proximus eſt: & qui proximus habetur, conſequenter amicus reputatur.

Amici Iobi vocantur illi, qui non amice ſe geſſerant quia licet inimici proximi erant Iobi [illegible] referentis. Iob. 2. Gregor.

33. Haud Chriſtus ignorans Diſcipuli traditionem appellauit amicum, ſed agnoſcens inimicum contemplatus eſt proximum, & conſequenter amicum reputauit. Imo ipſos iniquiſſimos, à quibus erat illigandus, quia cognouit inimicos, ſed proximos eſſe comperit ex lege charitatis, à vulnerante Apoſtolo defendit. Matth. 26. Ponderat Auguſtinus hom. 5. de Paſ. ad illud: *Oſculo tradis Filium hominis? O ſacrilegum ſignum, ô placitum fugiendum, vbi ab oſculo incipitur bellum! Arma iam aderant, inimici cohors proceſſerat, Petrus inſuper gladium exemerat; ſed inimicorum etiam amicus proximus Dominus pacis oſculum in odium, & bellum vides conuerſum; & in medio bello pacem proclamat, amicum prædicat, & Petrum percutientem amicos reprehendit.* Vndenam inimicos appellat amicos? Quia *proximus* proximos eſſe recognouit toto ex animo diligendos.

Chriſtus & Iudam amicum vocat, & inimicos à Petri gladio defendit quia proximos reputabat. Matth. 26 Auguſt.

34. Chriſtum imitatur ſponſa, quæ alter Iesvs. *Tenui, clamat, eum, neque dimittam, donec introducam in domum matris meæ.* Cant. 3. Vbi Bernardus ſerm. 79 in Cant. Exiſtimat Eccleſiam noſtram Chriſti ſponſi naturam æmulatam Synagogam nouercam horribilemque inimicam ſibi, matrem dilectiſſimã appellaſſe. Curat allicere, imo quodammodò trahere ſponſum rurſum ad Synagogam. Ideo Oſeas prædixit, *Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum in nouiſſimo dierum.* cap. 3. Paraphraſis Chald. *Et obedient ſaltem tempore extremo Meſſiæ filio Dauidis Regi ſuo.* Vndenam Hebræis à latronibus vulneratis, ac ſpoliatis ortus pœnitudinis affectus? Certè quia Samaritani ſponſa proximam recognouit Synagogam, & vinum ac oleum curauit infundere vulneribus. Pulchrè Bernardus. *Magna Eccleſiæ charitas, quæ nec æmulæ*

Ieſu æmulatrix ſponſa Eccleſia Ieſum adducit ad inimicam Synagogam, id eſt Samaritanum ad vulneratam à latronibus. Oſe. 3. Chald. Bernard.

Synagoga suas delicias inuidet. Quid benignius, quam vt quem diligit anima sua, suum communicare parata sit inimica. Proximam Samaritana deputauit Iudæam, nec potuit non diligere.

35. *Sicut Pater cælestis fit Christicola, perfectè diligens inimicos: quia proximi omnes.* Matth. 5.

Fatur Dominus, *si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis: Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5. Preme Particulam, *Perfectus est*, quam interpres exposuit, *Omnem transgrediens charitatis, ac dilectionis perfectionem.* Ac si diceret, Pater cœlestis perfectus est hominum amator, non solum amicos, sed & inimicos diligit, quos amicos & proximos appellat. Ideo Canticorum illa particula *Amica mea*, ab aliis transfertur, *Proxima.* Patrem ergo cœlestem imitamini. Augustinus epist. 121. ad Probam cap. 6. *Amicitia non angustis finibus terminanda est, omnes enim, quibus amor, ac dilectio debetur amplectitur; quamuis in alios propensius, in alios suspensius inclinetur. Peruenit autem vsque ad inimicos. Ita nemo est in genere humano, cui non dilectio, & si non pro mutuo charitate, pro ipsa tamen communis naturæ proximitate debeatur.* Proximus licet inimicus, amicus reputandus; quia vt proximus diligendus. *Pro ipsa proximitate.*

August.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præteriuit.

Sacerdos descendens à Ierosolyma, siue cadens à Deo, crudelissimum se se ostendit in vulneratum.

Nullus crudelior hostis potuit excogitari ad proximi perniciem, quam improbus Sacerdos.

36. Curans Dominus homines immisericordes requirere, quibus parabolam crudelitatis aptaret, cur non descendentem aliquem seculi diuitem induxit, si *diuitia* ab Herodoto *crudeles* vocitantur? Quare non expressit Iezabelem aliquam Prophetarum horrorem? Certè vt homines exponeret crudelissimos in proximum aptissimè Sacerdotem, ac Leuitam induxit à Ierosolyma descendentes, id est, à virtute ad vitia prolabentes. Et quænam leæna poterit Sacerdotis improbi feritatem æquare in hominem, cui debebat ex munere subuenire?

37. *Malus Sacerdos proximo est perniciosus, vti acetum dentibus, vti fumus oculis.* Prou. 10. Hieron.

Ait sapiens, *sicut acetum dentibus, & fumus oculis; sic piger iis, qui miserunt eum.* Prou. 10. Vbi D. Hieronymus illam particulam *Piger* ad Sacerdotē accommodat, qui circa munus subueniendi proximis eius curæ commissis assolet pigritare. Quid Sacerdoti improbo & proximorum contemptori cum aceto, ac fumo? Audi Hieronymum. *Sicut acetum dentibus, & fumus contrarius est oculis: ita Sacerdos in Ecclesia prauus per acedinem peccati fidelium sensus obtundere facit: atque erroris ignorantia oculos cordis eorum ab intuitu fidei, sin incedebit in sectione inis, dum caligant, velut fumus excæcat.* Quis crudelior hæreticis? Profectò malus Sacerdos hæreticis ex impietate comparandus. *Sicut hæreticorum perfidia* (addit Doctor) *bonis Doctoribus molestiam generat, & lacrymas: sic male viuens Sacerdos eis, qui se fidem suam ostendere ex operibus iusserunt, per inertiam grauis est.*

Prauus Sacerdos, sicut hæreticus est crudelis Ecclesiæ.

38. *Qui à Deo deficit Sacerdos, aut descendit à virtute, acidus, & molestus est proximis.* Prou. 10. Hieron.

Preme particulam, *Sicut acetum dentibus.* Acetum liquor est, qui à vini generositate decidit. Sacerdos cadens à Deo, à Ierosolyma sanctitatis in Iericho seu lunam vitiorum descendens, acetum acidum est fidelibus subditis. *Et fumus oculis.* Quid fumus nisi extinctæ flammæ degener quidam vapor? Qui Sacerdos ex flāmā virtutis vilissimum descendit in fumum fideles excæcat, dum illuminare debuisset. Hieronym. adhuc, *Porro quod acetum a vino degenerat: & fumus, qui ab igne ascendens euanescit, figuratè denunciant eos, qui ab Ecclesiastica charitate, & suauitate per socordiam recedunt, & superbiam. Quid dentes & oculi*, nisi fideles subditi? Quis ergo fidelibus acetum & tenebræ, nisi Sacerdos descendens à mero, & igne?

39. *Sacerdos prauus crudelis tempestas Ecclesiæ.* Chrysost.

Quid tempestate marina crudelius, cuius vi nauigia validissima comminuuntur, & mittuntur in centrum? Vix improbo Sacerdoti comparanda; nam quod tempestas nauibus, hoc Sacerdos malus Ecclesiæ. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. *Quemadmodum sæuientibus, pugnantibusque inter se se asperrimis ventis, derepente mare antea quietum, ac tranquillum furit, atque intumescit, eosque omnes, quos tum vela facere contigerit, perdit; ita Ecclesia tranquillitas perditis Sacerdotibus admissis, turbulentia, ac naufragiis permultis infestatur.*

40. *Sacerdos improbus est quotidie fidelibus vti dies iudicij crudelis, & amara valdè.* Imperf.

Dies nouissima *crudelis, & amara valdè* à Patribus appellatur. Profectò malus Sacerdos crudelē, & amarā illā diem quotidie præsentat Ecclesiæ. Fatur imperfectus hom. 44. *Primo in vallibus fit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat, quin iam nox sit? Sic primum in secularibus, & laicis Christianis incipit præualere obscuritas peccatorum: nunc autem, quando iam vides, quod Sacerdotes positos in summo vertice, qui montes, & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa: quomodo dubitetur, quin finis est mundi?* Quid mirum homines subditos arescere *præ timore, & expectatione, quæ superuenient*, si Sacerdotum iniquitas quotidie diei illius crudelis, & amaræ valde tenebras præsentat?

41. *Cor mali Sacerdotis adamas durum ad proximum.* Zach. 9.

Expressit Zacharias crudelissima Sacerdotis mali præcordia. *Factum est verbum Domini ad me dicens: Loquere ad omnem populū, & ad Sacerdotes.* Quid Sacerdotibus indicam? *Iudicate iudicium meum, & misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo: & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari: & vir fratri suo malum non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere, & verterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauarunt, ne audirent: & posuerunt cor suum adamantem.* cap. 9. equidem Sacerdotes moneri cum fratribus suis miserationes facere, à calumniis in fratres abstinere, à prauis contra fratres cogitationibus feriare. Quid barbaro pectori cū calumnia, & immisericordia in fratrem? Certè quod nec barba-

ricus

ricus quidam geret, Sacerdotum iniquitas exequetur. *Posuerunt cor suum adamantem.* Vidi Sacerdotes ad libidinem amplectendam tanta mollitudine diffluentes, vt muliebrem facilitatem æmulentur. Quomodo ergò in proximum adamantinum exerit pectus, qui cereus addicitur voluptati? Respondet pulchrè Rupertus, *De adamante illud mirandum, quod cum tanta sit duritia, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissoluitur. Vnde congrua similitudo est valde: Cor suum Sacerdotes posuerunt adamantem; quia cum mollissimè effeat in omninm libidinum fluxum, vt meritò de illis Isaias dicat: Audite verbum Domini Principes Sodomorum. Cor suum* (consequenter) *posuerunt adamanteia, quia durissima ceruices, & cordis indomabilis erãt contra Deum*, & proximos vulneratos. Sacerdos voluptatibus mollescit? O quam durus in subditos! Recedet illico à vulneratis, imò latronum in morem fratribus collocabit insidias.

42. *Cor Sacerdotis impro bi molle ad voluptates, & ideo durissimum ad subditos.* Rupert.

Quis, precor miseri vulneratì gemitus exaudiens præteritet, nisi malus Sacerdos? Si subditi saucij filij non audis clamores, vt succurras: audies inuitus tui pectoris crudelissimi descriptionem ex ore prophetico. *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti. Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren. 4. Vbi Paschasius per filiam populi Ecclesiasticos intelligit, qui quidem ex iniquitate adeo crudeles effecti sunt, vt filios fame, ac siti pereuntes non audiant; & si viderint, non eis succurrant. *Talibus inuoluta more bestiali peccandi vsibus Ecclesia,* (seu Ecclesiastici) *crudelis quasi struthio in deserto efficitur, nihil nisi præsentia cogitans, nullam filiorum habens sollicitudinem. Multi Sacerdotes* impietate sua pellecti crudeliores iure lamiis censentur, & negligentibus struthionibus; quoniam etsi lamiæ crudeliores videantur, nudant tamen mammam, & lactant catulos suos. In quorum profectò comparatione *Sacerdotes qui terrena quærunt* (id est, qui è Ierosolymæ sublimitate ad Iericho descendunt) *atrociores meritò planguntur.*

43. *Mali Sacerdotes quasi struthio in filios.*

Thren. 4. Pasch.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordia motus est, &c. infundens oleum, & vinum.

Suauissima Samaritani, seu Custodis IESV medicamina effero ad peccatorum sanitatem.

Edocet Dominus Præsules, suauibus fomentis aptius subditorum vulnera lethalia curari, quam austeris.

QVinam Samaritanus? Augustinus de Verb. Dom. *Samaritanum hunc se Christus voluit intelligi; Samaritanus enim Custos interpretatur: & cum ei dictum esset, Samaritanus es, & dæmonium habes, nõ se negauit Samaritanũ.* Ambr. *Christus Samaritanus descēdēs; quis enim descēdit de cœlo, nisi qui ascendit Filius hominis.* Theophylact. *Descēdit ex proposito, vt nos curaret.* Preme particulam, *Ex proposito,* id est, *ex consilio*, è superis collyria, ac pharmaca præparata exponit, nempè *vinũ, & oleum.* Ansel. *Oleum, id est Chrisma suauissimũ Spiritus sancti: & vinum id est calice dulcissimũ sui sanguinis.* Chrysost. Vinum sanguinis, *oleũ Chrismatis vnctio.* Aptè Augustinus lib. 2. de qq. Euang. *Alligatio vulnerum cohibitio peccatorum, oleum consolatio spei propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis: vinum dulcis exhortatio ad operandum.* Edocet igitur Medicus cœlestis Præsules, lethalia vulnera fomentis suauissimis aptius curare, quam asperis. Duplici medicamento vsurus Dominus, suaue ex pharmacopolio cœlesti elegit vtrumque.

44. August.

Ambros. Theoph.

Olei, & vini dulcedo & suauitas.

Anselm.

Chrysost. August.

Æmulator Christi Paulus vino & oleo studet peccatorum vulnera curare. *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 2. Cor. 4. Si duplex medicamentum præparas, vnum suaue, alterum acre existat: affer acetum & oleum, virgam, & charitatem. Profectò, qui Samaritanum cœlestem referebat duplex medicamentum præparare curat, & vtrumque suauissimum: *vinum & oleum.* Ambrosius, *Quid vultis, inquit? In virga veniam ad vos, an in mansuetudinis spiritu, & charitate? Semel virgam dixit, bis mitiora subiecit, adiiciens mansuetudinem charitatis.*

45. *Paulus Iesu æmulator vtitur oleo & vino, vel aceto, id est, duplici misericordia pharmaco vulnera curat.* 2. Cor. 4. Ambr.

Vis, fontem vini, & olei diffluentem peccatoribus pietatem exponam? *Meliora sunt* (sponsa clamat) *vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. O Samaritane cœlestis, quæ vulnerato misero præparasti vnguenta non ex vno vbere, sed ex vtroque profluunt, meliore quidem vino; quia vino addidere oleum, *Vbera* dixit; quia ex vno quidem oleum, & altero vinum emanat, nihil austerum in Medico, vtrumque medicamen suauitate conficitur ad reductionem peccatorum. Bernardus serm. 10. in Cant. *Duo sponsi vbera duo in ipso sunt ingenita mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini* IESV.

46. *Vtrumque vber sponsi misericordia plenũ.* Cant. 1.

Bernard.

Isaiam do argumenti illustratorem. *Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde.* Samaritani gero personam, alligaturus vulnera à cœlesti Ierosolyma, vbi spiritus *vnxit me*, descendo. Vinum planè & oleum immittam, *Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro.* cap 61. Quid annus placabilis? Quid dies vltionis? Lyranus. *Annus placabilis ille est Dominica passionis, in quo Deus placatus est toti humano generi. Dies vltionis est dies Iudicij extremus annunciatus à Christo.* Si dies passionis fuit, cur annus placabili appellatur? & si annus vocatur passionis dies, quare dies iudicij annus horribilis non etiam vocitatur? Certè quia oportebat miserationem, ac mãsuetudinẽ multiplicari, ad contritorũ medicinã. Vinũ iudicij degustandũ apponitur, [illegible] adeo ex superabundantia misericordiæ diuturnæ suaue, vt dies illa æmula æternitatis, [illegible] ix dies appellari possit

47. *Deus misericordia oleũ quotidie infundit, semel autem vinũ. Misericordia annus, iustitia dies.* Isai. 6. Lyran.

possit si cum penè æterno passionis, seu miserationis die comparetur. Profectò vt possit Medicus contritos corde seu vulneratos sanare tanta vis olei necessaria est.

48\. *Licet Deus Medicus vinum habeat asperitatis, solum assolet oleum infundere, ad reductionem peccatorum.*

Dixi duplicem esse medicinam plenam suauitate, vinum & oleum. Certè quia vinum aliquid asperitatis Patribus obiicit, loco vini Medicus cœlestis vim olei maximâ nostris vulneribus præparare dignatur. Nam quia peccatorum vulnera in dies multiplicata obiiciuntur, addit ille pharmaca pietatis. Isaias, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & spiritus timoris Domini.* cap. 11. Vbi D. Bernardus sermon. 16. in Cantic. *Vides, quot phialas plenas odoramentis cœlestis Medicus præparauit ad sananda vulnera. Attulit spiritum sapientiæ, & intellectus: spiritum consilij, & fortitudinis: spiritum scientiæ, & pietatis: & spiritum timoris Domini. Septem sunt numero; ex his profecto infudit Samaritanus oleum, meis vulneribus, infudit & vinum: sed minus, quam oleum. Sic nempe congruebat infirmitatibus meis, vt misericordia superexaltaret iudicium; quemadmodum oleum vino superfertur infusum. Attulit proinde quinque cados olei, vini non nisi duos. Vini siquidem timor tantum, & fortitudo fuere: reliqua quinque propria suauitate designant.* Profectò si oleû vino superfertur infusum, & minimè admiscetur ei, Medicus solo olei medicamine vtitur, quod nullatenus poterit euacuari. Vnde vini præparatio non erit ad exercitium, sed ad recordationem, quod Dominus *rectus, & dulcis: miserator, & iustus.*

Isai. 11. Bern.

49\. *Non solum quinque olei*

An quinque pietatis, seu olei cados multiplicari, videtur nimia misericordiæ præparatio? Certè in infinitum à Deo munificentissimo pharmacorum suauissimorum pharmacopolia multiplicantur. Deus Moysi, *Facies propitiatorium de auro purissimo.* Exod. 25. An qui pharmacopolium instituit pietatis, & propitiationis, dicitur domum vini aut aceti iustitiæ exædificasse? Audi Oleastrum, *Nunquam legimus, in hoc mundo Deum instituisse domum iustitiæ, quæ nos puniret, vel saltem iudicaret. Sed cum sit clemens, domum, quæ peccatis nostris propitiaretur, instituit, non vnicam, sed prope infinitas. Quot enim Ecclesiæ, tot sunt domus propitiationis.*

cados præparat, sed innumera pharmacopolia pietatis. Exod. 25. Oleast.

50\. *Habet Deus læuâ iustitiæ, sine exercitio quasi supplicium.*

Acclamat sponsa, *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. Per læuam Theodoretus iustitiam plectentem, per dexteram autem misericordiam amplectentem intelligit. En vinum: & oleum. An admiscetur oleum vino? *Et dextera illius amplexabitur me.* Sola misericordiâ peccatorem alligat vulneratum; iustitia autem adest, vt ad memoriam afferat peccatoris medico vinum asperitatis, si peccator sit puniendus. Liceat mihi appellare iustitiæ manum illam: *Llaue sin exercicio.*

Cant. 2. Theodor.

51\. *Iudices Israel ad misericordiam, ut ad supplicium?* Iud. 2.

De iudicibus Israël textus, suscitauit Dominus iudices, qui liberarent eos *de vastantium manibus.* Iudic. 2. Cur non addidit, & qui iudicarent subditos præmia adscribentes bonis, improbis autem decernentes supplicia? Possunt quidem iudices iudicare, & punire; sed peccatorum reductioni operam omnem impendent: *Qui liberarent eos.*

52\. *Cum iudicat Deus, ornat subditos. An de solo nomine induecunt?* Ps. 50.

Psaltes de Numine cecinit, *Et vincas, cum iudicaris.* Psal. 50. Sept. *Cum iudicaueris.* An iudicans Deus peccatores vulnerat? Porrò iudicium illud Dei totum est oleum pietatis. Ideo alij transtulere: *Et vincas cum firmaueris.* Iudex enim suam omnipotentiam (vti Ecclesia canit) maximè miserando manifestat.

LIBER DVODECIMVS.

PECCATORVM CONVERSIO.

PARS PRIMA.

PRODIGVS.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumquintum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

Ligni vitæ, seu IESV locuti in Parabolis FRVCTVS DVODECIMVS.

HÆc Parabola ostendit, qualiter Deus circa nos sit affectus, Patremque maximè cœlestē in nos indulgentem, & pium, modò resipiscamus, exprimit. Est de Filio, qui Patris substantiam deuorauit: cui Parens obuiam vadens, in illius cupidè ruit amplexus. Ad hæc priori stola simul cum annulo, & crepidis afferri iussis, mox opiparum conuiuium apparauit. Dominus ait, *Epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Quæ quidem verba Richardus Laur. lib. 4. de laud. Virgin. Matri misericordiæ accommodat. *Post reuersionem filij Prodigi, verba illa Lucæ. 15. Epulari, & gaudere oportebat, pro reuersione filij ad misericordiam piissimi Patris, de Matre Maria possunt intelligi. In Passione Filij peperit quodammodo Mater piissima peccatores; sed prodigo humano genere per passionem reuerso, & filio qui mortuus fuerat, suscitato, iam non meminit pressuræ;* Sed conuiuium præparatur, symphonia resonat; *quia perierat, & inuentus est.*

Richard. Laur.

LVCAS CAP. XV.

VERS. 11. HOMO quidam habuit duos filios.

12. Et dixit adoleſcentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit: Et diuiſit illis ſubſtantiam.

13. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in Regionem longinquam: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.

14. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in Regione illa, & ille cœpit egere.

15. Et abiit, & adhæſit vni ciuium Regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

17. In ſe autem reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo!

PARAPHRASIS.

11. *TERTIA Parabola generaliter ad omnem pertinens peccatorem peculiarius annotat Gentes ad Euangelij gratiam receptas. Homo quidam, ait, habuit duos filios.*

12. *Ex his qui minor erat natu, adoleſcentiam, & ſtultitiam in conſilium adhibens, adiit Patrem, ſatus: Pater, da mihi portionem facultatum, quæ redit ad me. Pater indulgens, partitus eſt inter duos filios ſubſtantiam. Traditur iuniori petenti, ſeniori reſeruatur adſcripta.*

13. *Minor quidem intra dies paucos, diuenditis omnibus, contracta præſenti pecunia, peregre profectus eſt in longinquam Regionem. Quid faceret adoleſcens & ſui iuris, & ſemotus à Patre? Inter peregrinos prodegit omnem ſubſtantiam, non ipſius, qui nihil habebat ſuum; ſed Patris. Diſſipauit quidem per luxum, alea, ſcortis, conuiuiis. Luxus enim eſt, quidquid extra carnis neceſſitatem cupiditatibus impenditur.*

14. *Vbi verò profudit omnem ſubſtantiam, per omnia gerens ſuo animo morem, orta eſt fames ingens ea in Regione, in qua iuuenis peregrinabatur. Nihil habet hic mundus, quod animam hominis poſſit explere, præter ſummum illud bonum, quod non eſt niſi in domo Patris.*

15. *Quid faceret adoleſcens peregrinus inter ignotos nudus, & fame preſſus? Cui graue fuerat iuſſis clementis Patris obtemperare, ſe ſe in ſeruitutem dare ciui barbaro coactus eſt. A ciue illo in villam immittitur, vt illic ſuos paſceret porcos. A quanta dignitate adoleſcens ſtultus in quantam venerat contumeliam.*

16. *Quid multis? Tanta erat fames, vt cuperet implere ventrem quibuſlibet vel ſiliquis, quibus porci ſaginantur. Et nec quiſquam erat, qui vel hoc pabulum illi daret; vt iam infelicior eſſet ipſis porcis, quibus ſeruiebat verius, quam imperabat.*

17 *Ventum erat ad extremam calamitatem; ſed fælix calamitas, quæ compellit ad reſipiſcentiam. Iuuenis igitur reuerſus ad ſe, ſic ſibi locutus: Vnde quo veni miſer? Quam multi ſunt in domo Patris mei mercenarij, quibus ex Patris benignitate ſuppetit panis copia: & ego filiusfamilias hic fame perire compellor.*

18. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te.

18. Surgam, & ad Patrem meum reuertar. Dicam illi: Pater peccaui supra modum & coram Angelis Dei, & coram te. Non expectabo vt meam calamitatem ex aliis cognoscat, qui vltrò prouocet ad vindictam; placabilius erit, si rem, vt est, ipse narrauero.

19. Iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

19. Haud posthac, ô Pater, me dignum iudico, qui dicar filius tuus: Mihi satis erit, si misertus mei, habeas me eo loco, quo habes vnum quemlibet de mercenariis tuis; vt liceat modo in aliqua familiæ tuæ parte hærescere.

20. Et surgens venit ad Patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

20. Hac concepta fiducia surgit iuuenis. Relegit totum iter lachrymans, qui ferox à Patre discesserat. Nondum venerat ille ad paternas ædes, cum procul etiam illum Pater prospiceret aduentantem. Prior vidit, qui tenerius amabat. Misera ipsa rerum species paternum pectus statim commouit, & sublatam iram ad misericordiam flexit. Procurrit obuiam venienti, & non expectatis filij precibus, pietate agnata victus, irruit in collum filij, & osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius, Pater, peccaui in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus.

21. Hæc tametsi erant propensi ad ignoscendum animi documenta, tamen etiam nunc iratus sibi inuenis ait: Pater, peccaui supra modum, & coram Angelis Dei, & coram te: & tamen audeo venire in conspectum tuum, quum indignus sim, qui posthac nominer filius tuus; quandoquidem à me rupta sunt omnia pietatis iura.

22. Dixit autem Pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum: & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.

22. Nondum omnia dixit filius, quæ fuerat meditatus: plus loquebantur lachrymæ, quam oratio. Quid Pater? Num exprobrat fugam? Luxuriem taxat? Filius se ipsum damnat, Pater absoluit: & versus ad famulos, ait, cito proferte huic stolam pristinam, & induite nudum: addite annulum in manum eius, calceamentaque pedibus addicite. Quam clemens cælestis Pater erga peccantem hominem; si verè, & ex animo resipiscat.

23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:

23. Fame premitur, à pascuis adducite vitulum illum insignem, & saginatum, & occidite. Apparemus conuiuium, & gaudeamus:

24. Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.

24. Quoniam hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Qualis qualis erat, filius erat. Mortuus erat piaculo reuiuiscit dum resipiscit. Certè dum communi gaudio perstrepit tota domus Patris, solus frater Pharisaicus tumidet.

25. Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum.

25. Dum enim hæc geruntur filius natu maior domi non aderat, sed in agro versabatur. Quum autem cœpisset domui patris esse vicinior, audiuit sonum strepitum præ gaudio concinentium, ac ducentium choreas. Hæc dum negligit Iudæus nihil aliud, quam in agro legis fodiens: interim magno cum gaudio gentium populus in domum Patris receptus est.

26. Dum

26. Et vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit, quid hæc eſſent?

26. Demiratus autem ſenior filius, quid eſſet noua rei, quæque inſolita cauſa exultationis. Vocauit vnum de ſeruis, ac percontatus eſt, quidnam eſſet noua lætitia?

27. Iſque dixit illi, Frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit.

27. Is reſpondit, Frater tuus venit, quo recepto gauiſus Pater, occidit vitulum illum inſignem, quem diu ſaginarat, propterea quod illum, quem periiſſe crediderat, incolumem, ac ſaluum receperit.

28. Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.

28. Frater ergo, qui fratri recepto gratulari debuerat, & Patris clementiam prædicari: maluit inuidere fratri, & Patri indignari. Manſit itaque foris indignabundus, Pater autem qui cupiebat omnibus domeſticis lætitiam illam eſſe communem, progreſſus ad illum, cœpit blandè rogare, vt omiſſo ſtomacho, iungeret ſe communi conuiuio paterni gaudij conſors.

29. At ille reſpondens, dixit Patri ſuo: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.

29. Nec tanta Patris optimi comitate maior ille filius miteſcit, ſed arroganter cum Patre expoſtulat, & impiè fratrem accuſat. Ecce, inquit, tot annos ſeruio tibi, nec vnquam tuum præterini præceptum: & tamen haud eſt habita ratio diutini mei obſequij. Nunquam enim mihi vel hœdum vllum dediſti, vnde poſſem cum amicis meis epulari.

30. Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.

30. Caeterùm poſtea quam iſte filius tuus, qui tuam ſubſtantiam cum ſcortis deuorauit, redit domum, mactaſti illi vitulum illum inſignem, & obæſum. O Patris benignitas! Murmuratorem filium placare conatur.

31. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.

31. Fili, inquit, nihil tibi decedit, quod in fratrem vtor clementia. Nam tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. Morbus præcedens commendat nobis corporis ſanitatem?

32. Epulari autem, & gaudere oportebat; quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

32. Debes ergo & tu gratulari fratri, nec abeſſe ab huius conuiuij lætitia; quia frater hic tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Non decet qualis fuerit, meminiſſe: ſed gaudere, quod talis ſit, qualem exoptamus.

SECTIO PRIMA.

Adoleſcentis peruerſio.

TEXTVS.

VERS. 11. Homo quidam habuit duos filios. 12. Et dixit adoleſcentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. 13. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in Regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De duobus Filiis.

1. *Multa parergu hac in parabola.* Titus.

HOMO *quidam habuit duos filios.* Præmitto Titum Bostrensem Episcop. confirmantem id, quod de Parabolarum apparatu sæpe alibi expressimus. *De Parabolis Cyrillus idem scribit, & sentit, quod Chrysostomus, nempe dum breuiter, succinctéque explicantur, vilium rerum notitiam afferre, & si hoc ipsum oblique, & dissentaneè. Vt autem singula huius Parabolæ partes subtiliter, & exquisite discutiantur, id minimè opus est.* Addidit ergo Dominus tertiam parabolam reliquis vberiorem, qua in primis peccatoris deplorandum statum obijcit, deinde pœnitentiam exprimit, postea Dei benignitatem exponit, denique senioris fratris refrænat inuidiam asserens peccatorum reductionem superis gratissimam, festiuóque plausu celebrandam.

2. *Quinam duo hi filij?* August. Titus.

Habuit duos filios.] Quinam hi, precor? Asserit Augustinus lib. de tempor. barbar. c. 7. prodigo filio latronem, qui cum Christo suffixus est, designari: altero filio D. Petrum. Pius sensus per accommodationem prolatus. Titus Bostren. ex Chrysostomo filio seniore Angelos, iuniore autem homines exprimi putat. Probabilitate carere arbitror interpretationem. Porrò seniore filio Iudæos, iuniori Ethnicos indicari existimant Augustinus lib. 2. qq. Euang. q. 33. Beda, & alij. Adhæret Hieronymus epistol. ad Damascen. Bartadius affirmat, forsitan maiori filio Pharisæos murmuratores, minore peccatores indicari, quibus detrahebant.

August. & alij.

3. *Auctoris sententia.* Hieron. & alij.

Certè ampliori sensu parabolam de iustis, & omnibus peccatoribus, qui pœnitentiam agunt, intelligendam esse putarim. Sic Hieronymus citat. Titus. Euthym. Theophyl. & alij.

4. *Roboro probabiliores expositiones.* Chrysost. Cyrill.

Roboro expositiones hasce Patrum aliorum sententiis. Chrysostomus, *Sunt qui intelligunt per seniorem Angelos, per iuniorem homines. Videtur quidem sensus pius, sed nescio, an verus sit.* Cyrillus, *Quidam per seniorem intelligunt Iudæos, per alterum Gentes.* At nostræ hærens opinioni, adiicit, *Filij duo iusti, & peccatores pœnitentes.*

§. II.

De substantia inter filios diuisione.

5. *Quid substantia Græcè?*

PAter, da mihi portionem substantiæ, &c.] Substantia Græcè, τὸ βίος, significat autem *victum, & facultates, quibus vita sustentatur*, quæque ad vitæ vsum pertinent. Fingit ergo parabola adolescentiorem filium à patre portionem substantiæ, hoc est partem bonorum petiisse, quæ illi hæreditate obueniebant: patrem verò morem filio gessisse.

6. *Quid significet substantia diuisa.* Theophyl. Euthym. Beda.

Quidnam significat substantia, quam filiis pater diuisit? Theophylactus, *Dat nobis Deus rationem, vt illa vtamur libere, tanquam nostra substantia.* Euthymius, *Diuisit illis substantiam, liberum videlicet arbitrium.* Beda, *Pars substantiæ, quæ minorem filium contingit, ipse sensus rationalis est. Viuere enim, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, diuini muneris substantia est.* Titus autem Bostren. substantiam interpretatur

Titus.

viuiuer m creatqram, quam Deus homini tradidit: legem quoque naturalem, & scriptam. Chrysostomus homil. in fin. tom. 2. sapientiam, & intellectum boni, & mali exposuit. Hieronymus epistol. ad Damascen. substantiam vult esse id omne, quo viuimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus. Illa autem verba: *Diuisit illis substantiam*, sic exponit: *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem.* At Augustinus lib. 2. qq. Euang. quæst. 33. *Petiuit*, ait, *filius, vt sibi pars substantiæ daretur à Patre, tanquam anima sua potestate delectata, id quod illi est viuere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere; omnia ista diuina sunt munera.* Ambrosius substantiam *naturæ ornamenta* appellat.

Chrysost. Hieron. August. Ambros.

7. *Auctoris sententia.* Basil.

Porrò substantiæ nomine omnia illa dona, quæ Deus hominibus impertit, tam naturalia, quam supernaturalia intelligo. Cum Basilio homil. 19. de pœnit. sentio. *Duo erant ambo filij ex æquo consortes. Iunior quæ habebat assumpsit: & cum iustus esset, consumptis omnibus, excidit.*

8. *An hæc inre filiis debita portio.* Titus.

Obijcis supernaturalia bona non esse portionem homini iure debitam, qualis erat illa filiorum. Respondeo haud adeo scrupulosè parabolam interpretandam, vt ex Tito præmisi. Addo ea portione iure debita filiis, omnia dona Dei significari, quæ nemini iure debentur, sed gratis dantur. Nam hi duo filij finguntur in Patris gratia fuisse: ergo gratiam, & supernaturalia dona habebant, non solum naturalibus abundabant.

9. *Quomodo substantia diuidatur Patre nondum mortuo.*

Diuisit illis substantiam.] Quonammodo Pater superstes substantiam filiis diuisit, cum diuisio hæc post patris mortem soleat peragi: eo viuente minimè? Profectò Pater Deus si viuens non diuidit, nunquam diuidet, quippe qui nunquam moritur. Addo, posse ex mortalibus aliquem inueniri parentem, qui dilectionis causa etiam vita manente, bonis se exuat, vt filium exornet.

10. *Quonammodo diuidatur filio non petenti?*

Rogas cur vtrique filio Pater sua bona diuisit, si senior nequaquam petierit fieri huiuscemodi diuisionem? Profectò si literam aspicias, duas assero partes æquales diuisit atum gessisse portiones, non tamen ita diuisisse, vt partem traderet seniori non petenti: sed ab eo suo tempore accipiendam adscriberet. Iuniori tradidit, seniori assignauit. Si autem spiritum mediere, Deus quidem non vni tantum, sed omnibus hominibus sua diuidit bona, sua dona elargitur, Cum igitur Deus omnibus bona supernaturalia, ac naturalia impendat, filiis videtur substantiam diuidere. Strabus, *Impertiuit Deus filiis omnibus gratia sua protectionem, & bona naturalia.*

Strab.

§. III.

De adolescentis secessu, & perditione.

11. *Quænam Regio illa longinqua?* August.

ADolescentior filius peregrè profectus est.] Seniori prudentiori filio eum Patre manente, iunior partum mentis compositâ patre discessit longinquam in Regionem. Quænam illa Regio? Augustinus lib. 2. qq. Euang. 33. *Regio longinqua oblinio Dei est.* Assolent hi, qui à Deo peccandore cedunt, Patris amantissimi obliuiscî,

iuxta

iuxta illud: *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* Ierem. 2. Chrysostomus autem, *Non loco recedit, sed affectu in longinquam Regionem.* Ambrosius, *Quid longinquius, quam a se recedere?*

Chrysost. Ambros.

12. Existimo per lethale piaculum peccatorem à Deo Patre optimo recessisse in longinquam planè Regionem. Nam si terras spectes, vbique Deus adest, omnibus propinquus, ab eo recedere nemo potest. Si mores, & peccata attendas nihil distantius à Deo, quam peccator. Beda, *Longe profectus est, non locum mutando, sed animum. Quanto enim quisque plus in prauo opere delinquit, tanto a Dei gratia longius recedit.* Euthymius, longè fiunt à Deo, qui peccant, non loci segregatione, sed virtutis.

Auctoris mens. Beda.

13. *Ibi dissipauit substantiam suam.*] Prodegit substantiam, vnde Prodigus appellatur. Proh peccatoris prodigalitatem! Prodiga Cleopatra vnum absorbens vnionem aceto liquefactum, centies sestertium absorbuit? Qui in peccatum ruidit mortiferum, gratiam dissipans, gemmam pretiosissimam, omne humanum pretium superantem, aceto peccati liquefactam absumit, ac perdit. O Prodigum stultissimum!

Quid, dissiparet

14. *Viuendo luxuriose.*] In Biblijs Regiis, *Viuens profuse.* Augustinus lib. 2. de qq. Euangel. cap. 33. Vita prodiga dicitur, amans fundere, & spatiari pompis exterioribus. Sic accipitur verbum luxuriari. *Qui aceruat ex animo suo iniustè, alijs congregat; & in bonis illius alius luxuriabitur.* Eccli. 14. Dicitur *luxuriari*, & *luxuriose* a luxu. Vixit ergo *luxuriose*, hoc est, prodigaliter, lasciuè, intemperanter; gulæ, voluptatis, libidinisque effectus mancipium. Fatur Anselmus, *Luxuria consumit omnia bona naturæ.* Titus, *dissipauit substantiam, id est, intellectum rectum, veritatis notitiam, genitoris memoriam, viuendo luxuriosè.* Luxuries enim cuncta supernaturalia, & naturalia bona perdit, ignominiosáque homines afficit vacuitate.

De luxuria Prodigi. August. Eccli. 14. Anselm. Titus.

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM,
EX ADOLESCENTIS PERVERSIONE.

Observat. I.

Ad illa verba:

Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem, &c. Et diuisit illis substantiam.

Qui Pater cupit appellari Deus, substantiam quidem diuisit filiis; non autem eorum diuisionis, seu separationis causa extitit.

Nec enim verè agit Patrem Princeps, Præsul aut Parens familias, qui subditorum fratrum permittit diuisionem.

15. Devs Patris appellatione inducitur, qui vel à peccatoribus vult Pater appellari. *Pater,* (inquit iam desiderio peruersus,) *da mihi substantiam.* Postea reuersus clamitat: *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Chrysostomus hom. 10. in epist. ad Roman. *Neque enim sic ille lætatur, cum Dominus, vt cum, Pater audit: neque cum seruum, vt cum Filium habet, atque adeo hoc mauult, quam illud.*

Chrysost.

16. Obiicis Patri non congruere illam substantiæ diuisionem: *Diuisit illis substantiam.* Respondet ingeniosus Euangeliorum Interpres noster, *Non dixit, quod Pater diuisit illis substantiam; sed notanter omittens Patris suppositum, solum ait: Et diuisit illis substantiam.* Ac aptius cum Theophylacto asseruerim, substantiam illam liberum arbitrium significare. *Hominis substantia rationalis est, quam comitatur libertas arbitrij.* Integer arbitrij vsus, tota rationalitas, quæ non patitur diuisionem, vtrique filio datur. Porrò qui substantiam sic diuisit, causa veræ non extitit diuisionis, nempè fratris à fratre. Liberi arbitrij vsum non impediuit, sed nec adolescentem excitauit ad profectionem. Chrysostomus, *Ostenditur libertas arbitrij, Pater enim nec discedere volentem retinuit; ne auferret arbitrij potestatem; nec manere cupientem coëgit recedere.* Peccator ipse à fratre recedens perficit diuisionem, non Deus, qui quidem Patris nomine decorari cupiens, non poterat veræ diuisionis fratrum causare discordiam.

Pater non est causa diuisionis fratrum. Theophyl. *Permisit Pater filium recedere, liberi arbitrij vi, quia paternum est non permittere fratrum diuisionem.* Chrysost.

17. Tota Patris cura circa fratrum vnionem versatur. Salomoni filius nascitur Roboam, cum regnare incipiebat. Porrò Roboam idem est Hebraice, ac *subditorum*, aut *filiorum multitudo.* *Iuda enim, & Israël innumerabiles sicut arena maris in multitudine.* 3. Reg. 4. Cur vnico in filio tot populorum, ac subditorum studet colligare multitudinem. Quia cum Rex ostenditur, & Pater efficitur, in Roboamo filio sapientissimus expressit sui imperij mysterium. Tota enim cura Regis Parentis eo tendit, vt multitudinem subditorum ad vnitatem & concordiam sic afferat, vt vnicus filius existere videatur. Ait Chrysostomus hom. 1. in Matth.

Curat Pater omnes filios in vnum coalescere; quomodo diuisionem approbabit? 3. Reg. 4. Chrysost.

Cum Salomon haberet Regnum valdè multiplicatum, natum sibi eo tempore filium appellauit Roboam, id est, in multitudine populi: vt secundum statum Regni sui multiplicati nominaretur filius eius. Quoniam quod fit in multitudine populi, passim seditionem facile patitur. Pater ergo Princeps seditionum amputat causam, dum totam subditorum multitudinem ad vnicam reducit fraternitatem. *Roboam subditorum multitudo.* Omne Regnum vnus sit vti filius.

18. *Pater efficitur custos vineæ, ad vtiinam vnitatem, ne diuidi possint.* Matth. 21. Chrysost.

Apud Matthæum Dominus, *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei.* Matth. 21. Vbi Chrysostomus in Cat. D. Thom. *Præscius, quia propter appellationem humani nominis quasi homo purus fuerat blasphemandus: etiam Deum Patrem inuisibilem Hominem appellauit. Qui Angelorum & hominum natura Dominus est, beneuolentia Pater.* Quonammodo Pater vineæ appellatur? Quid paternum expressit in vinea? Certè vites omnes, filios vtique ita vniri curauit, vt ne diuiderentur sepem vineæ circumdedisset: *Et sepem circumdedit ei.* Anselmus, *Communitionem scilicet, murum vrbis, Angelorum custodiam, bellicosorum virorum, vt Dauid, & Machabæorum.* Chrysostomos, *Custodiam Patrum.* Pulchrius adhuc Origenes, *Custodiam Patris Dei.* Pater Deus apponitur vineæ custos? Pater Deus. Quare, precor? Nè fiat inter fratres diuisio, vite aliqua auulsa Dei Patris custodia vineæ apponitur; quia paternum est, fratrum non permittere diuisionem.

Anselm. Chrysost. Origen.

19. *Non patris, nec matris poterit esse vox illa, Diuidatur filius.*

Vulgare duarum fœminarum lis, qualis vera infantis viui mater existeret. Sapientissimus Rex iussit gladio diuidi infantem. Respuebat vera mater diuisionem. *Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad Regem,* (*commota quippè sunt viscera eius super filio suo.*) *Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Quid Rex? *Date huic infantem viuum, hæc est enim mater eius.* 3. Reg. 3. Vndènam cognouisti? Quia vera paternitas, seu maternitas non permittit in filiis diuisionem. Pulchra D. Bernardi epist. 156. excogitatio. *Vnum scio, non patris, non matris illa vox erit: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.*

3. Reg. 3. Bernard.

20. *Paterna vox Regis cœlestis curat fratrum vnitatem.* Matth. 17.

Transfigurato Domino Petrus, Iacobus, & Ioannes, Moyses, & Elias hærescunt. Tunc Petrus meditatur à fratribus absentibus diuidi, dum proclamat: *Faciamus hic tria tabernacula.* Profectò illico vox Patris intonuit, *Hic est Filius meus dilectus: Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum* IESVM. Matth. 17. Vbi acutè D. Paschasius lib. 8. in Matth. ponderat, post Patris vocem illico factam esse filiorum vnionem; quia neminem viderunt nisi vnum Filium IESVM. Multi aderant fratres, & Petrus instar adolescentis Prodigi cupiebat à fratribus diuidi. At post Patris vocem omnes fratres in vnum Christum Filium copulantur. *Non ante solus,* (inquit Rathbertus Abbas,) IESVS *in monte monstratur, quam nubes clara eum obtexit, & de nube vox Patris sonat: Hic est Filius meus. Tunc cum vox Patris intonuit, inuentus est* IESVS *solus. Et cum tres essent, vnus est factus. Tres siquidem in principio videntur, & vnus in fine est Dominus* IESVS *Christus, qui omnia, quæ perfecta sunt, vnum facit.* Post Patris vocem Moyses & Elias in IESV colligantur: Petrus, Ioannes, & Iacobus ad fratrum absentium properant cœtum. O vox paterna Regis cœlestis haud permittens fratrum diuisionem, sed mirificè curans illos in vnum adaptare!

Paschas.

21. *Christus in sinu Patris omnes in se fratres colligit, & ad vnum fasciculum traxit.* Cant. 1. Bernard.

Clamat Sponsa, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Mox adiicit, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Cant. 1. Vbi Bernardus serm. 42. *Nec dubites Regem nunc esse clementem, cui perennis accubitus est paterna benignitatis diuersorium.* Quònam, precor, effectu Dei Filius in sinu paterno commoratur? *Fasciculus myrrhæ dilectus meus,* (inquit Ecclesia,) *mihi.* Plura germina filiorum iam in vnico IESV colligantur. Nam paternum illud, quod Filius ab accubitu Patris trahit, nunquam non procurat fratrum vnitatem. Vt dicat Paschasius, *Vnus est Dominus Christus, qui omnia vnum facit.* En fasciculum.

Paschas.

Observat. II.

Ad illa verba:

Peregrè profectus est in Regionem longinquam.

Qui ad luxuriæ voluptates Prodigus properabat, necessariò ad longinquam accurrebat Regionem.

Nam luxuries hominem sic à Deo separat, vt vbinam sit quodammodo ignoret.

22. *Luxuria hominem extra naturam hominis.* Ambros.

FAtur D. Ambrosius, *Quid longinquius quam a se recedere?* Lasciuum adolescentem è domo paterna carnalis cupiditas deturbauit, quæ quidem in tam longinquam Regionem eum abstraxit, vt quodammodo à se ipso recederet. Recessit à se ipso? Ergò penitus quodammodo à creatore abstractus est. O luxuria, à Deo separationem miserrimam causans!

23. *Affecta luxuriâ adolescens sic à Deo recedit, vt ad ditionem creatoris iam non pertinere videatur.* Ambros.

Totam do Ambrosij sententiam, *Quid est longinquius ire, quam à se recedere: nec Regionibus, sed moribus separari? Studiis discretum esse, non terris? Et quasi interfuso luxuria sæcularis æstu diuortia habere Sanctorum?* Lasciuiæ adolescens laborabat affectu? Iam longè dissitus à Deo commorabatur, imò non commorabatur iam, qui à se ipso quodammodo recesserat, vt longius à creatore recessisse videatur: exclusúsque ita à creaturis appareat, vt quodammodo ad creatoris ditionem non pertineat.

24. *Deus ignorare videtur Adamum valde à creatore cedentem ob concupiscentiam.* Gen. 4.

Cum Adamus Deo nudus obiicitur ex concupiscentiæ effrænatione, vt placet alicui: Dominus proclamauit, *Adam, vbi es?* Gen. 4. An Deus ignorat, vbinam homo commoretur? O Adam, mysticè concupiscentiæ obsequens immunditiæ, adeò à creatore recessisti, dum vix remanes creatura, vt iam penitus amiseris vbicationem: *Adam vbi es?*

25. *Luxuria studens quodammodo à*

Ambrosius lib. 1. de Cain, cap. 1. sic suam confirmat cogitationem: *Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: noctu feruet, die anhelat, de*

somno

Dei recedit prouidentia. Ambros.

somno excitat, à negotio abducit, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, à ratione reuocat. Fitque homo *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Vertitur parens libidinis in brutum? Ergo ex cœtu hominum deturbatus iam ab speciali illa Dei quodammodo cecidit prouidentia. *Numquid enim de bobus cura est Deo?*

26. *Ab homine recedit luxuriosus, & ideo longè à Deo separatur.* Matth. 24.

Dominus profatur, *Sicut in diebus Noe ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt: ita erit & aduentus Filij hominis.* Matth. 24. Preme particulas *Nuptui tradentes*, & *Non cognouerunt.* Prima enim luxuries innuitur Tertulliani sententia. Secunda autem à Deo hominis separatio expenditur; fit enim quasi brutus minimè cognoscens. Luxuria enim homines ita à Deo separat, vt ad longinquam, (sic liceat appellare,) bestiarum prouidentiam pertinere videantur. Ait itaque Tertullianus lib. 1. ad vxor. *Cum dicit, Nubebant, insigniora ipsa carnis, & sæculi vitia definit, quæ à diuinis disciplinis plurimum auocant per lasciuiendi voluptatem.* Auocari à disciplinis, idem est, ac à rationalitate recedere, vt voluptatis amator à cœtu hominum properet ad animantium multitudinem.

Tertull.

27. *Quasi ignorat Deus lasciuos, longissimè recedentes.* Prou. 30.

Voluptatum amatores Deus videtur ignorare quasi ab hominum cœtu recedentes. *Tria sunt,* (fatur Deus ex ore sapientis,) *difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Prou. 30. Adolescentis via vel à Numine penitus quodammodo ignoratur. Quare precor? Certè ob adolescentiæ ad carnis voluptates affectionem. Galfridus apud Tilm. *Affectio desiderij sicut efficacior est ad salutem, sic ad perniciem vehementer comprobatur. Ipsa est via viri in adolescentia post concupiscentias suas euntis, via quam tenebrosa, & lubrica, peruersa, & auersa à Deo: nec modo aliena à sapientia, sed vsquequaque remota, & penitus ignorata.* Cur vel sapiens, siue Conditor penitus impudicum ignoret adulescentem? Profectò quia voluptatum amator quasi ad nihilum adductus è creatorarum cœtu ablegatus quodammodo obijcitur.

Galfrid.

28. *Grando luxuries quodammodo dissipat creaturam. O quam longè distat à communi Parente!* Exod. 9. Rupert.

Olim *percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris.* Exod. 9. Vbi quærit Rupertus, *Quæ sit hæc ira Dei, quæ per grandinem, & ignem designatur?* Et respondet, *Paulus exprimit terribiliter cum ait Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Grando hæc,* (addit,) *& ignis ille cunctam agri herbam percussit, & omne lignum Regionis contriuit. Quia videlicet hæc ignominia cunctam humanæ substantiæ pulchritudinem cœlesti ira in vasis ira infecta polluit, vniuersam rationalis creaturæ dignitatem omnino destruxit.* Si destruitur creatura, quid mirum creator ignoret, quod iam quodammodo decidit ab essentia?

Observat. III.

Ad illa verba:

Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.

Omnia bona dissipat adolescens studens voluptatibus.

Luxuria enim spiritualia, & temporaria bona comminuit.

29. Anselm.

ANselmus exposuit, *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose, Luxuria enim omnia bona consumit.* Vidisti luxuriei addictum prædiuitem? Certè inanem & vacuum omnibus bonis veracius reputabis. Nunquam enim luxuria non dilapidat hominum bona, spiritualibus, ac temporariis priuatus obijcitur, qui libidini præstat obsequium.

30. *Luxuria omnia spiritualia bona consumit.* Iob 31. Gregor.

Iob de luxuriæ flamma profatur, *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* cap. 31. sic exposuit Gregorius lib. 21. mor. cap. 9. *Beatus Iob crimen luxuriæ definiens, ait: Ignis est vsque ad perditionem deuorans, quia nimirum reatus huius facinoris non solum vsque ad inquinationem maculat, sed vsque ad perditionem vorat. Nulla ante omnipotentis Dei oculos iustitia, pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrentur immunda. Quid enim prodest, si piè quisquam necessitati proximi compatitur: quando simple in semetipso destruit habitationem Dei? Per Moysem dicitur, Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque ad inferni deorsum. Comedet terram & nascentia eius.* Deut. 32. *Ignis quippè terram, & eius nascentia comedit, cum libido carnem, atque per hanc omnia bona alia consumit.*

Deut. 32.

31. *Luxuria hominem denudat, dum omnibus bonis vacuum reddit.* Gen. 3.

Aperti sunt, (ait Moyses,) *oculi amborum. Cùmque cognouissent se esse nudos,* &c. Gen. 3. Oculos eorum aperiri, nihil aliud est, quam concupiscentia desœdari. Augustinus, *Quomodo oculi eorum aperti, nisi ad inuicem concupiscendum. Aperti igitur sunt oculi eorum ad intuendum, quod ante nunquam aduerterant, id est, cognouerunt se esse nudos.* Et quando non comitatur nuditas omnimoda voluptates? Aperti tibi oculi ad concupiscendum? Illicò te nudum omnibus bonis inuenieris.

32. *A luxuria omnis bonorum pulchritudo deuoratur, quia luxuria & indigentia pariter incedunt.* Gen. 41. Ambros.

Pharaonis somnium sic Iosephus interpretatus est. *Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt.* Gen. 41. Porro boues & spicæ ornatæ tanta pulchritudine à bobus & spicis tenuissimis absumptæ apparuere. Quænam animantia boues pingues deuorantia: quænam spicæ tenues fœcundissimas spicas absumentes? Respondet Ambrosius, *Et si non ego Ioseph, vaccas tamen illas pingues lasciuiam arbitror figurare. Posterioribus itaque priora consumpta sunt, & vbi erat ante vbertatis copia, ibi rerum omnium facta est indigentia.* Ideò postquam luxurie fœdatum adolescentem Dominus expressit, adnotauit egentem: *Facta est fames in Regione illa, & ipse cœpit egere.* Luc. 15.

33. *Luxuria est grando immiscens.* Exod. 9.

Rursum expendo grandinis Ægyptiacæ mysterium. *Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris.* Exod. 9. Assolent agricolæ

agricolæ profari de grandine, haud omnino annuæ abundantiæ exitialem existere, quia termino vno flagellato, alter alsolet incolumis remanere. Quænam igitur illa grando *cuncta, quæ fuerunt in agris* contundens? Crediderim esse luxuriei simulacrum, quæ quidem omnia, & supernaturalia, & temporaria bona dilapidat. Rupertus, *Quæ sit hæc ira Dei, quæ per grandinem designatur, Paulus exprimit, cum ait: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. Grando hæc cunctam agri herbam percussit, & omne lignum Regionis contriuit; quia hæc ignominia cunctam humanæ substantiæ pulchritudinem polluit, & destruit.*

Rupert.

34. *Amans totum se effundit, spiritualia, & temporaria bona dissipat.*

Ad filios Iacob Sichem amore saucius inclamitabat, *Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quæ petieritis: tantum date mihi puellam. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius. Nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur, impleret: amabat enim puellam valde.* Genes. 34. Miraris adolescentem prodigum, cum amore succenditur? Quónam modo poterat ille amare, & non vniuersam & temporalem, & spiritualem simul dissipare substantiam. Ait pulchrè D. Chrysostomus hom. 59. in Genes. *Placuit coram eis sermo, & non neglexit adimplere dicta adolescens. Deperibat enim puellam, hoc est, totum se cum puella amore effuderat.* Totum se effuderat? Nihil ex bonis spiritualibus, aut temporariis retinebat, qui luxuriæ litarat obsequium.

Gen. 34.

Chrysost.

35. *Lasciuia vrtica sunt bonorum semina suffocantes.*

Fatur Salomon, *Per agrum hominis pigri transiui: & ecce totum repleuerant vrticæ.* Prouerb. 24. Quidnam vrticæ bona semina suffocantes? Hugo Cardinalis. *Totum repleuerant vrticæ, id est, incentiua libidinis.* Germina ne spiritualia bona, terrena substantia? Omnia quidem voluptatum vrticæ suffocant. Cyprianus lib. de Pudicit. *Impudicitia obscœnum ludibrium reddit ministros suis, nec corporibus parcens, neque animis. Totum hominem suum sub triumphum libidinis facit.*

Cyprian.

36. *Luxuria est mors, hominem omnibus bonis internis, & externis priuans.*

Quid morte horribilius? Hæc & vita, & bonis hominem reddit inanem. Profectò luxuriei affectus apprimè morti comparatur, quæ & interois spiritualis vitæ bonis, & externis omninò priuat amantem. *Inueni*, (inquit expertus Salomon,) *amariorem morte mulierem.* Eccles. 7. Chaldæus, *Inueni ego rem, quæ amara est super hominem, magis quam amaritudo diei mortis.* Vndenam amara super hominem mors? Priuat vita, bonis expoliat externis. Proh libidinis substantiæ vtriusque dissipatio! Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 16. *Libido sibi non solum corpus totum, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vendicat, totumque commouet hominem.* Ideò Poëta amorem lethæum appellauit libro 2. de Remed.

Eccl. 7.

August.

Ouid.

Est illic lethæus Amor.

Angerianus tom. 1 cecinit,

Angerian.

Falitur esse Deum, qui magnum ducit Amorem,
Qui Deus est, bonus est, hic malus vsque necat.

Observat. IV.

Ad illa verba.

Ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.

Substantiam suam luxuriosus dissipat adolescens, id est, rationis vsum omninò deperdit.

Luxuria enim, voluntatis ebrietas, hominem præcipue erga parentes, ab humana ablegat vrbanitate, reddit rusticissimum.

37. *Luxuria efficit adolescentem erga parentes irreuerentiam gerere.*

QVænam sit dissipata substantia, Titus Bostr. exposuit, *Dissipauit substantiam, id est, intellectum rectum, veritatis notitiam, genitoris memoriam.* Lasciuus etenim adolescens à parente abstractus, vt libidini liberiùs præstaret obsequium, illicò ostendit extinctum esse intellectus luminare: *Dissipauit intellectum rectum.*

Titus

38. *Dissipauerat intellectum, qui genitoris ... fouebat memoriam.*

Quæsierim, num adolescens noster à Patre petierit benedictione donari priusquam è domo recessisset? *Congregatis*, (inquit Christus,) *omnibus peregre profectus est.* Luc. 15. Nec salutato hospite, perrexit. Ponderat Doctor quidam mysticus horribilem esse illam à Deo damnatorum separationem, cum in Regionem tam longinquam recessuri sunt non prius Patris benedictione accepta: *Discedite à me maledicti.* Matth. 25. Quam prudens Rebecca, quæ curauit filium Iacob in longinquam Regionem recedere, sed post acceptam quidem parentis benedictionem. Gen. 27. Hic autem non curauit vltima Patris optimi donari benedictione. O intellectus dissipatorem, qui genitoris memoriam contemsipsti! Quam pulchrè Episcopus Bostrensis, *Dissipauit intellectum, & genitoris memoriam.* Lasciuia hominis intellectum extinguens efficit eum rusticitate adeò laborantem, vt naturæ iura contemnat, nec patris benedictione munitus recedere satagat.

Luc. 15.

Matth. 25.

Gen. 27.

Titus.

39. *Vt reuerentia erga temporarios parentes adstruatur, præcipitur a luxuria abstinentia.*

Lege Deus interdixit idolorum superstitiosam adorationem, reuerentia autem in parentes commendatur. Mox adiicitur, *Non mœchaberis.* Exod. 20. Cur reuerentia in parentes & castitas simul incedere exponuntur? Crediderim, quia lasciuiæ studens non potest reuerentiæ paternæ iura seruare. Luxuria enim intellectum obscurans ingerit parentum obliuionem: *Dissipauit intellectum, & genitoris memoriam.* Pulchrè Tertullianus lib. de Pudic. *Post commendatam in parentes secundam à Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis, muniendisque substruxit præceptum, quam, Non mœchaberis.*

Exod. 20.

Tertull.

40. *Vt reuerentia erga Patrem cœlestem non contemnatur indicitur castitatis lex.*

Quid mirum legem vereri, lasciuos erga parentes fore eos inurbanos, qui vel Deum cœlestem Patrem omnino contemnunt. In decalogo præcepta primæ tabulæ tria ad Dei Parentis maximi honorem pertinere, quis abneget? *Diliges Dominum Deum tuum. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento, vt diem Sabbati sanctifices.* Secunda autem in tabula mox indicitur, *Non mœchaberis.* Quod quidem

præceptum

Tertull.

præceptum appositum fuisse Tertullianus citatus asseruit ad primorum tabulæ prioris præceptorum custodiam. Nisi enim quis abstineat à libidine, erga cœlestem Patrem sese inorbanum ostentabit. *Post interdictam*, (ait ille,) *alienorum Deorum superstitionem, ipsorúmque idolorum fabricationem, post commendatam Sabbati venerationem: nullum aliud in talibus titulis fornandis, monendisque substruxit præceptum, quàm, Non mœchaberis.* Quid mirum temporales contemnat parentes, qui Deum cœlestem Patrem minimè reueretur?

41. *Timet Iob, ne filij lasciuia mandata efficiantur, & consequenter in Deum Parentem impij existant.* Iob 1. Origen.

Iob olim *consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* cap. 1. Vbi Origenes lib. 1. in Iob. *Sollicitus, atque metuens dixit: Ne fortè filij mei in corde suo mali aliquid cogitauerint aduersus Deum Patrem: ne fortè de impudicitia cogitauerint, ac fortè in impietatem declinauerint.* Ex epulo filij mei fortè in impudicas cogitationes prolabentes, Deum verum Patrem contemnent. Lasciuia enim rusticitatè, erga parentes præcipuè, causat.

42. *Cham, qui adusque patris reuerentiam deliquit, comperitur, esse intemperantis, & veneri addictum.*

Cham patrem denudauit, dum fratribus aperuit, qui quidem ex reuerentia in parentem *pallium imposuerunt humeris suis.* Gen. 9. Miror filij in parentem irreuerentiam, tantæ stoliditatis indicem. Certè dum virum video paterna iura frangentem, dubitaui, num lasciuiæ afficeretur ægritudine? Nullus enim posset in parentem tam inurbanus ostentari, nisi lasciuiæ stoliditate brutesceret. Audi Moysem. *Porrò Cham ipse est pater Chanaam.* Gen. 9. Vbi Chrysostomus admodum pulchrè, *Dicitur de Cham, quod sit pater Chanaam; ad declarandam illius intemperantiæ nimietatem, quod nec calamitatis diluuij magnitudo illud coërcere potuit: nec tanta in Arca angustia irrefrænatam illius concupiscentiam sedauit. Sed quamuis senior frater nondum filios procreauerat, hic incontinentia deditus, rei venereæ addictus fuit.* Addit opportunè, *Iam ab initio mentis suæ malitiam monstrans. Vt cum postea viderimus, magna ingratitudine erga parentem vti, scire possimus, quod iam olim talis fuerit.* Lasciuus erat, consequenter patris iura contempsit.

Gen. 9. Chrysost.

SECTIO II.

Adolescentis Fames.

TEXTVS.

VERS. 14. ET postquam omnia consummasset, facta est fames valida in Regione illa, & ipse cœpit egere. 15. Et abiit, & adhæsit, vni ciuium Regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant; & nemo illi dabat.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De fame oborta.

1. *De valida fame.* Barrad.

FACTA *est fames valida in Regione illa.*] Prospero adhuc nauigans vento in Regionem longinquam Prodigus aduenit. *Ventus tam a puppi mutatur in proram*, (vti Barradius,) *filiúmque mutata velificatione ex terra longinqua reducit ad Patrem.* Dissipato patrimonio, insipiens adolescens incidit in inopiam. Premebat fames valida Regionem illam, ipsum quoque oppressit pecuniis vacuum; quamobrem Dominum quæsiuit, cui seruiens aleretur.

2. *Quenam illa fames?* Euthym. Ambros. Hieron. Theophyl. August. Beda.

Quidnam illa innuatur in fame? Euthymius ait, *Vbi diuini timoris frumentum non seritur, ibi fames valida, non panis, sed virtutis. Vbi sterilitas omnis mali, ibi sterilitas est omnis boni.* Ambrosius, *Facta est fames*, inquit, *non epularum, sed bonorum operum, atque virtutum.* Hieronymus epist. ad Damas. *Cœpit egere virtutibus, derelicto fonte virtutum.* Theophylactus autem famem verbi Dei interpretatus, *Fames magna est facta, non fames panis, sed fames audiendi verbum Dei.* Et Augustinus lib. de qq. Euang. q. 33. *Fames est intelligentia verbi veritatis.* Beda hæresit.

3. *Auctoris interpretatio.*

Ex Patrum ergo meditatione sic locum expendo: Oborta grauis, seu fortis, (Græcè,) fames omnium virtutum. In Regione enim libidinis, luxus, & voluptatis, non est virtuti locus. Denique miser adolescens cœpit egere verbi Dei admonitione, concione, suasione, vt perditos mores corrigeret; sed magna erat verbi Dei fames. Vnde & omni virtute, & verbo Dei carens, ad pascendos porcos emittitur.

§. II.

De Prodigi seruitute.

4. *Quisnam ille ciuis?* Ambros. & alij.

ADhæsit vni ciuium Regionis illius.] Quisnam ille cuius seruitio addictus est Prodigus? Ambrosius, Augustinus, Beda, Hieronymus, & alij Cacodæmonem esse asseruere. Peccator enim diaboli est seruus, cuius obtemperat voluntati. *Ciuis iste*, (ait Ambrosius,) *Princeps huius mundi.* Strabus, *Ciuis iste est concupiscentiis terrenis Præpositus Princeps mundi.*

5. *Pascere porcos.*

Qui misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.] Dignum amatorum voluptatis ministerium. Pascit diaboli seruus appetitus turpes,

pes, qui libidinis, exterorúmque vitiorum cœno oblectantur. Augustinus, *Adhæsit alicui aereo Principi ad militiam diaboli pertinenti, cuius villa est modus potestatis ipsius: porci immundi spiritus, qui sub ipso sunt.* Beda, *In villam mitti est substantia mundialis cupiditate subiugari.*

August.

6\. *Auctoris sententia.* Titus. Theophyl.

Aptius dixeris, pauisse porcos, id est, improbos suo exemplo, opere, ac operibus pabula præparasse. Titus Bostrens. *In turpitudinis cœno vltro citróque aliquantisper volutatus, merito inter porcos censetur. Tandem in eiusmodi vita obscœnitate diu, multúmque perstans, aliis quoque perditionis forma efficitur: lasciuia, luxuriaque dogmatis certa quadam ratione illos pascens, & nutriens.* Et Theophylactus, *Qui proficit, & in peccatis fit potens, pascit porcos, hoc est, & alios docet malitiam, & lutosam operationem.*

7\. *Alia expositio accommodatior.* Hieron. Beda.

Haud displicet aliorum expositio conuenientius porcorum significationi. Pascit porcos, id est, dæmones, qui crimina perpetrat, dæmonum enim cibus peccata. Hieronymus epist. ad Damas. *Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & vniuersa vitia.* Beda, *Porcos pascere, est ea, quibus immundi spiritus gaudent, operari.* Ex Augustino accepit.

§. III.

De siliquis.

8\. *De siliquis quomodo cuperet impleri.* Plutarch.

ET *cupiebat implere ventrem de siliquis.*] Ipso miser porcorum cibo implere cupiebat, sed non poterat, quia nemo ei exhibebat. Cur non rapit, si *fames*, (auctore Plutarcho,) *rapina magistra*? Ne, si resciret Dominus porcos suo priuari cibo, famulum domo pelleret fame diriori periturum. Sub potestate alterius, (anni iniquitas exigebat,) erant siliquæ, qui certo diei tempore porcis præbebat cibum. Haud poterat Prodigus abripere, vt ventrem impleret.

9\. *De siliquarum natura.* Ambros. Plin. Matthiol. Plin.

Rogitas, quid siliquæ? Propriæ folliculos leguminum, nempè fabæ, cicer, lentes. Ambrosius in Lucam. *Qui aptior huiusmodi hominibus cibus, quam is, qui siliqua modo intus inanis, foris mollis est; quo corpus non reficitur, sed impletur: vt sit magis oneri, quam vsui* Plinius lib. 18. cap. 12. *Siliqua fabarum, caulésque gratissimo sunt pabulo pecori.* Porrò aliæ sunt siliquæ, de quibus Matthiolus in Dioscor. lib. 1. cap. 30. & ex Græco vocabulo *κερατία* *algarrobas* appellat. Vnde Plinius lib. 15. cap. 24. prædulces vocitat siliquas, in quibus cortex ipse manditur. *Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine.* Sunt hæ hominum cibus non iniucundus. Horatius lib. 2. epist. 1.

Horat.

——— *Viuit siliquis, & pane secundo.*

De siliquis dulcibus locum intelligit Titus Bostr. *Siliquarum gustus suauis est, & tamen adiunctam habet nonnullam asperitatem.* Theophylactus, *Assimilatur siliquis peccatum, dulcedinem habens, & asperitatem: delectat enim ad tempus, cruciat perpetuo.*

Titus. Theophyl.

10\. *Expositio Auctoris.* Barrad.

Igitur vel de his dulcibus siliquis, vel de leguminum folliculis locum explicari posse censuerim. Nonnihil tamen difficultatis vtraque inuoluit opinio. Quis de leguminum folliculis cupiat ventrem implere? Certè homini valida fame oppresso cibus ille iucundus. At quis porcis hominum dulcem alimoniam exhibeat? Porrò *diues ille ciuis*, (ait Barradius,) *solitus, esca illa sues alere.* Aptius responderis, siliquis illis dulcibus Regionem aliquam vel apud nostrates adeò abundare, vt & boum & porcorum sint alimentum.

11\. *De siliquarum significatione.* Titus. Theophyl. August. Beda.

De significatione siliquarum quid? Titus, & Theophylactus, *Siliquæ peccata sunt cibus dæmonum.* Euthymius asserit *voluptates.* Augustinus, *Siliquæ sæculares sunt doctrinæ, sterili vanitate resonantes, de quibus laudes idolorum, fabularúmque ad deos gentium pertinentium vario sermone, atque carminibus percrepant, quibus dæmonia delectantur.* Beda, *Sunt doctrina de falsis diis siliqua, id est, cibus porcorum, videlicet Ethnicorum, & dæmonum.* Subscribo.

12\. *Quomodo, nemo illi dabat: porcorũ siliquas?* Theoph. Euthym. August. Barrad.

Obiicis illud: *Et nemo illi dabat.*] Si siliquæ peccata significant, adolescens peccatis erat refertus: cur ergò dicitur, neminem ei exhibuisse? Theophylactus exponit, *Cupit miserabilis ille saturari peccato, & nemo ei dat saturari. Assueto enim malis nemo dat satietatem.* Et Euthymius, *Nullus illi dabat ad satietatem.* Huiusmodi enim dæmones neminem sinunt saturari voluptatibus, ne citius à peccato quiescat. Semper enim excitant appetitum. At Augustinus, *Nemo illi dabat, quia in sæcularibus illis doctrinis Ethnicorum solidum aliquid, & rectum, quod ad beatam vitam pertineret, inuenire volebat, & non poterat inuenire.* Non displicet Barradij interpretatio. Nemo illi dabat, quia pecuniis carebat, qua huiusmodi porcorum voluptates comparantur

IN

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM,

EX ADOLESCENTIS FAME.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Et postquam omnia consumasset, facta est fames valida in Regione illa, & ipse cœpit egere.

In Regione deliciarum, in peccatorum terra valida fames adsit necesse est.

Fame enim validiori premitur, afficitur viliori inopia, qui ab egestatem vitandam, diabolo adhærens, voluptatis illectamenta ministrat, aut alio crimine defœdatur.

13. Anselm.

PATRES Regionis illius sic famem, penuriámque rerum descripsere. Anselmus, *Omnis locus, absente Patre Deo, penuria est. Cœpit egere.* Ambrosius, *Meritò planè; Thesauros enim sapientiæ, & scientiæ Dei dereliquit. Qui recedit à Deo esurit; quia non in solo pane viuit homo. Qui recedit à thesauro, eget. Eget etiam adolescens iste, quia nihil prodiga satis est voluntati.* Strabus, *Voluptas semper habet famem.*

Ambros.

Strab.

14. *Fœminæ impudicæ ex egestate, & raptores, aut quilibet delinquentes ex inopia; comedentes esurient, diuitias laborant vacuitate.*

Habet famem voluptas? Ergo stultam se virginem ostendit, quæ, vt possit inopiæ pudorem expellere, non dubitat pudicitiæ dissipare thesaurum. Ergo stultus obicitur, qui vitandæ egestatis affectu aliquod committit piaculũ. Quisnam diues è crimine? An mulieres lasciuiæ illectamenta ministrantes? An raptores, aut quicumque ad acquirendam inopiæ subleuationem, criminibus non verentur subiacere? Certè nullus ex crimine satur bonis obicitur. Contemplamini vaccas illas à Pharaone aspectatas in somnio. *Vidit Pharao somnium. Putabat se stare super flumium, de quo ascendebant septem boues pulchra, & crassa nimis: & pascebantur in locis palustribus. Alia quoque septem emergebant de flumine fœda, confectaque macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus.* Gen. 41. Vbi Ambrosius lib. de Ioseph, cap. 7. *Et si non ego Ioseph, clamabam tamen, vaccas illas pingues non solum lasciuiam, sed etiam incuriam diuina significare reuerentia*, Vaccis itaque pinguibus innouuntur aut lasciuæ fœminæ, aut quilibet peccatores irreuerentes quidem in Patrem cœlestem, instar Prodigi adolescentis. Porrò vaccæ macie confectæ famis validæ, ex eodem Doctore, earum simulacrum. Addit Moyses, *Deuorauerúntque*, (vaccæ fœdæ & marcidæ,) *eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat.* Ibid. Vidisti miram mulierculæ speciem ex mondo muliebri ex libidine comparato? Vidisti raptores, aut peccatores alios ex iniquitate ditescentes mira corporis habitudine? Dùm ipsi ripæ gramine saturantur, eisdem graminibus fames illicò absumptura eorum satietatem, pascitur. *Ideo*, (subdit Doctor,) *somnium illud redundantia sæcularis perpetuum esse non posse: sed fore tempus, quo his fames dura succederet.* Preme rò, *somnium redundantia sæcularis.* Illa quidem species diuitiarum aut fœminæ impudicæ, aut cuiusuis peccatoris ex delicto crescentis, somnij est phantasma, vnde tam facilè soolat, quam non difficilè quis excitatur à somno.

Gen. 41.
Ambros.

15. *Quæ curat ex libidine diuitias comparare, qui studet ex crimine ditescere, fame pernas necesse est.*

De impudica fœmina dixit Oseas. *Fornicata est mater eorum; confusa est, quæ concepit eos; quia dixit, Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum.* cap. 2. Cur ô misera post amatores properas? Fame pressa, illectamenta libidinis ministro, vt ab amatoribus accipiam panem, & aquam. O ieiunium delinquentis. Addunt *lanam meam, & linum meum.* Tuum est, quia pretium libidinis. Attamen verius reputabis alienum; quia quæ crimine acquiruntur, minimè conseruantur. Audi D. Cyrillum lib. 1. orat. 3. ad Isai. cap. 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem, &c. Qui seminat in carne, vt fructus panis colligat, ex carne metet corruptionem. Carnalis voluptatis fructus erit interitus, & tanta erit siti, & inedia pereuntium multitudo, vt infernus lascinia quodammodo sit exultaturus.* An non exultabit infernus, dum te videt fame ac siti pereuntem, quæ ex libidine, qui ex rapina, aut iniquitate expetisti inopiam propellere, famem propulsare?

Ose 2.

Cyrill.

16. *Quæ curat ex adulterio accipere subsidium inopia, qui ex furto intendit, aut ex homicidio ditescere, accipit pecuniam diaboli, quæ nihil aliud est, quam peccatum commissum.*

Nullus delinquit, vt pecuniam, aut pretium aliquod accipiat ex crimine, qui non vacuum se remanere conqueratur. Fatur Isaias, *Gratis venundati estis*, cap. 52. Quonam modo gratis? Putabas ô misera te ex adulterio aut impudicitia acceptutam paupertatis subsidium, quod ditescentibus verbis promittebat adulter. Existimabas ô stulte ex homicidio patrato, ex furtóque acquisito bonis opplendum. Gratis quidem venundati estis, quia pretium acceptum ipsa fuit iniquitas. Pulchrè Origenes hom. 6. in Exod. *Fecisti homicidium, diaboli pecuniam suscepisti; homicidium*

Isa 52.
Origen.

diaboli pecunia est; diaboli enim in eo imago est, & superscriptio. Commisisti adulterium? Accepisti diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia; hæc omnia diaboli census est, & diaboli thesaurus; talis enim pecunia de eius moneta procedit. Itaque adultera, homicida, raptor, falsum asserens testimonium, & similes, qui delinquunt vt accipiant paupertatis subsidium, pecunia diaboli munerantur. Pecunia diaboli ipsum est adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium. Nihil aliud accipiunt? Ipsa iniquitas pretium iniquitatis. Grauiter deliquisti, animo magis & corpore pauper. Alibi plura.

Observat. II.

Ad illa verba:

Facta est fames valida in Regione illa.

In Regione illa, id est, libidinis in plaga fames erat: non in Regione hac, vbi senior filius Patris subditur voluntati.

Ostendo, abundantia potiri fœminas, (specialiter,) & viros, qui non audent peccato subiacere, vt acquirant temporaria subsidia.

17. SI voluptas, (vt ex Strabo vidimus,) *Semper habet famem*: Si fœminæ, aut viri, qui curant ex crimine subsidia temporalia acquirere, fame pereunt: certè quæ non audet delinquere ad paupertatis subleuationem, qui contemnit diuitias, ne delinquere cogatur in pretium, nunquam fame consumitur. Testor filium seniorem qui Patris nunquam non voluntati obsequutus est. Fruitur ille domus paternæ abundantia, vbi vel mercenarij panibus abundant.

18. *Ruth pulchra, & paupercula spicas legit reliquas, ne delinquat, & à Booz ducitur in castimonia præmium. Ruth 2. Petr. Dam.*

Ad mentem reuoca Ruth illam Moabitidem nudam; paupercul am, pulchram; sed pudicam. An conauit pulchra fœmina ex libidine paupertatis incommoda subleuare? Absit. Spicas reliquas curat ad fasciculos reducere, vt ex tenui laboris victu acciperet alimoniam. O diuitem pauperculam, quam Deus ad Booz coniugium adduxit, vt Regum parens efficeretur: fœminisque castitatis muneratæ à Domino exemplum reliquisset! Petrus Damianus lib. 8. epist. 14. *Numquid paupercula Moabitis Ruth exilium, calamitates, fames, sitim, laborum intolerabilium patientiam ignoratis? Numquid vobis pro pudicissima viduitatis aliquandiu honestate seruanda, ad tantam illam deuenisse penuriam, vt residet spicas post metentium terga colligeret: & virga cedens non dicam virili, sed humano destituta prorsus auxilio, ipsa, quod collegeras, triturares. Nimirum ex qua tantorum Regum soboles erat processura, nunquam vile mancipium serualibus operibus videbatur addicta. Inter tot autem pressuras, atque angustias coarctata virtutes animi non deseruit, & inopis quidem vitæ pondus, quo premebatur, æquanimiter tulit; ab intima verò nobilitatis culmine degenerare indignum duxit.* Et quonam modo ad Regum maternitatem Boozi vxor assumpta esset, si ex crimine vilem comparare sibi curasset alimoniam.

19. *Sarephtana vidua in Regione famis non egebat, quia ex crimine non quærebat subsidia, sed virtutibus domi vacabat. 3. Reg. 17.*

Quid de altera Sarephtana vidua attexam? Dum fame perit orbis, illa si non spicas, duo ligna colligebat. Prophetæ postulanti panis subsidium, respondit: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina in hydria. En colligo duo ligna,* &c. 3. Reg. 17. Tres anni & sex menses præterierant, in quibus multis diuitibus fame confectis, ipsa & in hydria farinam, & in lecyto oleum habebat. Vndénam viduæ in tanta Regionis fame, abundantia oborta? Certè quia puritatis verè diues, virtutum thesauro potiebatur, nec ex crimine curabat inopiam subleuare. Ambrosius lib. de Vidu. *Cum in omni terra esset fames maxima, Viduæ tamen Deo cura non defuit, atque ad alendam eam Propheta directus est. Quæ enim talis, ad quam tantus Propheta, qui ad cælum raptus est, dirigatur, eo præsertim tempore, quo clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex cum facta esset fames magna in omni terra? Vbique ergo fames erat, & adhuc tamen hæc vidua non egebat.* Profectò cum audita est inopiæ vox, *Quia non habeo panem*, & panem habet ad Prophetæ subsidium, & interminabili annona farinæ & olei donatur; quia quando non habebat *nisi quantum pugillus capere poterat farina in hydria*, & in lecytho parum olei, non diuertit ad virorum domos vt victum ex crimine compararet.

20. *Noemi pulchra fœmina non defecit annona, quia pudica, & sociis Deo semper hæsit. Ruth. 1.*

Facta est olim fames in terra, *abiitque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur in Regione Moabitide cum vxore sua, & duobus liberis, ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi.* Ruth. 1. Noëmi, quæ & nomine, & forma *pulchra* non quæritat in Bethlehem ex crimine subsidia paupertatis: sed cedens fami, peregrinationis labori se addicit, diues planè virtutibus, vt profatur Ambrosius. Adnoto Dei erga fœminam pudicissimam, specialissimam prouidentiam. Apud Moab filium vtrumque dat coniugio, orbatur marito, & filiis; sed vetula donatur à Domino nuru Ruth, quæ spicilegium faciens socrum alere curat. O vidua prædiues! nunquam eges, quia semper virtuti hærescere curasti. Nec enim Deus fœminas puritatis cultrices in adolescentia, permittit egestate confici in senectute. Ambrosius citatus, *Videtis igitur sancta fœmina, quam fœcunda sit vidua prole virtutum, meritorúmque suorum sobole, quæ perire non possit. Bona igitur vidua pulchra Noemi egere non nouit. Et si postea fessa fuerit ætatis, & si supremæ paupertatis: eruditionis tamen suæ,* (id est, educationis, cum adolescentiæ degeret in flore,) *nouit habere mercedem.* Vetulæ etenim Deus abundantiam præbet, quia puella ex libidine minimè victitauit. *Sic illa Noemi pulchra duobus destituta filiis, & marito, quæ fructus fœcunditatis amiserat, pietatis emolumentum non perdidit. Nam & solatium*

tium mæroris, & subsidium paupertatis inuenit. Nunquam deficit annona vetulæ, cui uiuendi castitas non defecit.

21. *Familia Isaaci non eget in Regione famis, quia pulchra omnium pudicissima ab inis domos Principum lasciuorum* Gen. 26.

Quam abundans iustorum domus, qui Deo curant hærescere, nec delicta expetunt subsidia comparare. Castitas vxoris maritum efficit in Regione famis felicissimum. *Orta fame super terram, abiit Isaac ad Abimelech Regem Palestinorum in Gerara. Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroque tecum.* Gen. 26. Cur ô Domine Isaacum, & Rebeccam non permittis à famis Regione in abundantiæ Regna properare? Vis ne tuos inopia consumi? Chrysostomus in Cat. Lippom. (Chrysost.) *Ne putes iustus, quod hoc imperet Deus, quasi volens eos famis angustiam experiri.* Quomodo non experirentur in Regione famis? O marite pulcherrimæ vxoris, in Gerara vbi Reges castitati vxorum insidias assolent collocare, abundantia non est, sed vera fames. At in famis Regione vbi puritas vxoris haud periculo subiacet, verè abundantia reperitur. *Ego ero tecum. Ne sis anxius,* (addit Chrysostomus,) *neque curam habe, ego enim ero tecum. Igitur eum suppeditatorem bonorum omnium habeas, ne sis sollicitus.* O domus fœlissima, vbi coniux casta marito pauperi exhibet abundantiam!

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Et adhæsit vni ciuium Regionis illius, qui misit illum in villam suam.

Miseram Prodigi seruitutem expendo.

Peccatoris equidem seruientis diabolo statum infœlicissimum expono.

22. Chrysol.

PRæmittam Chrysologum serm. 2. qui premens illud, *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis,* fatur: *Ecce potestatis suæ filius quo deuenit. Voluptas luxuria, adolescentiæ libertas, ecce filium quo promouit! Hoc petit, quia qui penes extraneum seruam senserat libertatem: penes Patrem credidit sibi liberam futuram seruitutem.* O libertatem seruientem!

23. *Venundatus est Prodigus peccato diabolo, vt seruiat.* Isa. 50. Hieron. Rom. 4.

Isaias proclamat, *Ecce peccatis vestris venundati estis,* cap. 50. Dissipans Prodigus substantiam viuendo luxuriosè venundatus est diabolo, cui seruiret. Hieronymus, *Quod peccatis suis vnusquisque venundatur, dum proprio arbitrio derelicti nostra voluntate ad malum ducimur, & Paulus Apostolus docet Rom. 4. Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, qui enim facit peccatum, seruus est. Et quomodo auari, atque raptores serui sunt mammonæ, sic omne peccatum dominatur peccatoribus.*

24. Ideò de Rege Achab dicitur, *Venundatus est,* *vt faceret malum in conspectu Domini,* 3. Reg. 21. (*Rex venundatus est, vt seruiat dum delinquit.* 3 Reg. 21. August.) Quid Regi cum venditione sui? Profectò peccare non potuit, nisi simul se diabolo venderet, miseræque addiceret seruituti. Augustinus in exposit. epist. ad Rom. num. 42. *Quisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.*

25. *Acquiruit nos Deus creaturas suas, quia diabolo nos per culpā seruos addiximus.* Deut. 32. Origen.

Cecinit Diuus, *Non nè hic ipse Deus tuus, qui fecit te, & creauit te, & acquisiuit te?* Deut. 32. Pugnare videntur verba. *Creauit te, & acquisiuit te.* Si creauit, suus eras; quomodo ergo acquisiuit quod erat suum? Certè quia peccator sese tradidit diabolo, delinquendo, mancipium. *Adhæsit* adeò *vni ciuium* tartareæ Regionis, vt quodammodo ab ipso creatore recederet. Pulchrè Origenes hom. 6. in Exod. *Videtur vnusquisque illud acquirere, quod non fuit suum. Inde & hæretici dicunt de Saluatore, quia non erant sui, quos acquisiuit; dato enim pretio mercatus est homines, quos creator fecit: & certum est, aiunt, vnumquemque non illud emere, quod suum est.* Apostolus, (fateor,) ait, *Pretio enim empti estis,* 1. Cor. 6. (1. Cor. 6.) Sed Prophetam audio clamantem, *Peccatis vestris venundati estis.* Isa. 50. (Isa 50.) Quid igitur. *Vides ergo,* (addit Doctor,) (Origen.) *quia Dei quidem creatura sumus omnes, vnusquisque vero peccatis suis venundatur, & pro iniquitatibus suis à proprio creatore discedit. Dei igitur sumus secundum quod ab eo creati sumus: effecti vero sumus serui diaboli secundum quod peccatis nostris venundati sumus. Veniens autem Christus redemit nos, cum seruiremus illi Domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus. Et ita videtur tanquam suos recepisse, quos creauerat; tanquam alienos autem acquisiisse, qui alienum sibi Dominum siue errando, siue peccando quæsierant.*

26. *Quam miserabilis peccati seruitus.* Ioan. 8. Chrysost. August.

Ait Dominus, *Omnis, qui peccat, seruus est peccati.* Ioan. 8. id est, per peccatum seruitutem incurrit. D. Chrysostomus hom. 29. in Gen. *Peccatum vbi intrauit, libertatem perdidit, & corrupit libertatem natura datam, seruitutemque introduxit.* Vberius Augustinus tract. 41. in Ioan. Dominicam expendit sententiam. *Quid dicit Dominus? Amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum seruus est peccati. O miserabilis seruitus! Plerumque homines cum dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes Dominum non habere: sed saltem mutare. Seruitus ex peccato quid faciet? Dum seruus hominis aliquando sui Domini duris imperiis fatigatur, requiescit. Seruitus peccati quo fugit? Secum se trahit, quocumque fugerit. Fecit peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem, voluptas transit, peccatum manet: præterit, quod delectabat, remansit, quod pungat. Mala seruitus.*

27. *Deus gloria mea, exaltans me à tartareo Domina.* Psalm. 3. August.

Se liberum à peccati seruitute videns Dauid, proclamat: *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Psalm. 3. Exaltas caput, cum à seruitute premente liberas. Augustinus ad Psalm. 7. *Omnis qui peccat seruus est. Erit ergo iniquitas eius super ipsum, cum ipse iniquitati suæ subdetur. Ipse ergo inferior erit, vt eius iniquitas sit superior.* Exaltas igitur *caput meum,* cum à seruitute peccati liberas. *O gloria mea,* qui me à tartareo Principe liberasti!

28. *Ei, a quo sit victus, seruit, dum delinquit.* 2 Petr. 2. August.

Paulus contestatur, *A quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* 2. Pet. 2. Explicat Augustinus lib. 4. de ciuit. cap. 3. *Bonus etiam si*

seruit, liber est. Malus autem, etiamsi regnet, seruus est. Sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum. Qua ratione Petrus dixit: A quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Vel Diogenes Cynic. ratione ducente, Alexandro se totius orbis Dominum compellanti, respondit: *Nequaquam es Dominus, sed seruorum meorum seruus: cum vitiis, quibus ego impero, tu seruis.*

Diogen.

29. *Quotidie aufert Deus à nobis opprobrium captiuitatis, dum peccata remittit.* Iosué 9. Origen.

Ad Iosue Dominus, *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis.* cap. 9. Quomodo hodie abstulerit Ægypti seruitutem? Quia quotidie Deus peccata dimittit, & consequenter à seruitute liberat peccatorem. Origenes fatur hom. in IESVM Naue, postquam ex Paulo Tit. 3. varia peccatorum genera enumerasset, subiungit: *Non tibi videntur hæc opprobria esse, & opprobria Ægypti? Per secundam circumcisionem ablata sunt nobis opprobria Ægypti, & purgata sunt vitia peccatorum. Si post remissionem peccatorum vltra non pecces, verè ablatum est à te opprobrium Ægypti. Si verò iterum pecces, iterum in te vetera resoluuntur opprobria.*

30. *De seruitutis miseria.* Ierem. 2. Brixian. Philo.

Propheta lacrymatur, *Numquid seruus est Israel, aut vernaculus?* Ierem. 2. Sic Brixianus exponit: *Non erubescis, tu, qui filius es, ob peccata tua seruilem in modum tractari?* Philo autem de Conf. linguar. *Nihil potius conuenit peccato, quam ignominia* seruitutis.

31. *De Prodigi seruitute horribili satis.* Chrysol.

Vt autem seruitutis huiusce miseriam perpendas, ponderat Chrysologus serm. 1. Prodigo addictas calamitates, cum recedens à Patre diabolo adhæsit. *Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloria, nihil reliquit. Ciuem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum, locupletem, liberum mutauit in seruum, iunxit porcis à Patre pissimo quem seiunxit, vt seruiret cœnoso pecori, qui piętati sancta parere contempsit. Abiit longè plus mente, quam loco; vt dato, non accepto pretio, misera se venderet seruituti. Misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Sic inuenit, qui se negat Patri, qui se committit extraneo. Deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur seruituti, porcorum pascua lutulenta percurrit: vt sentiat, quam miserum sit, amarum quam sit, quietis paternæ beatitudinem perdidisse.* Quid miserius?

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant.

Miser Prodigus post piacula aptè cupit brutalissimorum pecorum epulo satiari.

Quia peccator exuit formam hominis, & brutalem, (ex luxuria præcipuè,) init conditionem.

32. Chrysost.

FAtur D. Chrysostomus, *Siliqua sunt carnalium delectationum illecebra.* Cur cupiebat miserrimus ille saturari de siliquis, porcorum alimonia? Certè quia porcus effectus affectu libidinis, congruum sibi alimentum desiderabat. Proprium est piaculo graui cuilibet, speciatim libidinis homines in bruta commutare.

33. *Adulteræ documentū hordeum iumentorum.* Oseæ 3.

Fatur Dominus ad Oseam, *Dilige mulierem dilectam amico, & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.* cap. 3. Cur adulteræ reuertendi ad verum sponsum hordeum præparatur alimentum? Vt innotescat omnibus ex alimento, brutalis prius moribus laborasse. R. Salomon ad cap. 3. Num. *Hordeum est pabulum iumentorum, quibus adultera comparatur, dum contra legem Dei deliquit.* Procopius, *Sanè arguit peccatorum vitam, iumentorum similem, in qua saporis, & delectationis nihil sit.*

R. Salom. Procop.

34. *Adamo post concupiscentiam indicitur mandere herbas, pabulum iumentorum.* Gen. 3. Philo.

Adamo, cuius oculi aperti sunt ad concupiscentiam, (vti supra vidimus,) Dominus indicit: *Comedet herbam terræ.* Gen. 3. An brutus Adamus, quia ei gramina obiiciuntur in pabulum? Si ex concupiscentia quodammodo descendit in brutum, quid mirum ad brutorum pascua immitti? Philo lib. 2. Allegor. *Herbam vocat panem, per synonymiam rem eandem. Herba brutis cibus est.* Ad herbas itaque agri primum Deus remisit peccatorem, ostendens, illum à ratione ex piaculo cecidisse.

35. *In gratia homo ex arboribus, extollens caput comedit, post concupiscentiam colla ad gramina demittit velut iumentū effectus.* Gen. 2. Gen. 3. Nouat.

Hominibus in gratia existentibus Deus copiam facit edendi ex arborum fructibus: *Ex omni ligno comede.* Gen. 2. At è gratia corruentibus ad terræ herbas remittit. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. Adnota ciborum differentiam. Vt homo ex arboribus poma legat, extollit, & ad superos lumina erigit: vt autem in sudore pane vescatur, necessarium est ei brutorum in morem collum submittere. Nonne vides ex concupiscentiæ affectu homines brutalitate laborasse? Nouatianus epist. de cibis Iudai. quæritat, *Cur Deus in statu innocentia voluerit hominem vesci de arborum fructibus: at post peccatum fructus terra concesserit?* Pulchrè respondet, *Nam à pomi vsu ad fruges contulit culpa conditionem conscientia, ipso situ corporis approbante. Quia & innocentia decerpturos alimenta ex arboribus adhuc sibi bene conscios homines ad superna subrexit. Et commissum delictum ad conquirenda frumenta homines terra, soloque deiecit.*

36. *Homini comedenti iuga boum, ion sensu brutales effecti datur mola asinaria.* Matth. 18. Bernard.

Huc reuoco & molam asinariam, de qua Dominus Matth. 18. *Vt suspendatur mola asinaria:* & iuga boum quinque, quæ miser emerat inuitatus. Brutescenti homini asinaria mola addicitur, & sensus brutalitate laborantes boum iugis expenduntur. Bernardus ad illud: *Ecce nos reliquimus omnia. Si deliberas, (inquit,) sequi eum, qui exinaniuit propter te semetipsum, pone grauissimam sarcinam, pone molam asinariam: pone illa quinque non hominum, sed boum iuga, qua tibi insipienter emisti. An verò comparatum iumentis esse quis dubitet hominem, qui sibi iuga emerit iumentorum? Nisi quod eo sanè ipsis quoque iumentis conuincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur: quod iuga necessitatis eorum propria ipse subeat voluntate.*

37. *Hominis conuersio ab arboribus in gramina.*

Adhuc premo illam hominum ab arboribus ad gramina conuersionem, quam expetebat Prodigus à cibis paternæ mensæ ad porcorum declinans alimenta. An non innuitur, voluptatibus illum conuersum in suem?

Nyssen. Ʒ suem? Nyssenus lib. de Virg. cap. 5. *Vt porcorum oculi natura in terram conuersi, rerum cœlestium non habent aspectum: Sic animus corporis luxu praditus, cum ad ea, quæ sunt pecudum inclinatus sit: non cælum amplius, neque reliquarum rerum conuenientiam, & decorem cernere poterit.* Iam cum iumentis, imo cum porcis vescitur siliquis qui pane Angelorum hodie reficiebatur.

38. *Fugit Dauid fieri pecus ex concupiscentia.* Ambros.

Ideò Dauid factus olim ex homine irrationale pecus, aquam, quam expetierat, *noluit bibere.* Ambrosius lib. 4. de Iacob, cap. 1. Dauid cupiditatem, qua concupierat aquam de lacu Bethleem, potuit mitigare. Humanum passus est, vt irrationabiliter concupisceret: irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudauit remedio.

SECTIO III.

Adolescentis Pœnitudo.

TEXTVS.

VERS. 17. IN se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo. 18. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. 19. Iam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. 20. Et surgens venit ad Patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est; & accurrens, cecidit super collum eius, & osculatus est eum. 21. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. Iam non sum dignus, vocari filius tuus. 22. Dixit autem Pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius. 23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite: & manducemus, & epulemur; quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De conuersione Prodigi.

1. *Reuertitur Prodigus in se.*

IN *se autem reuersus.*] Famis vexatio Prodigo dedit intellectum. Græcè, *εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν*, id est, *in se ipsum veniens.* A se ipso, à ratione discesserat per peccatum diuitiis onustus: in se ipsum fame confectus redit.

Ambros. Ambrosius, *Benè in se reuertitur, qui à se recessit.* Theophylactus, *Intemperatus tandem ad se ipsum redit. Quamdiu male agebat, extra se ipsum erat.*

Euthym. Euthymius, *Nisi fuisset extra se, non diceretur reuersus in se. Tunc enim reuersus in se est, quando memoriam recuperauit, vt domum Patris sui recordaretur.*

2. *Prodigi affectus.*

O quanti mercenarij in domo Patris mei, &c.] Vel ipsi, qui propter accipiendam mercedem seruiunt Patris in domo abundant panibus: mihi porcorum hic siliquæ deficiunt. Quid agam? Numquid ad mortem vsque iamiam imminentem pessima hac in Regione manebo? Discedam potius ex hoc mortis vmbraculo ad viuentium Regionem. Ad Patrem pergam, viscera Patris Prodigum non repellent. Me planè indignum filij nomine, qui tot piaculis seruij; sed mercenarij non deficiet annona.

Hieron. Hieronymus epist. ad Damas. *Pulchrè, ait filius, Surgam, patre quippe absente, non steterat. Peccatorum iacere, iustorum stare est.* Augustinus, *Surgam, dixit, quia iacebat: Et ibo, quia longè aberat. Ad patrem meum, quia sub Principe porcorum erat. Et dicam ei,*

3. *Peccare in cœlum, & coram Deo.*

Pater, peccaui in cœlum & coram te.] In cœlum peccaui, hoc est, *in Deum* metonymicè, qui in cœlo habitat. *Coram te,* id est, sciente te, non ignorante. Sciebat enim Pater, filium à se discessisse, & substantiam dissipasse luxuriosè viuendo, videbat. Præterea Dominus ad significationem parabolæ respiciens, asserit Dei vbique commorationem omnia intuentis. *Non sum dignus vocari filius tuus.* Humilitatis comitem pœnitudinis exponit affectum.

4. *De conuersione Prodigi plura Patres.*

Plura Patres piè, & pulchrè. *Quanti mercenarij,* &c.

August. Augustinus, *Ista recogitatio resipiscentis est, & aduertentis, esse inter Prædicatores, qui non amore veritatis ducti, sed cupiditate secularium commodorum veritatem annunciant.*

Prædicatorū intentio. Strab. *Mercenarij, & filij diuerso laborant, & seruiunt affectu.*

Strabos, *Quanti mercenarij,* &c. *Qui futura mercedis intuitu dignè operari satagunt, quotidianis superna gratia reficiuntur alimentis. Seruus est, qui timore pœnæ temperat à vitiis; mercenarius, qui spe, & desiderio Regni cœlorum; filius, qui amore boni. Ego autem, ait, hîc fame pereo.*

Nyssen. *Laborat extrema peccatorum sordium.*

Nyssenus, *Non prius redit ad pristinam felicitatem, quam in se rediens, sentiret opprimentem ærumnam, & pœnitentiam meditaretur.* Haud tam durus pœnitentiæ affectus, vt peccatori suggerit desidia: facilis redditur meditanti. *Surgam,* (ait Anselmus,) *qui me iacere cognoui.* Qui non surgit è barathro documentum exhibet, se cognitione priuatum brutorum planè æmulatorem. *Ibo ad Patrem meum,* (ex eodem Auctore,) *qui longè recessi, & Patri harebo, qui sub Principe porcorum miserabili egestate tabesco. Et dicam ei.*

August. *Pænitentiæ meditatio vtilissima.* Ambros. *Deus vult, Pater vel à peccatoribus appellari.* *Confessionis efficacia.*

Augustinus, *Pœnitentiam meditatur, nondum agit. Promittit enim, se dicturum, cum venerit ad Patrem in Ecclesiam; vbi peccatorum legitima, & fructuosa Confessio, Pater peccaui.* Ambrosius, *Quam misericors, qui offensus, nec paternum nomen dedignatur audire. Peccaui has prima apud Deum Confessio, qui etsi omnia nouit, vocem tamen tua confessionis expectat. Ore fit Confessio ad salutem: alleuiat pondus erroris, quisquis se onerat. Frustra velis occultare, quem nihil fallit. Sine periculo prodas, quod scias, esse iam cognitum. Confitere, vt pro te interueniat Christus, oret Ecclesia.* Peccaui in cælum. Anselmus, *id est, coram Angelicis spiritibus, sanctisque animabus, in quibus Deus sedet.* Ambrosius, *Peccato animæ dona spiritus cælestia imminuta significantur; & deuiatio à gremio matris Ierusalem, quæ est in cælo.* O quot bonis gratiæ, & naturæ oos piacula priuant! Chrysostomus, *In cælum peccat, qui in Christi humanitatem, quæ vt cælum superna est, & visibilis. Addit, & coram te.* Chrysostomus, *Qui solus es conspector omnium, à quo nec in corde meditata abscondi possunt. Non sum dignus, vocari filius tuus.* Beda, *Ad filij affectum aspirare non præsumit.*

Peccare in cælum, & coram Deo. Anselm. Ambros. *Peccatū nos beneficiis priuat.* Chrysost. Beda.

§. II.

De Prodigi reditu.

5. *Surgit Prodigus.* Titus.

SVrgens venit ad Patrem suum.] Haud satis, de pœnitentia gerenda decretum: opus est vt ad opus progrediatur. Vndénam surrexit filius? (Titus Bostrens. ait,) *E voluptatum, & deliciarum cathedra, è peccatorum fouea. Siquidem bono voluntatis proposito adiunxit opus. Oportet enim, non ea solum, quæ Deo sunt grata, & accepta, velle; sed bona animi desideria per bona opera quoque ostendere.*

6. *Patris pietas.* August. Anselm.

Cum autem adhuc longè esset, &c.] Augustinus. Cum nondum appropioquaret, à longè vidit Pater, *piè autem quæreret*, si moras gessisset. Profectò iam suis inspirationibus reqoisierat ertotem. *Vidit illum Pater ipsius.*] Anselmus, *Antè oculos haberi nonnisi qui diliguntur, dici solent; impios enim, & superbos Deus non videre dicitur.*

7. *Dei mansuetudo in peccatorem pænitentem.*

Porrò Patris illa benignitas, & mansoetudo Prodigum recipientis, amplexu, & osculo donantis, admirabilem Dei clementiam significat. Noo indignatur Dominus, cum adhuc à domo, & Templo est, antequam Confessario peccata aperiat. Accurrit Deus, hominem contritum amplectitor, recipitque in gratiæ ditionem. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Psalm. 31.

Psalm. 31.

8. *Cur Prodigus non dixerit omnia verba, quæ præmeditatus fuerat?* August.

Rogas, cur Prodigus non dixerit, omnia, quæ profari decreuerat? Deceroit, dicere: *Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus, vocari filius tuus; fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* Hæc extrema verba sobticet, cum peruenit ad Patrem. Respondet Augustinus, non protulisse illam sententiæ præmeditatæ particulam, quia post Patris osculum, mercenarius esse dedignabatur, animum recuperaos generosum. *Incipit peccata confiteri, nec dicit omnia, quæ dicturum se esse promiserat: sed vsque ad illud: Non sum dignus vocari filius tuus. Hoc enim vult fieri per gratiam, quo se indignum esse per merita fatetur. Non addit, quod in illa meditatione dixerat: Fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Cum enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat; quod post osculum Patris, generosissimè iam dedignatur.* At facilius cum Iansenio respooderim, vocem progredientis lacrymis, & singultibus pœnitentis suffocatam: vel Patrem oratiooem pius, ac veniam præstans largiter, interropisse.

Authoris expositio. Iansen.

§. III.

De indumentorum ac ornatuum restitutione.

9. *Non procrastinat Deus, citò veniam expendit.*

CItò proferte stolam primam.] Gratia mox sequitur pœnitentiam. Non procrastinat Deus, noo differt gratiæ vestem. Vbi peccator vile crimiois exuit indumentum, Deo opitulante; statim pretiosissimo gratiæ ornatur amictu. *Citò* nulla sit mora, proferte stolam. Stola vestis ad talos vsque demissa; gratiam talarem vestem appellarim, totam animam operientem.

10. *Cur stola prima vocitetur?* August. Beda.

Cur prima vocitetur stola? Nonoulli *primam*, id est, *præcipuam* interpretaotur, quæ ioter alia indumenta primatum obtinet. Alij *primam* seu pristinam significare volunt, hoc sensu: *Proferte stolam illam primam, & antiquam, qua filius meus, antequam discederet, indui solebat.* At Augustinus, & Hieronymus, sic explanant: *Proferte stolam primam, id est, stolam, quam amisit olim Adam. Quasi dicat, Adducite stolam gratiæ primam illam, qua Adam fuit exornatus: quamque* ex illo homines peccatum admittendo, amiserunt. Beda, *Stola prima est vestis innocentia, quam homo, scilicet Adam, amisit.*

11. *De annulo, & calceamentis.* Ephes. 6. Hieron. Ephes. 1. August.

Et date annulum in manum eius, &c.] Ornatur manos annulo, pedes calceamentis. Ambrosius, stolam amictum sapientiæ, & vestimentum ouptiale esse ait: annulum sinceræ fidei signaculum, & veritatis expressionem. De annulo enim signatorio locum iotellexit. Calceamentum exprimit Euangelij prædicationem iuxta Paulum: *Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Ephes. 6. Aodi Hieronymum, *Proferte stolam primam, & induite. Stolam, quam Adam peccando perdiderat, stolam, quæ in alia parabola vestimentum dicitur nuptiale. Et date annulum in manu eius, signaculum similitudinis Christi secundum illud: In quem credentes, signati estis Spiritu promissionis sancto.* Ephes. 1. *Et calceamenta, necubi coluber insidians plantam ingredientis inuaderet: & super scorpiones, & serpentes securiùs ambularet, vt præpararetur ad Euangelium pacis, iam non gradiens secundum spiritum.* Aogustinus, *Stola prima est dignitas, quam perdidit Adam. Annulus in manu pignus est Spiritus sancti propter gratiæ participationem, quæ digito Dei bene significatur. Calceamenta in pedes præparatio euangelizandi, ad non tangenda terrena.*

12. *De vitulo ad celebrationem pænitentiæ filij.*

Adducite vitulum saginatum &c.] Dixerat Dominus, *Gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, vberius *quam supra nonaginta*

nonaginta nouem iustis. Id ostendit parabola; occiditur enim vitulus ad reuersionis filij celebrationem. Propter seniorem filium, qui iustorum agit simulachrum, non occiditur vitulus, non tibiarum, neruorum, aut vocum concentus exauditur. Propter filij iunioris pœnitudinem symphonia resonat, conuiuium apparatur.

13. *Conuiuium Eucharisticum in vitulo figuratum.*

Quidnam epulo innuatur? An Eucharisticum conuiuium? Ambrosius, *Occiditur vitulus saginatus, vt carnem Domini spiritali opimam virtute, per gratiam sacramenti mysteriorum consortio restitutus, epuletur.* Titus Bostr. *Adducite vitulum saginatum illum, qui pro terrarum orbe immolatus, eisque, qui vera resipiscentia ducuntur, donatus est. Hoc est, tremendorum mysteriorum participem illum facite.* Augustinus, *ista epula, atque festiuitas nunc celebrantur, per orbem terrarũ Ecclesia dilatata, atque diffusa. Vitulus enim ille in corpore, & sanguine Dominico offertur Patri, & pascit totam domum.* Hieronymus, & alij contestantur. Adnota cuinam epulum apparetur, nimirum homini, qui è longinqua peccati Regione penitus discessit, quique stola gratiæ indutus obiicitur, Augustissimum Eucharistiæ epulum conuiuias huiusmodi postulat.

Ambr.
Titus B.
August.
Hieron.

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM.

EX ADOLESCENTIS POENITVDINE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus.

Sola memoria panis, quo in domo Dei vescuntur famuli, potest oculos Prodigi aperire, eumque ad frugem adducere meliorem.

Eucharisticus enim panis illuminat peccatorem, eumque ad salutis viam ineundam adducit. Frequentem suade recens conuersis Communionem.

14. August.

AVGVSTINVS. *O quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus! Cogitatio panis ista resipiscentis est.* Et quando non vel sola memoria Eucharistici panis, quo in paterna domo fideles famuli vescuntur, homines non adduxit ad pœnitentiam. Cæcus erat prodigus, à se quidem abstractus ex criminibus: Eucharistici panis memoria in se reuertitur, ad Patrem videns iam properat, & ei pœnitentiæ hærescit affectu. Porrò Pater iubet vitulum saginatum adduci; vt quæ conuersio ex memoria Eucharistiæ exordium duxerat, sacro epulo confirmaretur.

15. *Prodigi duo Discipuli videntes, & in se reuersi, in Ierusalẽ domum reuertuntur, quæ Patris, reuertuntur Eucharistici panis ope. Luc. 24.*

Profectò Prodigus animus recedens à Patre Eucharistici panis respectu oculos aperit, vt pateret reuersione. Prodigi duo Discipuli in Emaũtem à Patris domo recedentes properant cœci planè. *Oculi autẽ eorum tenebantur, ne eũ agnoscerent.* Oportebat filios ad paternam domũ reuerti pœnitudine affectos. Vnde Dominus eorum animis panis Eucharistici memoriã ingerit. *Dũ recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Luc. 24. Porrò in se reuersi, *reuersi sunt in Ierusalem.* Chrysostomus, *Non incongruenter accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana fuisse, ne agnoscerent* IESVM. *Sed tantum à Christo facta est permissio vsque ad Sacramentum panis, vt Christus possit agnosci.* Oculi aperiuntur Prodigis, vt Christum contemplentur Eucharistici epuli præparatorem, & ad domum paternam veracioris Ierosolymæ reuertantur.

Chrysost.

16. *Prodigus qui conuersus fuerat in pecudem, panis Eucharistici vi reformatur in hominẽ. Isai. 1.*

Porcos ille pascebat, & conuiuebat porcis, porcus quidem affectus. At Eucharistici panis memoria è pecude in hominẽ reformatur: *In se reuersus.* O vim Eucharisticam ad huiusmodi transformationem! *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Isai. 1. Vndenam iumentis, seu pecudibus intellectus ad Dei cognitionem? Certè quia Eucharistici panis aspectu Prodigus quisque effectus è crimine pecus reformatur in hominem. Chrysologus serm. 159. *Vterque agnouit,* (bos quidem, & asinus) *quia vterque ad vnum præsepe Domini epulaturus accessit.* Non dixit, *Quia vterque epulatus est,* sed, *Accessit epulaturus,* illud enim ipsum ad domum paternam accedere epulaturum, idem est, ac ad cognitionem redire, aut in se reuerti.

Chrysol.

17. *Paruulus, siue insipiẽs vleinus v.d terore, indiget Eucharistico pane, ad difficultates superandas. Thren. 4. Paschas.*

An aliquis è peccatorum barathro peccator exsurgit, qui huius panis memoria non reficiatur, ad viam pœnitudinis percurrendam? *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren. 4. Quinam hi paruuli, nisi qui recens spiritu nati, pœnitentiam gerere meditantur? Hi planè indigent panis Eucharistici virtute ad pœnitentiæ difficultates superandas, ad roborandum nouelli propositi infirmitatem. Paschasius lib. 4. in Thren. *Paruuli petierunt panem, scilicet parui cogitatus cum de Christo, & noua vita concipiuntur: mox requirunt panem illum, qui de*

cœlo descendit. Quomodo enim fugiens Elias Iezabelis tyrannidem poterit verticem montis Dei scandere si repetito Eucharistici panis epulo non reficiatur?

18.
Peccatori resurgenti per pœnitentiam, datur Eucharisticus cibus, ad vitæ stabilitatem accepto.
Luc 8.

O Ecclesiæ minister, cui Deus commisit pœnitentium prodigorum curam, cum nactus fueris prodigum resurgentem, (*mortuus namque fuerat, & reuixit*) & illico Eucharistico robora pane, ad propositi stabilimentum. Christus adducitur, vt sanaret ægrotantem puellam, quam defunctam inuenit. IESVS *autem tenens manum eius, clamauit dicens: Puella surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare.* Luc.8. Cur imperat resurgenti epulum præparari? Crediderim, quia recens conuersus animus indiget Eucharistici panis robore ad vitæ ipsius confirmationem: *Et panis cor hominis confirmat.* Ambros lib.6. in Luc. *Vtinam meam teneat manum iustitia: spiritum auertat erroris: conuertat salutis: dare iubeat mihi manducare. Inde & illa sapientia, quæ diuini corporis, ac sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimentis, Venite, inquit, edite panes meos.* Et quidem ægrè veniet, difficilè effectus miles paruulus hostes superabit *ad mœnia*, nisi Eucharistico pane eius roboretur infirmitas. Ideo sapientia *paruulis locuta est. Si quis, inquit, est paruulus, veniat ad me.* Prouerb. 30. Nec enim paruulus seu recens ad Dei militiam pergens, poterit vitæ nouæ difficultates superare sine Eucharistici panis robore.

Ambros.

Prou. 30.

19.
Postquã Samaritanus vulnera peccatoris alligauit, infudit Eucharisticum oleum, & vinum, ad recens sanati robur.
Luc 10.
Rupert.

Cum Samaritanus cœlestis miserum à latronibus vulneratum à letho liberauit, alligans vulnera id est sanans ægrotum, mox *vinum & oleum* infudit. Alligauit vulnera eius infundens vinum & oleum. Luc.10. Et cur prius vinum & oleum non infudit, & postmodum vulnera alligauit? Certè quia prius peccator soluendus erat à vulneribus delictorum, mox autem infundenda sacramenti Corporis ac sanguinis vis, in stabilem vulnerum sanitatem. Rupertus ad cap.2. Ioël. *Frustra dona Dei* (qualis prima gratia post criminum vulnera) *dantur, & frustra sumuntur, nisi mox quæramus vinum, & oleum, quod Samaritanus vulneribus illius, qui incidit in latrones, infudit.*

20.
Cum diabolus nos ad villam rursum aduocauerit, memores abũdantiæ domus paternæ, repellamus deceptorem.

Vidisti, potuisse vel solam memoriam panis seruorum Dei Prodigum à statu infœlicissimo alleuare. *O quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus!* Et non poterit eum in pœnitudinis proposito continere? Certè dum mente perpenderimus, Dei seruos panibus abundare, peccatores autem fame deperire: quonammodo poterimus ad domum porcorum Principis remeare? Qui ergo pœnitudine ductus nouus fit Domini familiaris, ad Eucharisticam mensam frequenter accedat; & si diabolus aduocet ad villam, existimet sibi à Domino dictitatum: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis.* Isai.65. Cyrillus Alex. lib.5. in Isai. *Comedent enim, inquit, qui seruiunt mihi. At vos esurietis. Nam qui natura & verè Deum agnouerunt, delicia buntur verè super iis benedictionibus saginantes corda, accedentes ad viuificam mensam, omnium nostrorum seruatoris Christi panem vitæ edentes.* Igitur si clamitat porcorum Præses, Reuertere in villam: tu saginatus corporis ac sanguinis Dominici pane, & vino, respondebis: serui Domini in domo Patris mei panibus abundant, quid filij? Ego autem reuertar in villam, vt ibi fame peream? Absit.

Isai.65.
Cyrill.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Surgam, & ibo ad Patrem meum: Et surgens venit ad Patrem suum.

Prodigus inspiratione audita, licet procrastinare videbatur: *Surgam, & ibo*: illicò tamen surgens ad Patrem accurrit.

Edocens peccatores, pœnitentiam non esse differendam. Facilius enim agitur reditus, dum quis mox post peccatum assurgit.

21.

DVm audio futura illa: *Surgam, ibo*: timere cogor Prodigi propositum mutandum dilatione. At cùm adiicit Dominus, *Et surgens venit ad Patrem suum*, video illicò propositum mandasse executioni, nec de anno in annum distulisse pœnitudinem. Id quidem effectu augustissimo; particula enim illa: *Venit ad Patrem suum*, innuit facilitatem veniæ præparari ei, qui mox post delicta audita Domini inspiratione, resurgit, & venit.

22.
Eadem die qua audieris vocẽ inspirationis, gere pœnitentiam.
Ps. 60.

Dauid pœnitentium Magister canit, *Sic psallam nomini tuo, Deus in sæculum sæculi: vt reddam vota mea de die in diem?* Psalm. 60. *De die in diem?* An propositum hodiernum in diem crastinam differendum est? Minimè, sed votum seu propositum pœnitendi hodiernum reddendum de die hac in hanc diem. Ideo non dixit, *de anno in annum*, quia vnius anni plures adsunt dies, & votum pœnitentiæ nec de die vna est in diem alteram differendum. Dixit, *de die in diem*; quia eadem die audiens vocem Domini, respondebat. D. Valerianus homil. 4. *Numquid dixit, De anno in annum? Dixit de die in diem. Omni ergo die operandum nobis est. Debitum autem Deo, & promissum munus non est tempore prolongandum.* Preme, *Omni ergo die operandum.* Haud proposito operandi vnus dies dandus est, & ipsi operationi alter adscribendus; sed idem propositi dies, sit planè operationis. Porrò illa particula: *Non est tempore prolongandum* strictiùs pœnitentiæ propositum executioni mandandũ indicit. Nam quia vna in die plures horæ sunt, vult Doctor, non differri votum de hora in alteram: sed eodem tempore peragi pœnitentiam, quo votum emittitur, aut propositum efformatur: *Non est tempore prolongandum*, sed idem tempus & desiderio & executioni apparetur. Præmiserat Vates, *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Ibid. Id est, spe veniæ accipiendæ ô Pater me in tuam domum deduxisti. *Turris fortitudinis à facie inimici. Inhabitabo in Tabernaculo tuo.* Non solum inter mercenarios annumeror, verum filiorum Regno donor. Vndénam tam præpropera venia? Quia non distuli vota mea de die vna in alteram.

Valer.

Non differas de hora in horam.

Facilis est venia properanti.

23. *Nathan in tempore indutiæ quo Dauid pœnitebat, venia donabatur, quia illicò post auditam vocem Domini, ad dum Prodigus accurrit.* 2. Reg. 12. Basil. Sel.

Nathanus etenim ad Dauidem accessit ouis raptæ parabola Regis expressit delictum, denique ele nudauit reum: *Tu es ille vir.* At *Dauid dixit Nathan, Peccaui Domino.* Mox *Nathā ad Dauid, Dominus quoque transtulit peccatum tuū.* 2. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit* O veniæ properationem! Non dixit, *Dominus trāsferet*: nec, *Dominus transfert*: vt post pœnitudinem expressam venia donaretur: sed dum pœnitet, dum inquit, *Peccaui*, iam peccatum Dominus transferebat. Certè veniæ illa properatio properationi pœnitudinis respondebat. D. Basilius Seleuc. orat. 17. *Vidistis virum optimum sauciatum, nec, accepta plaga, quidquam de strenuitate remittentem? Vidistis derepentè succumbentem, & subitò emergentem? Agnoscimus quoque pœnitentia vim. Hoc vti munere non desistamus, dum labimur, ac vicissim sanamur; ne per socordiam gratiæ contumeliam inferamus.* Preme τὸ *Hoc munere vti non desistamus, dum labimur.* Id est, pœnitere curemus, dum labimur in delicta: actio ipsa, qua delinquimus, (si fieri posset) sit quodammodo actio pœnitendi. Id si gesserimus illicò *vicissim sanamur.* Non *sanabimur* ait, sed *sanamur*, vt veniæ properatio pœnitudinis festinationi respondeat. Certè si dum delinquis donaris venia, si quodammodo actio delinquendi actio pœnitendi est: quodammodo non deliquisse videberis.

Dum labimur, si pœniteat: dum peccat, venia donatur, & videtur non deliquisse.

24. *Tam propera pœnitentia filiarum Loth, & illa festina venia: vt vix videantur deliquisse.* Gen. 19. Origen.

Filiæ Loth *dederunt patri suo bibere vinum nocte illa*, à quo ignorante conceptum accepere. Vix illæ deliquerant, cum pœnitudine afficiuntur. Nec enim rursum se piaculo contaminare curarunt. Genes. 19. Dum contemplatur Origenes properam illam fœminarum à crimine resipiscentiam, tam vberem Numinis veniam adiudicat, vt vix deliquisse videantur. *Singulis ingressa noctibus, singula susceperunt ab ignorante conceptum. Vltra non repetunt, non requirunt. Vbi hic libidinis culpa? Vbi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto.* Addit exaggerationem. *Vereor proloqui, quod sentio, vereor inquam, ne castior fuerit earum incestus, quam pudicitia multarum.* Vndenam incestus potest quodammodo pudicitiæ præferri? Sola equidem pœnitentia (Ausonio Episcopo afferente) potest sic inaurare delicta aut aurea reddere, vt addat animo pulchritudinem. Ergo incestus filiarum Lothi ex pœnitudine pudicitiæ præfertur? Imo iam propera venia delicti ob pœnitudinis festinationem, vt vix videantur deliquisse, quæ mox post delictum pœnituere.

25. *Petrus tam velox ad pœnitentiā, vt quodammodo Christū nunquā abnegauerit peccatorem Tam properā venia illicò fæminat.* Luc. 22. Leo.

Quam graue Petri flagitium! Ter Dominum abnegauit. At illicò crimini renunciauit. *Et conuersus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini. Et egressus foras, fleuit amarè.* Luc. 22. Vbi D. Leo serm. 3. de Pass. cap. 5. *Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias Sacerdotum, inter falsitates testium, inter cadentium, & conspuentium iniurias constitutus: illa turbatum Discipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat esse turbandum.* Viderat planè esse turbandum Petrum oculis amicis, quia nondum Discipulus deliquerat. Ergo si hisce oculis vidit Apostolum Dominus post delictum, iam amicum aspectabat velut ante negationem. Quando autem Petrus peccator aspectatus fuit? Liceat mihi asserere, *Nunquam.* Quia qui peccans illicò ad pœnitentiam properat, tam festinanti venia donatur, vt nunquam videatur gessisse flagitium.

26. *Thamar illicò pœnitēs tam venia donata est, vt vix deliquisse videatur.* Prodigo similis. Gen. 38. Ennod.

Prodigi sociam se Thamar addixit, & dissipauit viduitatis iura *viuendo luxuriosè.* Ad Iudam simulato meretritio habitu accedit; *Concepit mulier & surgens abiit; depositoque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus.* Genes. 38. Expendo particulam, *Et surgens abiit.* Vix deliquerat, cum surgens, vt Prodigus, abiit ad Patrem suum pœnitentiæ affectu. Vnde tam facilis, tam festinans venia, vt quodammodo videatur, minimè deliquisse. D. Enodius normam illicò pœnitentium Thamar est contemplatus. *Bene* (inquit, lib. 5. epistol. 17.) *magnitudo vestra, dum origini, & moribus præstas obsequium, emendationem sine interuallo coniungit errori: & quod peccatum sapienter intelligis, priusquam altero peccato denuncietur, auertit. Quis credat deliquisse, in correctione velocissimum?* Quia pœnitentiæ velocitatem tam velox venia sequitur, vt locum fuisse aliquando Dei iræ, & auersioni non videatur.

Observat. III.

Ad illa verba:

Pater, peccaui in cœlum, & coram te.

Dum Prodigus mente recolit, se in præsentia Dei deliquisse, affectuosè currit ad pœnitentiam.

Nihil enim sic excitat peccatorem ad pœnitudinem, operaque virtutis gerenda, quam Deum præsentem sibi obiicere.

27. *Peccare quodammodo nō potest, qui Deum præsentem intuetur.* Chrysost.

CHrysostomus, *Peccaui coram te, qui solus es conspector omnium, à quo nec in corde meditata abscondi possunt. Et surgens, venit ad Patrem. Fit regressus celer, ac facilis.* Nullum pœnitenti impedimentum obstans obiicitur. Nec hostis Præses porcorum veluti Laban fugientes filias insequitur, nec hostes horribiles superandi præsentantur. Vndénam facilitas regressionis? Quia Prodigus Deum præsentem & peccanti, & pœnitenti est contemplatus: *Peccaui coram te, qui solus es conspector omnium.*

28. *Quomodo potest delinquere, qui Deum præsentem contemplatur?* Gen. 39. Boet.

Nescio planè, quonammodo possit homo delinquere, si Deum præsentem contempletur. Ioseph ab impudica domina tentatus, adolescens à pulchrâ, à sola solus non acquieuit operi nefario; sed viriliter professus est: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Genes. 39. Ac si diceret, Haud possum coram Deo operam dare flagitio, me enim Dei præsentia ad delinquendum adimit potestatem. Pulchrè Seuerinus Boetius de consol. lib. 5. pros. 4. *Deteriora velle, nostri fortasse fuerit defectus: posse autem contra innocentiam quæ scelestus quisque conceperit, patere inspectante Deo, monstro simile est.* Quomodo possum coram Deo delinquere? Deum præsentem quis contemplatur, & adhuc potuit opus malum exercere? O monstro similem actionem!

29. *Repugnat Dei præsentiæ, peccati genere.* Iob. 1.

Nihil ita repugnat præsentiæ Dei animo obiectæ, ac mali perpetratio. Potest quis Deum præsentem contemplari, & adhuc laborare desidia circa virtutum exercitamenta. At operari malum, dum Deum præsentem putat, omnino repugnat. *Erat vir in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* c. 1. Preme particulam, *Timens Deum*. Quid Deum timere? Chrysostom. apud Comitol. nostrum in Cat. Græca. Deum timere idem est, ac Deum præsentem contemplari. *Recta, ait, viuendi ratio facit, vt Deum cognoscamus, Dei vero notitia vitæ custodia est. Ideo igitur quia Iob iustus Deum religiose colebat, & quia Deus illi semper ob oculos versabatur, ob id ipsum quod iustum erat iustè prosequabatur.* Dei namque præsentia animo obiecta eum assolet ad iustitiæ, seu sanctitudinis exercitamenta excitare. Attamen expendendam se obiicit clausola illa: *Timens Deum, & recedens à malo.* Si simplicem, & rectum expresserat, consequenter eum à malo recedentem asseuerat. Cur ergo post expressam Diui perfectionem, addidit eum à malo recedere, qui primus gradus assolet esse scalæ virtutis? Certè dum affirmat Iobum Deum timere, siue Deum semper ob oculos Iobo versari, necessario adiunxit, *Et recedens à malo*; quia agnata est Dei præsentiæ animo obiectæ ab omni piaculo abstinentia. Potest quis deses dum Deum præsentem credit, non properare, segniter adhuc viam terere iustam: sed nescio an possit malum perpetrare: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

Chrysost. — *Agnata est impeccabilitas quodammodo præsentiæ Dei contemplationi.*

30. *Specialissimo studio recedit à malo, qui Deum contemplatur præsentem.* Ps. 118.

Specialissimo studio recedit à malo, qui Deū se aspicientem contemplatur. *Custodiuit* (Dauid inquit) *anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua, & testimonia tua. Quia omnes viæ meæ in cōspectu tuo.* Ps. 118. Quid est vehementer diligere testimonia Dei, nisi specialissimam curam impendere circa mandatorum custodiam, adeo quidem vt nullum minimum licet piaculum committatur? Porrò huiusmodi accurata mandatorum custodia, & mali omnis euitatio à Dei præsentia exoritur. Fatur Theodoret. *Cum nouissem, te omnia conspicere, & me viuere sub te spectatore: non modo tua mandata non fregi; verum etiam cum magno studio feci hoc.* Id est, magnum adhibui studium, ne aliquo piaculo defœdarer, cum te me respicientem contemplabar. Quomodo enim delinquere coram Deo potest, nisi qui à se omnino cum Prodigo recesserat?

Theodor.

31. *Probat Dominus Magdalenam nō deliquisse, quia dum operaretur, Deum præsentem habebat.* Matth. 26.

Intendit Dominus Magdalenam à criminis suspicione, ex Iudæ malitia, liberare. Dixerat enim Iudas, *Vt quid perditio hæc? Poterat vnguentum istud venundari, & dari pauperibus.* An non Prodiga Magdalena? An non pauperum substantiam dissipauit? Dominus ergo, *Quid*, inquit, *molesti estis huic mulieri? Nonne bonum opus operata est in me? Mittens enim hæc vnguentum hoc, ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. Preme illod: Bonum opus operata est, nullum commisit illa piaculum. Vnde probas? Quia *ad sepeliendum me fecit*. Hoc est, opus illud gessit voluens memoria me moriturum. Ergo bonum opus operata est. Nec enim posset malum prodigalitatis opus gerere, quæ Deum præsentem mente voluebat. Hac itque sententia Iudæ detractionem, falsámque criminis impositionem compressit. Euthymius, *Commemorationem Discipulis ingerendo propinquæ cædis* (cognitæ à Magdalena, eius menti obiectæ) *Iudam clam compressit*, eius occultam suspicionem circa Magdalenæ piaculum refrenauit.

Euthym.

32. *Qui præsentē Deū habet, nunquā eius voluntatem trāsgreditur vt Prodigus: sed exequitur, vt frugi filius.* Iudic. 5. Lyran.

Debora cecinit, *Domine, cum exires de Seir, & transires per Regiones Edon, terra mota est, cælique ac nubes distillauerunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini.* Iudic. 5. Vbi Lyranus creaturam rationalem contemplatus pœnitentem lacbrymarum profusione, & Domini voluntati obsequentem ex consideratione præsentiæ Numinis. *Vt per hoc ostenderetur, quod creatura rationalis debet Deum timere, & coram eo tremere timore filiali.* Quid filius? *Nunquam tuam voluntatem præteriui*, id est, nunquam me crimine fœdaui. Vndénam filius senior tam addictus Patris voluntati filiali timore, vt nunquam piacula perpetrarit? Pater expressit, *Fili, tu semper mecum es.* Luc. 15. Qui à mea præsentia separatus est Prodigus, *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Quid mirum, si à mea præsentia se putabat abstractum? At tu semper meo in conspectu degens, quomodo poteras meam voluntatem aliquō violare piaculo?

Luc. 15.

33. *Præsentiæ Dei contemplatio datur tyrannis, ad effrænationum eorū repressionem.* Luc. 2.

Profectò tam valida est præsentiæ Dei consideratio, ad vitanda crimina, vt vel perditis hominibus à Domino detur in conscientiæ profligatæ correctionem. Quid Regi tyranno iniquius? Quanto scelere coëgit Augustus totum orbem, tanto sumptu, tanta incommoditate, describi? Quánam vi Rex iniquissimus poterat ad mentem adduci meliorem? Ait Lucas, *In diebus illis exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis: Factum est autem dum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret.* cap. 2. Expende τὸ *Factum est*. An casu id accidit? Minimè, sed specialissima Numinis præsentis rebus omnibus prouidentia. Dum ergo Lucas asserit, factum id esse ex omnia aspicientis Dei præscriptione, curat monere Imperatorem, vt contemplatione præsentiæ diuinæ à tāta exactionis tyrannide recedat. Pulchrè Nazianz. orat. 9. *Sane, nisi mea sententia fallit, eos, quibus huiusmodi munera concessa sunt, admonet, Deum semper supremus rerum administrationibus interesse. Et quidem vt descriptores pudore afficiat, tum demum commouerat.* Nec vlla præstans vis ad tyrannum reprimendum, ne delicta gerat huiusmodi, quam menti eius Dei necessariam vbique præsentiam exponere.

Nazianz.

Observat. IV.

Ad illa verba :

Ego autem hîc fame pereo. Surgam.

Surgit Prodigus, vt redeat ad Patrem, cum se comperit fame, ac laboribus exactum.

Labores enim, ac tribulationes nos validè cogunt, vt Domum reuertamur ad Patrem.

34.

AN Prodigus in se reuertitur dum substantiam dissipat epulum instituēs, voluptatibus studens? Minimè quidem, sed cum primum elapsa

elapsis felicitatis temporibus, ne dicam instantibus, tẽpora nubila præsentarura, & us ærumnis, curat à Principe porcorum ad domum Patris properare. Nyssenus, *Non prius redis ad pristinam felicitatem, quam in se rediens, sentires opprimentem ærumnam.* Tribulationum etenim vi Deus insignes peccatores ad pœnitudinem adducit.

Nyssen.

35. In cuius typum olim curauit Deus Moysem à domo Principis porcorum nempe Pharaonis velut Prodigum filium, qui à populo, seu familia Numinis recesserat, in sanctum populum reuocare. Quânam vi id gessit? Immisit ei desiderium patiendi cum sanctis contribulibus, quorum ipse vel in Regia existens verè illorum frater incommodis suauiabatur. Actus itaque fratrum labore, ac desiderio affectus actuali labori subiacendi: ex aula proripitur. Fugam Apostolus celebrauit, *Negauit, se esse filium filiæ Pharaonis, eligens affligi cum populo Dei.* Hebr. 11. Vbi Chrysostomus, *Magnum ergo bonum est afflictio, in quam Moyses se coniecit ex Regia.* Quonammodo Moyses Pharaonis filiæ filius reputatus posset ad actualia incommoda currere, nisi affectus laborum desiderio. Labores enim vel cogitati nos ad Deum adducunt: quid cum experimento recepiantur?

Moysem adduxit, ex aula in Dei domum expasse fratrũ, & cogitati laborum quod exantlati?

Hebr. 11.

Chrysost.

36. O quot Prodigos fames domũ reduxit in patriã! *Reddã vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos: & comedetis vescentes, & laudabitis nomen Domini Dei vestri.* Ioël. 2. Reddere Hebræis Deum *annos, quos comedit locusta & bruchus*, idẽ est, ac fame illos premere. Cur nos premere famis curat? Certè vt ad se adducat, vt Prodigum: Comodetis vescentes, quia reuersis vobis ad Patris domũm vitulus occidetur, & Deum laudabitis vos venia donantem. Iam premo particulam, *Fortitudo mea magna.* Cur vocitat locustam, siue famem, Dei magnam fortitudinem? Quia nihil fortius fame, ac pressuris ad homines Prodigos adducendos. Ideo fames qua Prodigus reductus est, valida appellatur: *Facta est fames valida in Regione illa.* Valida quidem, id est fortis vt (vidimus in commentario ex Græco) Deest enim magna fortitudo ad hominum prodigentium adductionem. Ambrosius lib. 3. exam. cap. 16. *Magnam suam virtutem in locustis esse, dixit Dominus, & brucho: eo quod diuina Maiestatis offensa magno moderamine sterilitatis Iudaica, atque inopia solueretur.*

Fames adducit ad Dei Patris optimi domum Prodigos peccatores, valida planè.

Ambr.

37. Dum Iacob è domo paterna egreditur, & ad Gentilis soceri in longinquam accedit Regionem, Prodigum filium repræsentat. Pascebat ille Labani pecora feliciter quidem, & non curabat paternam in domum reuerti. At fame obortа, hoc est, Labano auerso, Iacob properat ad Patrem accurrere. *Animaduertit, quod facies Laban non esset erga se sicut heri & nudius tertius.* Genes. 31. Actusque fame fauoris, ad Patrem reuertitur, nec vult pascere pecora. Rupertus appositè, *Iacob antequam eiusmodi spiritu offensus fuisset,* (seu fame pressus) *cum adhuc molliter exciperetur, dicente Laban, inueniam gratiam in conspectu tuo. Experimento didici, quod benedixerit mihi Deus propter te: tardauit reuerti, & dixit: si feceris, quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. Nunc autem vbi læsus fuit, surrexit, & abiit.* En Prodigum surgentem, & abundantem, *Surgens venit ad Patrem suum.*

Iacobũ Prodigi pascẽtis pecora simulachrum agentem Deus ad domum impellit, fame, seu ærumna immissa.

Gen. 31.

Rupert.

38. Curabat Deus Labani filias Iacobi vxores virum fugientem sequi, & ad veri Patris familiam properare. Ideo eas fame premi disposuit. *Quasi alienas* (inquiunt) pater *nos reputauit.* Quonam fructu hac calamitate afficiuntur? Fantur marito, *Omnia, quæ præceperit tibi Dominus, fac.* Genes. 31. Rupertus, *Quo volebat Deus, illuc, ipsa aduersitate impellente, citius sequitur. Et ipsis coniugibus in id ipsum bonum cooperata est inclementia patris, de quo conquestæ sunt dicentes: Quasi alienas nos reputauit. Hoc tenta aduerso mangium feliciter impellente, vltro portum aspexerunt, & dixerunt: Omnia, quæ præcepit tibi Dominus, fac.*

Ad se Deus filias Labani adducit, eas fame premendo.

Gen. 31.

Rupert.

39. Prodigam synagogam, quæ substantiam Patris vtrique dissipauerat, *viuendo luxuriosè*, Dominus vt ad domum reducat, spinis laborum suffocat voluptatis frumentum, & fame affectam cogit ad reuersionem. *Ecce ego sepiam,* (inquit Pater sponsus) *viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet. Et dicet, Vadam, & reuertar ad virum meum priorem; quia bene erat mihi tunc, magis quam nunc.* Ose. 2. An non vox illa, *Vadam, & reuertar ad virum meum*, vox est Prodigi adolescentis, *Surgam, & ibo ad Patrem meum?* O famis validitas, ad Prodigos adducendos! Adhuc pulchrè Rupertus, *Sicut vxores Iacob aduersa hæc impulerunt; vt illum patrem relinquerent, & talem virum, ac Patrem talem sequerentur: Sic & aduersa mundi plerumque dilectam Deo iuuant animam, vt audiat illius vocem, qui dicit, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: Vt ad Deum anhelantius redeat. Vnde illi per Oseam dicit Deus, Ecce ego sepiam viam tuam spinis,* &c.

Prodigam Synagogam Deus reducere ad se conatur, famis immissione.

Ose. 2.

Rupert.

40. Proh Regionis pressæ fame pietas Prodigum cogentis ad patriam! Apud Ægyptum Prodigi filij Israël dissipauere Patris substantiam, nec curabant in terram promissam reuerti. Deus denique eos curat adducere famis immissione, dum scilicet *operibus duris luti, & lateris* miseram acquirunt annonam. Exod. 2. Profectò Regio illa famis pia admodum in Hebræos, coëgit ad Patrem remeare. Pulchrè admodum Gregorius, *Moyses ad vocandum populum missus est, cum iam Pharao durus operibus ad opprimendum fuerat exercitus, vt Israëlitarum mentes deformiter Ægypto inhærentes impelleret, dum sæuiret: & plebs in seruitio turpiter fixa, malis impulsa moueretur. Hoc quotidie agitur: Vt si ad promissionis terram vocati exire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur.* Addit opportunius. *Atque hæc Ægyptus quæ nos oppresserat blandiens, adiuuat fame premens; & quæ dum fouens seruitutis iuga contriuit, libertatis viam, dum cruciat, ostendat.*

Prodigum populũ Hebræum Deus fame reducit ad domum.

Exod. 2.

Gregor.

41. Quid si post famem immissam Prodigus filius ad Patrem reuerti non properet? Desperata hominis salus. Ægyptios vt filios efficeret Deus decem plagarum famem immisit. At quia vel fame pressi noluerunt ad Deum pergere, traditi sunt Angelo exterminatori. Audi Dauidem, *Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & tradidit grandini iumenta eorum,*

Si post famẽ immissam, nõ surgit, & venit ad Patrem, quasi desperata tibi salus.

Psal. 76.

&

& possessionem eorum igni. At quia nec fame pressi, ad Dominum fuere conuersi ira indignatioois afficiuntur dæmoni vtique committendi. *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos.* Psalm. 76. Rupertos lib. 2. in Exod. cap. 3. *Rectè percussori traduntur Angelo meo, postquam subiici noluerunt per semetipsum corripienti, & decem plagis ad pænitentiam inuitanti Deo.*

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Citò proferte stolam primam, & induite illum, &c.

Post pœnitentiam Prodigus non solùm venia donatur, prima recepta stola: sed & annulo, ac calceamentis ornatus est.

Pænitentia enim hominem ad augustiorem sanctitatis gradum adducit.

42. POenitenti filio prima datur stola, siue priorem ducitur in statum. At & osculi affectu, & annuli, ac calceamenti ornatu ostenditur ad altiorem sanctitatis gradum fuisse eleuatum. Chrysologus sermon. 3. *Apud cælestem Patrem filius surgit plus de venia, quam corruerat de reatu.*

Chrysol.

43. Premo clausulam illam: *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Luc. 15. Cur osculo eum donauit? Existimo, vt inspiraret in *faciem eius spiraculum vitæ.* Genes. 2. Rogo, an corpus Prodigi fuerit spiraculo vitali affectus? Minimè, sed spiritus. Ergo si viuens iam spiritus, rursum spiraculo vitæ donatur, ad perfectiorem, ac sanctiorem vitam Prodigus eleuatur. Pulchrè Bernardus serm. 16. in Cant. *Osculi applicuit, iteratò spirans in faciem meam spiraculum vitæ: sed sanctioris, quam primò. Nam primò quidem in animam viuentem creauit me: secundo in spiritum viuificantem confirmauit me.*

Prodigus ad præcelsiorem vitã eleuatur ex pœnitudine. Genes. 2.

Bernard.

44. Dauid Prodigi illius filij commendat affectum, qui in via peccatorum non stetit, & non sedit in pestilentiæ cathedra dum adhæret ciui Regionis illius, vt pasceret porcos. Addit Vates, *Et erit sicut lignum, quod plantatũ est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet.* Psalm. 1. Vbi Tertullianus lib. de Pœnit. vidit illum repente fructibus plenam mutatum in arborem, asseruit id præstitum pœnitentiæ virtute. Hæc enim potest hominem repente ad tantæ sanctitatis cumulum eleuare. *Rape occasionem*, ait, *inopinatæ felicitatis, vt ille nihil quondam apud Deum nisi area puluis, & vasculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas seritur, & in foliis perennat, & in tempore suo fructus agit.*

Post pænitentiam homo fit arbor ex vberiori sanctitate fructificans. Psalm. 1. Tertull.

45. Babylonicæ meretricis prodigentem substantiam filiam æmulatricem Dominus ad se reuocare intendens, vociferatur. *Frons meretricis tibi facta est, noluisti erubescere. A modo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ier. 3. Virginem vocitat meretricem? Certè dum illa ad Patrem regreditur, ipse sic excipit pœnitentem, vt perfectionis augustæ ad gradum eleuata inter purissimas virgines computetur. Accommoda, quæso, Prodigæ filiæ Synagogæ, quod de Prodigo filio Ruritius lib. 2. epist. 22. contemplatur, *Voca me Pater meus. Ipse est Pater tuus, qui male Prodigo filio, & percepta substantia decoctori ad se vel sero redeunti, non solum crimina anteriora non imputat: verum etiam præmia commissa multiplicat, dum vlnis fouet, osculis permulcet, muneribus ditat, doctrina confirmat.* Dux virginitatis tuæ est.

Dum meretrix redit ad Patrem, sanctitatis prioris incremeltis inter virgines cõputatur. Ier. 3.

Rurit.

46. Lazarus auocatur à tumulo, Prodigus peccator à volutabro erigitur. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis* IESVS, *soluite eum & sinite abire.* Ioan. 11. Cur sudarium iubet à facie auferri? Pulchrè respondet Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 8. *Quia venia donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim, quod erubescat cui peccatum remissum est.* Quod erubescat! Imo habet quo possit gloriari, dum Dominus addidit, *Et sinite abire.* Non obstaculo sitis cursori velocissimo, perpeti volatori; quem pœnitentia ad superiorem virtutis gradum adduxit.

Lazarus pænitens ad pristinũ statũ restituitur, & vinculis auolans ostentatur. Ioan. 11. Ambros.

47. De Enoch Moyses, *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Genes. 5. Vbi Philo lib. de Abrah. asserit Enochum mysticè peccatoris pœnitentis imaginem gessisse. *Rectè verò & illud dicitur: Non est inuentus, de translato: eo quod prior vita culpabilis euanuerat, vt non inueniretur amplius, ac si nec fuisset quidem vnquam antea.* Hoc sensu Propheta Dauidi pœnitenti dixit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Id est, *prior vita culpabilis euanuit.* Addit pulchrè Nazianzenus orat. 20. asseruit translationem illam Enochi non solum factam fuisse mysticè ad statum eundem, quo anteà ostendebatur: sed ad perfectiorem statum, ad augustiorem sanctitatis verticem.

Enoch agit pænitentis imaginem, ad perfectiorem verticẽ sanctitatis transfertur. Genes. 5. Philo.

Naziam.

48. Deus in rerum exordium *appellauit lucem, diem; & tenebras, Noctem. Factumque est vespere & mane dies vnus.* Genes. 1. Ad quæ Stephanus Cantuar. *Quando iustus erat, cadit, & est vesper gratiæ; quando resurgit, mane, nec fit mentio de nocte. Quia si fueris iustus, & cadas, & resurgas: Deus ex vespere, & mane vnum diem reputat, non noctem mortalis peccati computat.* Preme illud: *Deus ex vespere, & mane vnum diem reputat. Mane* gratia, *vespere* peccatum. Homine pœnitente restituitur *mane*, quo prius fruebatur, & additur *vespere* in diem conuersio. Cur ita? Quia non solum pœnitenti gratia quam amiserat, restituitur; sed plerumque fulgor superadditur, ipso peccato quodammodo in lucem conuerso. *Deus ex vespere, & mane vnum diem reputat.*

Vel noctem peccati Deus quodammodo mutat in diẽ gratiæ. Vt innuat pænitentiæ incrementa. Genes. 1. Stephan.

OBSERV.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Cito proferte stolam primam, & induite illum.

Curat Pater cœlestis filij nuditatem illico operiri, ne aliis obiiciatur.

Quam Deificum, proximorum aperire defectus.

49. DVm video Patrem nudum accurrentem ad filium, eum amplexu dulcissimo alligantem, ac simul indicentem: *Cito proferte stolam primam & induite illum*, in mentem subit, Patrem amplexu afficientem Prodigum obiectione corporis prohibere, ne serui nudum filium aspicerent. Ideo clamasse cito afferri stolam, vt vestis brachiorum ac corporis paterni operiendi munus obiret. Dum vestis non affertur, brachia, ac corpus Patris Prodigi obtegunt nuditatem. O quam Deificum est, proximorum operire defectus!

50. *Tunc Virgo curat defectum in Nuptiis operire: non se esse dicit mulierem sed quodammodo Deã.* Ioan. 2. Gauden.

Nuptiis Canæ Christus, ac Maria intererant, vinum absumitur. Curans autem Maria sponsi operire defectum, ac ruborem, fatur ad Dominum, *Vinum non habent.* Cui IESVS, *Quid mihi, & tibi est mulier?* Ioann. 2. Ex mente Gaudentij ser. 2. Christus rogat Matrem, an diuina eadem natura perfulgeant. Es ne ô Maria mulier, an Dea? Mulier planè. Si mulier, quonammodo curas proximorum operire defectus, quod solius Deitatis insigne. Quid est *mulier*, quod petis operiri defectus aliorum. Id Deifica exequere. Quam aptè Damascenus Mariam Deam esse quodammodo asseruit, quam videt defectus illius opertioni studere: *Quodcumque dixerit vobis facite.* Ibid.

Damasc.

51. *Deus prius alligat vulnera, quam eis adhibeat medicamenta. Quia operire peccata, quasi curare est.* Luc. 10.

Samaritanus ille Custos humani generis Christus, vulnerati à latronibus plagas dicitur medicamine affecisse, & alligasse. *Alligauit vulnera eius, & infundens vinum, & oleum.* Luc. 10. Profectò illa vulnerum alligatio ante adhibita vini, & olei medicaméta, nō videtur ad curationem pertinere. Cur ergo vulnera prius alligantur, quam curantur? Certè quia Deus hominum custos nihil prius expetit, quam subditorum defectus operire. Vulnera curentur, sed ea cautione, vt prius consulatur vulnerum opertioni, quam medicamini. Et quidem sæpè præcipuum medicamentum ad crimina proximi est Præsulis studium ad piacula dissimulanda, seu operienda. Chrysostomus hom. 3. in Luc. *Iam teguntur vulnera, quæ fuerant antea nuda. Iam à cœlesti Medico confossa loca ligantur. Vt intra semetipsa medicinam retinentia, operante medicamine, pristinæ sanitati reddantur.* O quot vulnera sanitati pristinæ reddita non sunt, quia Præsul

Chrysost.

Medicus nō prius studuit vulnerum opertioni!

52. *Spiritus sancti est, defectum hominum obtegere.* Gen. 1.

Fatur Moyses, *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gen. 1. Hieronym. *Incubabat, fouebat.* Quam proprium Numinis terræ vacuitatem, abyssi tenebras operire! *Erat terra inanis, & vacua*, id est, *inuisibilis*, (vt alij legunt) *incomposita*? Illicò Spiritus sanctus curat induere nuditatem. Alas velut auis extendit, vt defectus operiat. Ideo Origenes, hom. 7. in Num. Spiritum sanctum nubem operientem hominum defectus appellauit.

Origen.

53. *Spiritum sanctum æmulatur qui proximorum operit errata. Dum adest Spiritus, nubes est, nostram lepram operiens.* Num. 12. Origen.

Qui igitur studet proximorum errata operire, homo non est, sed Spiritus sancti æmulator egregius. *Locuta est Maria & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Aethyopissam. Iratusque contra eos abiit: nubes quoque recessit, quæ erat super Tabernaculum, & ecce Maria apparuit candens lepra.* Num. 12. Vbi Origenes citat. affirmat nubem illam Spiritus sancti personam innuere. Iam quæsierim, cur Maria apparet candens lepra cum auolat nubes recessura, & non antea? Certè Maria lepræ plaga punitur cum contra Moysem locuta est. At non apparuit lepra nisi post nubis recessum; quia Spiritus sancti agnatum est, hominum operire piacula. *Primo* (ait Doctor) *recessit nubes*, id est, Spiritus sãctus, *quam Maria repleta lepra ostendatur*; quia dum adest Spiritus sanctus crimina hominum non aperiuntur. Cur ergo recessit? Vt supplicio eam afficiat, quæ cum deberet Spiritui sancto conformari, Moysi sponsæ defectus non operuit.

54. *Proprium est hominis, aperire aliorum nuditatem.* Gen. 9. Chrysost.

Æmulator ergo Spiritus sancti non est, sed se hominem ostentat qui defectus aliorum non curat obtegere. Olim Noë *nudatus est in tabernaculo suo*, & eius nuditas à Cham improbo filio fratribus euulgatur. Gen. 9. Vbi pulchrè Chrysostomus, *Non foris illi accidit, sed in domo sua, vt hominis malitiam studiosus videas, qui nuditatem vulgare est ausus.* Hominis ne an diaboli illa malitia? Filij fuit, domestici fuit, hominis fuit. Quia agnatum hominis malitiæ aliorum hominum aperire defectus. Nihil diuinum in Chamo nuditatem patris qui non illico curauit induere.

55. *Nec se ij dii operiunt patris nuditatem se ostendunt non homines esse, sed Dei æmulatores.* Gen. 9. Gregor.

Porrò probi Noëmi filij parentem nudatum cum viderent, *incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris.* Gen. 9. Cur boni filij retrorsum incedunt, cum student patris obtegere nuditatem? Respondet Gregorius lib. 25. Mor. cap. 22. *Verenda patris, auersi venientes operiunt. Quia bonis subditis sic Præpositorum suorum mala displicere debent, vt tamen hæc ab aliis occultent. Etenim auersamur, quod reprobamus. Isti igitur operimentum auersi deferunt; quia diiudicantes factum, & venerantes Magisterium, nolunt, videre, quod tegunt.* Aptius attamen argumento, ideo retrorsum incedentes nudi operiunt defectus; quia curare aliorum errata operire quid præposterum est & insuetatum hominibus. Vulgariter expendam: *Mueità se al reues de humanos, quando tratan de encubrir defectos agenos.* Naturam illi humanam exuentes mores diuinos æmulantur.

SECTIO IV.

Fratris Querimonia.

TEXTVS.

VERS. 25. ERat autem filius eius senior in agro, & cũ veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum. 26. Et vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent. 27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum saginatum; quia saluum illum recepit. 28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit Patri suo: Ecce tot annos seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. 30. Sed postquam filius tus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit: occidisti illi vitulum saginatum. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. 32. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Filio seniori.

1. *Filius senior Scribas & Pharisæos murmuratores exprimit. Luc. 15.*

ERAT *autem filius eius senior.*] Quinam hic? Certè imago Scribarum, & Pharisæorum. Diaerat Lucas. *Erant appropinquantes Christo Publicani, & peccatores, vt audirent illum; & murmurabant Scribæ & Pharisæi dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* cap. 15. Quemadmodum Christus Publicanos, & Peccatores recipiebat, & manducabat cum illiis: ita Pater hic Prodigum peccatorem filium recipit, & cum illo epulatur. Quemadmodum vero Pharisæi & Scribæ aduersum Christum, & peccatores murmurabant, & cum illis manducare nolebant: Sic filius senior murmurauit aduersus Patrem, & fratrem peccatorem, nolebatque ad conuiuiũ introire. Theophylactus, *Volebat Dominus corrigere Scribas, & Pharisæos. Quasi diceret, Non debetis indignari, quod peccatores admittantur à flagitiis redeuntes.* (*Theoph.*)

2. *Querimonia senioris filij similis Scribarum, & Pharisæorũ murmuri.*

Indignatus est, & nolebat introire: Ecce tot annis seruio tibi, &c.] Hæc filij senioris querimonia Scribarum & Pharisæorum murmurationi similis. Pharisæos ergo, & Scribas docet Dominus, non esse sibi vertendum vitio, quod peccatores recipiat, & manducet cùm illis. Siquidem nemo vitio dabit Patri, quod Prodigum filium exceperit pœnitentiam agentem, & cum ipso fuerit epulatus. Indicat præterea Pharisæos, & Scribas dignos reprehensione, quod inuidia excitati, aduersus Dominum, & peccatores murmurent; quemadmodum dignus reprehensione erat filius senior, quod de Patre, ac fratre detraheret ac conquereretur affectus inuidia: cum potius affici exultatione debuisset.

3. *Difficultati respondetur.*

Verum nostræ expositioni agnata est difficultas. Filius senior iustorum gerebat imaginem: quomodo ergo iustorum simul, ac Pharisæorum murmurantium gerebat imaginem? Respondeo, diuersa ratione seniorem filium iustorum, & Pharisæorum personam egisse. Quia cum Patre mansit, & mandata eius obseruauit: iustorum typum exerit; quia autem de Patre, ac fratre haud benè locutus est, iustumque se, & mandatorum obseruatorem, fratrem autem peccatorem esse existimabat: Pharisæorum, ac Scribarum obmurmurantiũ, iustitiamque sibi arrogantium, & peccatores contemnentium, personam exposuit.

4. *Iudæi & Ethnici filius iunior, & senior; quorum accommodatur hæc clausula.* (*Ambros. & alij.*)

Porrò ex sententia Patrum Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & aliorum senior hic filius Iudæos, filius iunior Ethnicos, vt supra asseruimus. Populus itaque Ethnicorum qui substantiam suam idola colendo, dissipauerat, magna cum lætitia à Deo exceptus est. Populus vero Iudæorum intrare renuit domum, id est, Ecclesiã, in qua & symphonia est, & chorus, & vitulus saginatus: ægre fert, & indignatione afficitur. At piissimus Pater, vt in Ecclesiam intret ineatque epulum, enixe rogat. Ambrosius, *Gentibus Iudæi beneficium paternæ benedictionis inuiderunt.* (*Ambros.*) Augustinus, *Indignatur nunc Iudæus, & non vult intrare. Cum vero plenitudo Gentium introierit, egredietur Pater, vt etiam omnis Israel saluus fiat.* (*August.*) Ambrosius, *Iudæus hædum requirit, Christianus agnum. Ideo illis Barabbas soluitur, nobis Agnus immolatur.* (*Ambros.*) Plura mitto, quorum in Panegyrico nonnulla illustrabo Patrum testimonia.

IN

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS.
CIRCA LITERAM,

EX FRATRIS QVERIMONIA.

OBSERVAT. I.
Ad illa verba:

Erat autem filius eius senior in agro, &c.

Filij senioris, siue Pharisæorum, & Scribarum inuidiam taxo.

Asserens prudentem Patremfamilias à Deo Patre hominum edoceri, studium impendendum, ne domesticis speciatim fratribus, inuidiæ occasio exhibeatur.

5. August. Anselm.

AVGVSTINVS, *Populus Israel erat in agro.* Anselmus, *Id est, in terrenis operibus, longe à consilio Patris. Audiuit ergo Iudaicus populus symphoniam, & chorum. Symphonia est collatio quorumcumque sonorum, & chorus vocum.* Augustinus pergit, *Audiuit Iudæus Apostolos Spiritu sancto plenos consonis vocibus Euangelium prædicare Gentibus. Inuidia affectus indignatur irate, & non vult intrare.* Aptè ergo Dominus inuidos Pharisæos taxat, indignum enim filij Dei piaculum, inuidia. Si paruulos occidit inuidia, quid cum magnis Dei filiis vitium paruulorum? Profectò inter fratres inuidia præcipuè taxanda. Vnde fratrem inuidia affectum aduersus fratrem curat Pater benigna correptione reprimere.

6. *Nulla occasio inuidiæ data est à Patre filio seniori.*

Enim verò videtur Pater non tam filij senioris inuidiam taxare, quam ostendere, nullam se ei inuidiæ occasionem exhibuisse, cum gaudere, & epulari oporteret, quia Prodigus *mortuus fuerat, & resurrexit: perierat, & inuentus est.* Profectò nihil magis Paterfamilias vitare debet, quam occasionem inuidiæ fratribus, ac domesticis exhibere.

7. *Deus familiæ Iudæ curat non dare inuidiæ ansam.* Iudic. 1. Abul.

Olim *consuluerunt filij Israel Dominum, Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli? Dixitque Dominus: Iudas ascendet.* Iudic. 1. Iudas, id est Tribus Iudæ, vt placet Patribus, præcipuè Chrysostomo. Cur ergo Deus non vnum aliquem Ducem ex illa Tribu nominatim assignat? Pater Deus Iudaicæ familiæ curat inuidiæ occasionem auferre, *ne vno fratre prælato, alius irritetur.* Sic Abulensis ad cap. 20. Iudic. quæst. 19.

8. *Christus familiæ Apostolorum Pater non laudat apertè Ioannem ne fratres inuideant.*

Loquutus aliquando Dominus de quibusdam Discipulis, qui cæteris præferendi erant, vel potius de vno Ioanne, vt placet aliquibus, futuro superstite vsque ad iudicij instantiam: profatur, *sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei veniens in virtute.* Marc. 9. Cur non apertè de Ioanne id asseruit, sed de quibusdam? Respondet Euthymius, *Occultauit nomina, ne cæteros contristaret; nam indignos arbitrati doluissent se despici.* Et occultauit Ioannis nomen, & innuit non solum futurum superstitem; quia Paterfamilias vel sanctæ communitatis debebat procurare, ne fratribus inuidiæ causa exhiberetur.

Marc. 9. Euthym.

9. *Duodecim commendat, ne Iudas occasionem arripiat inuidiæ.* Matth. 19.

Alibi Dominus Discipulis, *sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Israel.* Matth. 19. Tunc aderat Iudas vnus è duodecim. Quare igitur qui occupaturus non erat sedem vllam iudiciariã (quia Episcopatum, eius alter erat accepturus) non excluditur à promissione: Sedebitis & vos super sedes vndecim, Iuda dempto proditore? Porrò Paterfamilias non solum filio frugi non debet occasionem inuidiæ exhibere: verum nec Prodigo vnico fratri. Pulchrè Euthymius, *Quid ergo? Iudas ne etiam sedem habebit, & condemnabit? Nequaquam; communis enim facta est promissio ad duodecim Discipulos, ne per hoc Iudas in vllo cæteris deterior appareat:* & inuidiæ occasio ministretur.

Euthym.

10. *Paulus scribens ad Hebræos, se nõ nominat vt aliis scribens; ne fratribus det causam inuidendi.* Rom. 1. Hebr. 1. Thom.

Cunctas suas Epistolas Paulus proprio nomine insignit. Romanis scribens, *Paulus seruus* IESV *Christi.* cap. 1. Corinthiis, *Paulus vocatus Apostolus.* Galatis, *Paulus Apostolus non ab hominibus.* Ephesiis, *Paulus Apostolus* IESV *Christi.* Et sic de reliquis. At Hebræis scripturus, *Multifariam*, inquit, *multisque modis Deus loquens Patribus.* cap. 1. Quare hac in epistola Apostolus suum nomen silentio pressit, quod in aliis præscripserat? Fratribus Paulus scribebat familiaribus, quibus non oportebat inuidiæ alicuius occasionẽ impendere. Perpulchrè Angelicus Doctor, silet nomen, *quia Iudæus erat, & domestici non bene sustinent excellentiam* fratrum *suorum.*

11. *Curat Deus à Moyse auferre inuidiæ causam.* Num. 11. Abul.

Moysi electuro septuaginta illos seniores Dominus ait, *Auferam de spiritu tuo tradãque eis.* Num. 11. Vbi Abul. q. 43. requirit, Cur non dixit, *Dabo de spiritu meo?* Respondet acutè, *Ne Moyses alicui inuideret.* Familiæ enim Israeliticæ Pater curauit nulli fratrum occasionem inuidię exhibere. Nam si Moyses intelligeret, nouum aliquem spiritum, vel maiorẽ, quam esset in se, senioribus attribui, ansam inuidiæ haberet.

12. *Ideo Prophetã assignato Aarone confirmat.* Exod. 7. Abul.

Addidit Moysi Deus socium Aaronẽ, fatus: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Exo. 7. Quare nõ dixit, *Erit Propheta meus?* Ne Moysi Principi videretur æqualis, & Moysi ansa inuidiæ præstaretur. Abul. *Non dixit, Erit Propheta meus, vt intelligeretur, quod esset minor eo, sicut Propheta est minor Deo.* Discant Patresfamilias sic vel benemeritos commendare, efferre, vt non detur aliis fratribus inuidiæ occasio.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hædum. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, &c.

Senior filius nimis censor criminum fratris iunioris ipsa in criminatione commissorum fratris se se ostentat in grauiora prolapsum.

Permittitur in grauiora piacula prauolui, qui fratrum nimium crimina exaggerat.

12. Ambros. *Hædum impie petit, qui nimius zelator criminũ fratris.*

MAlè audit apud Patres illa senioris filij hædi petitio. *Nunquam dedisti mihi hædum.* Ambrosius, *Iudæus improbus hædum requirit, ideò illi Barabbas soluitur.* Vndenam hædi postulatio exitialis obiicitur? Hædus animans perolans, & lasciuum, ad sinistram Domini collocandum typum gerit improborum damnationisque æternæ agit simolacrum. Quid magis impium, quam conqueri hominem, quod à Patre cœlesti & vitia, & damnationem non acceperit, quæ quidem postulauerat? Merito planè in grauiora prolapsus est, qui nimium se censorem criminum fratris ostendit: *Filius tuus hic*, (nec enim fratrem voluit appellare) *qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus.* Dum ergo exaggerat fratris crimina, se in grauiora piacula prolapsum ostendit.

13. *Qui exaggerant adulteræ fœminæ piaculum, in deteriora adulterium prolabi permittuntur.* Ioan 8.

Ad Christum Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam attulere. *Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Ioann. 8. O fœminam impudicam lapidibus meritò obruendam. Porrò Dominus *digito scribebat in terram.* Quidnam scriberet? Aliquis ingeniosè asseruit expressisse, *Qui stas vide ne in grauiora adulteria prolaberis.* Id sane, permittente Domino, Iudæis obuenit in exaggerationis criminis alieni supplicium; adulterio enim fœdiori contaminati sunt, dum cœlestem sponsum reliquere, post amatores tartareos properaotes. Vnde à Domino adulteri vocuantur: *Generatio mala, & adultera.*

14. *Ruben qui Sichẽ exaggerat stuprũ in fœdiorem libidinem proruit.* Gen 34. Gen. 35. Lipom.

Dina à Sichem constuprata fratres vindicatores acerrimi insurrexere. Gen. 34. At Ruben vnos ex nimiis vindicatoribus stupri fœdiore se se immediate libidine contaminauit, *Dormiuit enim cum Bala cõcubina patris sui.* Gen. 35. Vndenam permissus adolescens in tam horribile piaculom incidere? Certè nimij exaggeratores criminis alieni assolent permitti ad grauiora proripi. Lipomanus, *Acerrimi quidem filij Iacob aduersus Sichimitas insistebant, sed non sine Dei offensa, quam casus maioris criminis postea vindicauit; cum eorum maior Ruben patris cubile fœdaret, longè turpiori scelere, quàm Dina. Sinit enim iustitia Dei tam zelosos in aliena peccata vindices turpius nonnunquam peccare.*

15. *Petrum nimium censor criminis serui Pontificis, triplici abnegatione se contaminat.* Ioan. 18.

Aliis in criminibus exaggeratis exemplum exhibeo. Comprehenditur Dominus, Petrusque perfidiam taxans comprehensorum, serui Pontificis auriculam amputauit. *Habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum.* Ioan. 18 O nimium zelum? Cur auriculam amputasti? Tam egregia perfidia militum, vt vel indigni, qui auribus audiendi vnquam ad percipienda fidei præconia donentur. O Petrum nimium perfidiæ alienæ censorem! Vereor ne in grauiorem perfidiam prolabi permittaris. D. Cæsarius Dial. 4. *Putabat Petrus illos nunquam per pœnitentiam dignos habendos benignitate. Permisit ergo ipsum cadere Dominus, propter percussum Pontifici is seruum, & amputatam eius aurem.* Nolo Petrum piacula exaggerare ad libram afferendo, nam Iudæorum comprehensorum perfidiam superarent: id solummodo ex Ausonio excribens: *Maior filij, quam serui ingratitudo.* Illud scio propter amputatam auriculam, id est, ob perfidiæ serui exaggerationem filium primogenitum permissum fuisse in triplicis procumbere abnegationis barathrum: *Permisit, ipsum cadere Dominus, propter amputatam* Pontificis serui *aurem.*

Cæsar. Auson.

16. *Qui exaggerant piaculũ (haud verum sed impositum) Apostolorũ vellentium Sabbatho spicas, die magna Sabbathi Christum occidere permittuntur.* Matth. 10. Athan.

Abiit IESVS (Matthæus ait) *per sata sabbatho. Discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet eis, facere sabbathis.* Matth. 10. Profectò Dominus permisit nimios piaculi alicui (existimati quidem falso) censores in grauissimam sabbathi violationem incidere, Dominum dum neci addixere. Athanasius hom. de semente. *Illi, qui esum in sabbatho pro crimine obiiciebant, ipsi eadem in Dominum ipso sabbatho moliuntur. Refert autem Scriptura in Euangelio de die in quo Dominus passus est. Erat autem dies illa magna sabbathi. Legis ergo latorem iidem per Sabbathi diem è medio tollunt, & Discipulos vesci in Sabbatho non permittunt.*

17. *Qui exaggerat proximorum delicta, tunc ipsum se fœdiori piaculo reum ostentat.* Luc. 18.

Verum qui exaggerant proximorum excessus, non solum postmodum permittuntur in grauiora prolabi; sed in grauioribus piaculis cõtaminari esse manifestantur. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Domine, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti; velut hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.* Luc. 18. Audis egregia virtutis documenta? Certè non potuit Pharisæus non se grauioribus criminibus contaminatum exprimere, dum proximi piacula nimius censor exaggerat. Bernardus de Grad. humil. *Quid iste deprompsit in excessu suo? Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri. Dum in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. Nondum de suo trabem eiecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat.* Festucas trabes appellabat, exaggerans proximorum delicta: *Raptores, adulteri*, &c. Profectò ipse oculorum suorum iam trabes exponebat.

Bernard.

OBSERV.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Pater, ecce tot annis seruio tibi & nunquam dedisti mihi hædum.

Iniuste conqueritur filius senior, quod Pater eum non hædo donarit, signo quidem maledictionis.

Patris enim cælestis est, ea filiis impendere, quæ vtilia, quæ salutaria: vt parentes temporales edoceat.

18. OCcidit Pater vitulum saginatum, vt perditum sed iam restitutum filium exciperet; & senior frater iniustè conqueritur, *Nunquā dedisti mihi hædum.* Occiditur vitulus, Dei Filius immolatur, & renuit ille inire conuiuium omnino salutare: & queritur, quod non fuerit donatus à Patre cœlesti æternæ damnationis documento? An non hædi *ad sinistram* à Patre postulas deteriora? D. Hieronym. epist. ad Dam. *Nunquam Pater deteriora dat munera. Habes vitulum immolatum, ingredere, manduca. Quid hædum quæris, cui Agnus est missus. Et ne dissimules, te nescire, quod missus est, Ioannes tibi eum in eremo demonstrauit, Ecce Agnus Dei. Et Pater quidem quasi clement. & pœnitentiam tribuens, debortatur ad vitulum, non immolans hædum, quem stare scit ad sinistrā.* Parentes terrenos cœlestis edocet Pater filiis non noxia, sed vtilia munera præparanda.

Hieron.

19. Qui *proprio filio suo non pepercit* vitulum saginatum filio Prodigo præparaturus: paternam omnino exprimit pietatem. D. Bernard. serm. 16. in Cant. *Non est, quod a Patre formides; qui etsi quando que feriat, vt emendet: nunquam tamen vt vindicet. At vero cogitantem quod Patrem offenderim, est certè quod pudeat, & si non quod terreat. Voluntarie genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deinde etiam verè Pater non pepercit Vnigenito pro sic genito. Ita ipse quidem Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium.* Vitulo præparato mihi à Patre in vitam, postulo dum delinquo hædum, sic cum hædis ad sinistram collocari? *Quanam fronte iam attollo oculos ad vultum Patris tam boni mihi, tam malus vel mihi ipsi filius.*

Pater cælestis propter adoptiui filij salutem non pepercit Vnigenito.
Bernard.

20. Terreni parentes corporis filiorum genitores præparant eis corpori à sese nato vt ilia, licet animo noxia. At Pater cœlestis corpus & animum procreauit. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Et inspirauit in faciē eius spiraculum vitæ.* Gen. 2. Vnde parentes terreni vix possunt Patres appellari. *Nolite* (ait Dominus) *vocare Patrem super terram; vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Matth. 23. Cur solus Deus Pater est vocitandus? Abulensis q. 22. in Matth. Quia *Deus est Pater non solius corporis, vt parens terrenus: sed etiam animæ*; quam quidem exaggerans Plato totum hominem esse asseruit. Ergo qui corporis Pater est solū, non assolet ea curare, quæ ad animum filij spectant. At Deus animi Pater & corporis, quod toti homini conueniens obicitur, id gestit præparare. Mater Machabæorum sic natis: *Nescio, qualiter in vtero meo apparuistis: Neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam: sed mundi Creator, qui spiritum vobis cum misericordia reddet, & vitā.* 2. Mach. 7. Preme particulam, *spiritum cum misericordia reddet, & vitam.* Dei Patris hominum misericordia & munificentia spiritum præcipuè comitatur. Non corporum solummodò commoda procurat, vt assolent terreni parentes: potiùs corpora gladio permittens, solius animi commoda procurat. Cui quidem Patri cœlesti cupiebat se vera parens terricola conformari.

Deus corporis & animi Pater, spirituale curat commodum filiorū.
Gen. 2.
Matth. 23.
Abul.
2. Mach. 7.

21. Paulus proclamat, *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Rom. 8. En Patrem vitulum filio Prodigo præparantem. Hilarius lib. 6. de Trin. hinc colligit Christum esse Filium Dei naturalem, *cui Pater cælestis non pepercit propter nos filios adoptiuos. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Quæ quidem ad eandem salutem per immolationem Filij naturalis effectam videantur attinere.

Cum Ipso Pater omnia nobis donauit pertinentia ad salutem animi.
Rom. 8.
Hilar.

22. Periander canens Principis cuiusdam epulum profatur.

Et filiis, & seruis congrua
Mensa apponi iubet alimenta

Hædi carnes seruis assolent præparari? Vitulus ergo filiis apponatur. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* 1. Ioann. 3. Vndenam te Dei filium agnoscis, imo vides? *Videte.* Certè ex conuiuio apposito, ex vitulo saginato animo vtique salutari. Tertull. lib. de Pœn. cap. 8. *Illum notissimum Patrem non tacebo, qui Prodigum filium reuocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præoptimum, conuiuio gaudium suum exornat. Quidni? Filium enim inuenerat, quem amiserat, chariorem senserat, quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus. Tam Pater nemo, quia tam pius nemo.* Ecce enim ex pietate filium ad pœnitudinē allicientem, & ei præparantem vitulum ad animi refectionem Pater verax ostenditur.

Pater seruis permittit hædum, filiis præparat vitulum animo salutarem.
Perian.
1. Ioan. 3.
Tertull.

23. Cum Prodigus reuertitur Pater ergo proferri iubet primam stolam, annulum & calceamenta præparari. Ornatui animi verè Pater studuit. Nihil illi exhibet, quod non habet veram Dei paternitatē Tert. citat. *Et si acceptum ab eo prodegeris, & si nudus redisti: si Patrem repetas vel offensū.* Cito inquiet, *afferte stolam primā, & induite illū, & date annulum in manū eius,* &c Chrysost. hom. de Pœn. *Non turbatus est Pater sed mitibus suscepit manibus. Quid ita? Quia Pater est.* Quidquid pietatis, quidquid vtilitatis excogitari potest; in Patris cœlestis manibus reperitur; vt filio impēdatur, *Mitibus suscepit manibus, quia Pater est.* Hieronymus vbi sup. *Patrem vocat, Pater, peccaui, qui se filij nomine fatetur indignum; vt scilicet dignus reddatur, qui Patrem adit.* Quonammodo dignus reddendus est? Indutus, calceamentis ornatus, pœnitens, iustus, perseuerantiæ dono affectus. Omnia inuenit, *qui Patrem adit.* Quidquid enim ad spiritus pertinet vtilitatem à Patre cœlesti accipimus filij Prodigi. Imitentur terreni parentes huiusmodi Patris veri pietatem, dum nihil filiis cupiant, aut exerant, quod ad animi præcipuè commodum non attineat.

Prius iubet Pater cælestis hominē in dumentis animi ornari, quā epulum instruā corporum.
Luc. 15.
Tertull.
Chrysost.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.

Frugi filius, qui voluntati Patris obsequutus est, omnibus apud Patrem bonis exundauit.

Bonis semper spiritualibus, & temporariis sæpe abundat, qui cœlestis Patris subditur voluntati.

24. Strab.

PArticulam, *Et omnia mea tua sunt*, sic expendit Strabus, *Omnia non semper ad totum, sed ad partem maximam refertur. Vt omnes declinauerunt: Omnes, qui venerunt fures sunt, & latrones: Omnibus omnia factus sum: Omnes, quæ sua sunt, quærunt.* Quæsierim, an aliquando *Omnia* ad totum referatur? *Non semper, sed aliquando.* Si ergo *aliquando, cur non modo?* Profectò qui Dei voluntati paret, tot bonis abundat, vt omnia possidere videatur. *Omnia, inquit, mea tua sunt.* Nec enim potest diues non esse, qui Diuitem omnium possidet Dominum.

25. *Ioseph iustus, necessario diues? quia Deum possidebat.* Luc. 23. Matth. 27. Ambros.

Lucas de illo Iosepho, qui corpus IESV petiit, profatur: *Ecce, vir nomine Ioseph nobilis Decurio, vir bonus & iustus.* Luc. 23. Matthæus autem, *Venit quidam homo diues.* cap. 27. Quem vnus iustum alter diuitem appellabit. Aptè quidem; nam qui iustus est, diuitiis abundat, Deum vtique possidens, in quo omnia bona reperiuntur. Ambrosius, *hunc Ioseph iustum dixit Lucas, Matthæus diuitem. Et merito diues dicitur vbi Corpus suscipit Christi. Suscipiendo enim diuitem nescit paupertatem.* Si iustus es Dei possessor, quonammodo non simul omnibus abundabis?

26. *Filiorum Dei abundantia.* Isai 65. Cyril.

Isaias adhæc, *Propter hoc hæc dixit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis.* cap. 65. Si serui comedunt & bibunt in domo Domini: quid filij, quorum omnia Patris sunt? Cyrillus Alex. lib. 5. in Isa. *Comedunt, inquit, qui seruiunt mihi. At vos esurietis. Nam qui natura* (nempe filij) *Deum agnouerunt, deliciabuntur verè super his benedictionibus saginantes corda.*

27. *Non datur Dei abundantia nisi iustis.* Ioel. 2.

Promisit Dominus ex Ioelis ore. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis.* cap. 2. Expende particulam, *Vinum & oleum*, qua quidem cælestium bonorum abundantia signatur; ideo adiicitur, *Et replebimini in eis.* Cuinam ergo vinum & oleum abundantiæ promittitur? Certè filio Prodigo pœnitenti, aut frugi: non peccanti. An non vulnerati à latronibus prius plagæ curantur, quam olei, & vini profluat abundantia; *Alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum.* *Luc.* 10. Haud fluit vinum, & oleum, donec vulnera alligarentur. Iustis enim cœlestis abundantia præparatur. Rupertus, *Vinum & oleum Dei dona sunt, & timentibus Deum dantur. Et frustra sumuntur, nisi quaramus vt vinum, & oleum, quod Samaritanus infudit. Quia nimirum de talibus veraciter dicitur, Et replebimini in eis. Sola namque hæc sunt quibus repleri posset vsque ad sufficientiam vacuitas nostra mortalitatis.* Curentur vulnera peccatorum, & cœlestibus bonis illicò replebimur.

Prius vulneratus peccator sanatur, quã vini & olei repleatur abũdantia. Luc. 10. Rupert.

28. *Qui triduo apud Deum morantur, replentur: quid qui semper cum Domino perseuerant? Omnia quæ Dei sunt, illorum erũt.* Matth. 15.

Premo particulam, *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Quomodo non tua mea omnia, si semper mecum commoraris? Tribus diebus Ierosolymitæ apud Dominum fuere commorati. Et quot bonis oppleti rediere? *Misereor turbæ: quia iam triduo perseuerant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos ieiunes nolo. Et comederunt omnes, & saturati sunt, & quod superfuit ex fragmentis tulerunt septem sportas plenas.* Matth. 15. Ex paucis panibus abundantia tanta? Certè qui apud Dominum triduo commorati fuerant, consequenter domus Domini fruuntur abundantia: *Iam triduo perseuerant mecum.* Basilius Seleuc. Orat. 33. *Aderat enim, qui terra latera ad fructificandum excitat: aderat, qui cœlum nubibus circummestit: aderat, qui artis industriam mortalibus est elargitus: aderat, qui portat omnia verbo virtutis sua.* Ergo si triduo possidentes prædiuitem Dominum tot bona receperunt, quanta recipiet qui nunquam non sustinet Saluatorem? *Tu semper mecum es*, & consequenter *omnia mea tua sunt.*

Basil. Seleuc.

29. *Dum Iesus imaginem peccatoris obiicit, nuduscum instus apparet, plenus donis cælestibus ostẽditur.* Matth. 3.

Apud Iordanem dum Dominus aqua diluitur, imaginem exerit peccatoris. *Baptizatus autem IESVS, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Matt. 3. Porrò columbæ descensus Spiritus sancti, seu cœlestium munerum abundantiam profluentẽ assignabat. Cur non ante Baptismum, sed postea columba conspicitur? Quia cum homo peccator apparet, nuditate, & inopia premitur. Cum autem iustus obiicitur, cunctis bonis cœlestibus opplendus ostentatur. Basilius Seleu. Orat. 39. *Flumine Christum circumdedit, baptizatum vero superne fausta acclamatione prosequebatur, Et ne eum ipsum, qui Baptisma in Iordanis fluento primum instituit, gratia inopiam secum detulisse verbis vrgeat: ideo Pater cum clamore praconium fecit, spiritus volatu indicium.* An non ex iudicio, seu iustitia debetur iustis abundãtia?

Basil. Seleuc.

30. *Si Deus Pater vester est ob iustitiã, seu gratiã; omnia eius vestra erũt.* Luc. 12.

Ideo Dominus. *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Luc. 12. Pater vester est Deus? Omnia eius vestra sunt. *Si omnibus indigetis*, solùmodò procurate cum Domino Patre esse, & consequenter omnibus donabimini. Qui Pater ex affectu, & ex natura est, non indiget monitis, aut precibus, vt occurrat, & donet: sufficit filios apud se conspicere omnibus indigentes, vt omnibus implere procuret. Fili tu semper mecum es? ergo omnia tua sunt? quia ex affectu, & ex natura Pater ostendor. Iob dixit, *Pater eram pauperum.* cap. 29. Premè verbum, *eram* ex Gregorio lib. 19. Mor. cap. 14. profante, *Plerumque multa homines pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes diligunt; Sed quia si minime tribuant, iram iudicij supremi formidant: qua si Deum non metuerent, qua habent, dare noluissent. Quia igitur aliud est, bonum opus ex pracepto, aliud vero ex affectu facere: sanctus vir vt mentem nobis sua operationis insinuet, dicit: Pater eram pauperum. Non enim patronum se, vel proximum, vel nutritorem pauperum: sed Patrem fuisse testatur, quã nimirum magno charitatis officio studium misericor-*

Iob. 29.

dia

dia vertit in affectum naturalem eos quasi filios cernere per amorem, quibus quasi Pater praerat per perfectionem. Si homo dum Pater ostenditur, tam munificum se ostendit in pauperem: Deus iustorum cœlestis Pater quam munificus se se exhibebit, qui nunquam à domo recesserunt: aut post recessum, præmissa pœnitudine reuertuntur?

PARS ALTERA.

OVICVLA, DRACHMA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimumquintum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum locutum in Parabolis.

PROLVSIO.

SCRIBIS, & Pharisæis Christi familiaritatem cum Publicanis, & peccatoribus molestè ferentibus, illisque de IESV, quod peccatores reciperet, murmurantibus, Parabolis ostendit, quam Deo, & Sanctis grata sit & iucunda peccatorum conuersio. Inducitur ouis centesima, quam amissam reperiens humeris lætus imponit, amicis ad epulum eius gratia vocatis. Addit huic confinem, quam de drachma perdita recenset magno inuenta cum gaudio. Cum Pastor humeris ouiculam reportat ad gregem, cum simul Crucis pondere pergrauatur: Deiparens gaudet patientem vt ouiculam redemptam aspiciat. Ait Richardus Laur. lib. 4. de Laud. Virg. *Quodammodò dulcis visa est Mariæ angustia passionis Pastoris Vnigeniti sui, licet ei mente compassa sit, ob desiderium salutis ouiculæ perditæ, id est, generis humani. Vnde dulce lignum, dulces clauos non solum Pastori patienti, sed & Matri compatienti; quia per amaritudinem tormenti sciebat ouiculam, seu genus humanum rediturum ad dulcedinem Paradisi*; vt scilicet cum nonaginta nouem, id est Angelis centesima ouicula moraretur.

Richar. Laur.

LVCAS. CAP. XV.

VERS. 1 ERANT autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores, vt audirent illum,

PARAPHRASIS.

1. CVM conflueret ad Iesum vniuersa populi multitudo, nec ille quemquam submoueret: ausi sunt etiam ad illum accedere propius Publicani quidam, & peccatores: quod genus hominum Pharisæi solent abominari.

2. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes, Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

2. Hi intus pleni liuore, odio, superbia, tamen sibi iusti, aduersus Domini clementiam obmurmurabant. Hic, inquiunt, qui nouam quandam sanctimoniam profitetur, tamen non vitat malorum consortia; cum illis loquitur, & manducat, non cogitans, quod malorum contubernio boni contaminentur.

3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens.

3. Iesus autem vt fastum hunc ex suorum animis penitus eximeret, tres apposuit parabolas.

4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues; & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?

4. Prima sic habet. Est ne vestrum quisquam cui sint oues centum? Nimirum sua cuique res chara est, nec cupit aliquid inde perire. Quid faciat autem, si è centum ouibus vnam contingat aberrare? An non vnius damno tantopere commouebitur, vt relictis nonaginta nouem in deserto, sollicitus cursitet ad illam, quæ perit: neque conquiescat donec inuenerit.

5. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens:

5. Quid si perditam ouiculam inuenire contingat? Gaudens, eam suis imponet humeris, & gregi iungit, lætior de vna recepta, cui timuerat; quam totius gregis incolumitate.

6. Et veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.

6 Tanta est gaudij magnitudo, vt se se non contineat, quin & apud alios effundat. Nam domum veniens, amicos conuocat, & vicinos, & perinde quasi insigni lucro auctus, profatur. Gratulemini mihi, quandoquidem decet inter amicos esse omnia communia; quoniam inueni ouem, quæ mihi perierat.

7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

7. Illud affirmo vobis, quod quemadmodum Pastor ille ob vnicam ouiculam receptam cum amicis, & vicinis suis gaudet ita maius erit gaudium omnibus Angelis in cœlo de vno peccatore resipiscēte; quam de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia.

8. Aut quæ mulier habens drabens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam; nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?

8. Altera Parabola sic habet Quæ est inter vos mulier, cui si ex decem drachmis vna perierit, vnius nummi damnum negligat, cum nouem sint incolumes? Quid igitur præstabit? Accendet lucernam, totam euerret domum: omnes angulos scrutabitur, non faciet quærendi finem, donec perditam drachmam inueniat.

9. Et cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.

9. Quod si contingat inuenire, tantum est de vna recepta gaudium, vt sibi non temperet, quin apud amicas suas, & vicinas effundat: Gratulemini (profans) mihi, quod inuenerim drachmam, quæ mihi perierat. Non iactat nouem drachmas, quæ non periere, de vna recepta gloriatur: & hæc vna sibi videtur, quam nouem illis locupletior.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.

10. *Si mulier sic est erga nummos affecta suos, vt doleat, quidquam perire: & vt vehementer gaudeat, sufficit, receptum esse, quidquid perijt, quamuis pusillum: quanto magis Deus nihil volet perire ex hominibus, pro quibus servandis se ipsum impendit, quos ad imaginem suam condidit?*

Tertia Parabola superius exposita.

SECTIO V.

De Ouicula.

TEXTVS.

VERS. 1. ERant autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores, vt audirent illum. 2. Et murmurabant Pharisæi, & scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues; etsi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam. 5. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens. 6. Et veniens domum, conuocat amicos, & & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. 7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De appropinquantibus Peccatoribus ad Iesum, & Pharisæorum murmuratione.

1. *De Peccatoribus appropinquantibus ad Iesum.*

ERANT *appropinquantes*, &c.] Aliqui exponunt de consuetudine accedendi ad IESVM: *Erant appropinquantes*, id est, *solebant appropinquare* IESV *Publicani, & peccatores.* Facilius exposuero de peculiari tempore: *Erant quadam die appropinquantes Christo Publicani, &c.* Anselmus, *Publicani, qui publica vectigalia exigunt, vel conducunt, & qui lucra seculi per negotia sectantur ac refferunt ad* IESVM *Et peccatores* Theophylactus, *Exequebatur enim causa carnem susceperat, admittens peccatores vt medicus ægrotos.*

Anselm. Theophyl.

2. *Vt audirent, accedebant.*

Vt audirent illum.] Ducebantur illi audiendi Dei verbi cupiditate. Ex Græco, *Erant appropinquantes ei omnes Publicani, & peccatores.* Exurgat Concionator in præcepto, quod prædicat: det operam auditorum vtilitati: & Synagoga populorum circumdabitur.

3. *De murmuratione Pharisæorum.* Anselm.

Et murmurabant Pharisæi.] Dum peccatores appropinquabant, Pharisæi animo à Domino recedebant. Vndenam murmuratio illa? Quia & se iustos existimabant, & Publicanos vitiis infectos habebant. Anselmus, *Dupliciter errant, qui & se iustos putant, cum sint superbi, & illos reos, cum iam pœniteant.* Quam à vera illi iustitia alieni! Gregorius, *Vera iustitia compassionem habet, falsa indignationem. Quamuis & iusti soleant recte peccatoribus indignari, non ex superbia, sed ex zelo: & dum foris increpant, intus charitatem seruant.*

Gregor.

4. *De particula, Quia.*

Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.] Particula, *Quia*, hic non reddit causam, sed significat *Vtique.* Quid laudabilius, quam peccatores benignè recipere, vt iustos consuetudine, ac societate reddat? Assolent murmuratores ex rosa venenum exprimere. Quis vnquam medico detraxit: quod curandos reciperet ægrotos, suoque officio fungeretur? Theophylactus, *Dominus illud faciebat, cuius gratia incarnatus est, accedens ad Publicanos, & peccatores tanquam Medicus ad infirmos. Qui autem peccatores erant, murmurationem tantæ humanitati rependebant.* Profectò hic erat Pharisæorum mos, peccatorum, ac Publicanorum conuiuia, & societatem fugere, ideoque obtrectabant Domino, quod eorum recessum non æmularetur. Id ipsum alibi Domino obiecerunt, *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?* Matth. 9. *Ecce homo vorax, & potator vini: Publicanorum, & peccatorum amicus.* Luc. 5.

Pharisaica murmuratio iniusta. Theophyl. Matth. 9. Luc 5.

5. *Prohibere-turne lege conuictium cum Publicanis?* Strab. *Auctoris sententia.* 1. Cor 5.

Rogas, an lex cum Publicanis, & peccatoribus societatem prohiberet? Ad illud: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, profatur Strabus, *Quasi dicant contrarius est legi, quæ hoc prohibet.* Sentio cum Abulensi, & aliis, in lege veteri non fuisse prohibitum cum peccatoribus, & Publicanis versari, & epulari. Fateor Paulum scripsisse, *Si is, qui frater nominatur*

inter

inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. 1. Cor. 5. Sed cum Caietano respondeo Paulum hoc Corinthiis præcepisse, vt hac pœna criminum reos contumaces afficeret, Fugiant peccatorum consortium, qui exemplo improbo timent ad vitij properare ditionem. At Pastores, & Medici peccatores non fugiant, sed cum illis epulum si fert occasio, instituant, vt morbis animi adhibeant medicamen.

Caietan.

§. II.

De Ouicula amissione & inuentione.

6. *Appositio primæ parabolæ.* Gregor. Strab.

ET *aie ad illos parabolam istam.*] Gregorius, *agros cœlestis Medicus blandis fomentis curat.* Strabus, Quasi diceret: *Murmuratis, quia peccatores recipio; Sed ego non veni, nisi vt aberrantes colligam sicut vnusquisque vestrum errantem ouem reducere laborat.*

7. *Parabola cortex, & medulla.*

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues.] Tribus parabolis Dominus ostendit, Deo gratissimam esse peccatorum conuersionem: ideoque eorum consortia, & conuiuia non esse fugienda. Primùm ergo Pastoris quærentis erroneam ouiculam obiicit, cuius cortex facilis omnino, nec medulla difficilis. Deus suas habet oues nempe homines, quarum aliquæ amittuntur, cum peccato lethali defœdantur. A Deo quæritur ouicula erronea, cum diuinis inspirationibus, aliisque auxiliis ad pœnitudinem allicitur. Inuenitur, cum pœnitentiam agit. Ouis inuentio magnam lætitiam Pastori affert: hominis inuentio gaudio ineffabili, Conditorem afficit, & Cœlicolas.

8. *Quid oues nonaginta nouem.* Theophyl.

Et si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto.] Quidnam oues nonaginta nouem in deserto dimissæ? Theophylactus, *Dicunt nonnulli centum oues omnem creaturam rationalem, vnam autem ouem rationalis naturæ hominem, quem errantem requisiuit Pastor bonus, relictis nonaginta nouem in solitudine, hoc est, Angelis in supremo loco cœlesti.* Augustinus nonaginta nouem ouibus superbos homines signari putat, qui in deserto, siue in solitudine dimittuntur; *quia solitudinem animo gerunt, dum solos se videri volunt.* Oue autem perdita peccatores, qui per pœnitudinem Deo reconciliantur. D. Gregorius hom. 44. in Euang. asserit, Deum centum oues habuisse, cum Angelos, & hominem creauit: ex his centum vnam periisse, nempè hominem: nonaginta autem nouem ouibus, id est, Angelis in deserto, seu cœlo dimissis, Christum ouem illam vnicam, hominem, quæsisse. Hærescunt Beda, Ambrosius, Haymo, Strabus, Anselmus, & alij.

August.

Gregor.

Beda. & alij.

9. *Auctoris sententia.* Theophyl.

Ego quidem centum oues homines esse reor, quorum nonaginta nouem iusti, vnus peccator. Theophylactus, *Per nonaginta nouem oues homines iusti indicantur: per vnam verò ouem peccator ostenditur.* Placet magis hæc expositio quia in præsenti Dominus de vno disserit peccatore cuius pœnitudo maius superis affert gaudium, quam nonaginta nouem iustorum sanctitas. Sensum sic expendo: Deus gregem habet homines similem centum ouium gregi. Ex hoc grege vna perit ouicula, vnus homo se piaculo maculat. Dimittit Deus nonaginta nouem oues in deserto, in pascuis solitis, id est, iustos solita in gratia dimittit: & ouem requirit amissam, hominem quæritat peccatorem.

10. *De Pastore super humeris apponente ouiculam & exultante.*

Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos.] Qui ouem inuenit, quam amisit, humeris exultans apponit, domumque veniens, amicos & vicinos conuocat fatus: *Congratulamini mihi.*] Græcè. συγχάρητε, *Gaudete mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Gaudium Christi & Angelorum ex peccatoris conuersione signatur. Gregorius ait, Deum humeris imposuisse ouem, quia humanam naturam assumens peccata nostra portauit. *Humeris portauit Christus ouem, quia hominum crimina humeris suis soluenda imposuit, iuxta illud: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 1. Pet. 6. *Inuenta oue, id est, homine redempto, domum rediit Christus, id est, in cœlum, & dixit amicis, & vicinis Angelis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem, id est, hominem.* Consentit Beda, Haymo, Strab. Chrysologus ser. 168. & Caietanus.

Gregor.

1. Pet. 6.

Beda. & alij.

11. *Loquitur Christus hic loci de conuersione cuiusuis peccatoris particulari.* Ambros.

At Christus non videtur præcipuo sensu hoc loci, de communi loqui redemptione: sed de conuersione cuiusuis peccatoris particulari, quæ cœlo affert gaudium. Ambrosius, *Angeli, quia rationabiles sunt, hominum conuersione lætantur. Proficit hoc ad incentiua probitatis, si conuersionem suam quisque gratam fore credat Angelis, quorum affectare patrocinium, aut vereri debet offensam.* Certè Dominus, vt reprimeret murmurantes, quod reciperet peccatores, & cum illis ederet: parabolam expressit; ergo de peccatorum conuersione, quam hærescens illis procurabat interpretanda est. Strabus, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues,* &c. *Quasi diceret, Murmuratis, quia peccatores recipio; sed ego non veni, nisi vt aberrantes colligam: Sicut vnusquisque vestrum errantem ouem reducere laborat.*

Strab.

12. *Quomodo maius gaudiū de vno peccatore, quam de nonaginta noū iustis.*

Ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.] Quomodo maius gaudium sit illud, quod ex conuersione peccatoris vnius percipitur, quam ex nonaginta nouem iustis? Aliqui respondent nonaginta nouem iustos hoc loci appellari superbos Pharisæos, non quod re ipsa iusti essent: sed quod sibi iusti viderentur. Obiicis, appellari à Domino iustos eos, qui non indigent pœnitentia: Pharisæos autem pœnitentia indiguisse. Certè Pharisæi eo modo non indigebant pœnitentia, quo iusti erant: erant iusti existimatione sua, eadem existimatione sua pœnitentia non indigebant.

13. *Auctoris expositio.*

Attamen de verè iustis locum expono: pœnitentia quidem non indigentibus, quæ deleat mortalem culpam, & ad statum gratiæ transferat. Est itaque maius gaudium *super vno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia;* quia ex conuersione, & pœnitentia peccatoris noua quædam & actualis exoritur lætitia quæ non perfluit ex iustis quibus nil noui accidit. Quemadmodum ex inuentione ouis perditæ nouum quoddā, & actuale gaudium nascitur in Pastore, quod non exoritur ex ouibus, quæ in pascuis remansere. Certè res amissa, cum inuenitur, noui est gaudij materia. Augustinus lib. 8. Conf. cap. 3. *Amplius anima delectatur*

inue

inuentis, aut redditis rebus, quas diligit: quam si eas semper habuisset. Quis fruitur salute, perdit: maius quidem percipit gaudium recuperata, quam longo tempore possessa receperat. *ager* (addit Doctor) *est tibi charus, & vena eius malum graue denunciat; sit ei recto, & nondum ambulat pristinis viribus: & fit iam tale gaudium, quale non fuit, cum antea saluus, & fortis ambularet.*

14. *D. Gregorij de feruidis, & tepidis explicatio.*

Non silentio inuoluenda D. Gregorij de iustis tepidis, & de peccatore magno animi ardore pœnitentiam agente, expositio. *Maius erit gaudium super vno peccatore pœnitentiam ardenter agente, bonisque operibus insudante: quam supra nonaginta nouem iustis, qui pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia sibi securi sunt, quod non commiserint mala grauiora.* Exemplo confirmat, *Dux in prælio plus eum diligit militem, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit. quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fructus profert: quam eam, quæ nunquam fertilem messem produxit.*

IN IESVM LOCVTVM
In parabolis

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS.
CIRCA LITERAM,

EX OVICVLA.

Obseruat. I.

Ad illa verba:

Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis: nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, &c?

Pastor oues in deserto dimittens, haud de relictas agit, committens eas solitudinis custodiæ.

Quam securus obiicitur, qui abstractus à tumultu in solitudine commoratur!

15. Mirabar, Pastorem nonaginta nouem oues sine custode derelinquere, vt vnicam inuenire posset. Charior ne illi vnius hominis, quam nonaginta nouem salus? Minimè. Ita enim Pastor deperditæ ouiculæ studet inuentioni, vt reliquas oues nulli discrimini obiicere videatur. Cuinam igitur custodi oues cunctas commisit? Certè deserto, quod assolet accuratissimè homines custodire. *Dimisit nonaginta nouem in deserto.* Exposuit Anselmus, *In loco, qui desertus est ab homine peccante.* Vbi non adsunt mundiales delinquentes, vbi homo solus abstractus à peccatorum frequentia commoratur, securissimè degit, lupi non timet irruptionem.

Anselm.

16. *Ouis Elias vt Iezabelicam lupam fugiat, in desertum se recipit. 3. Reg. 19.*

Elias ouicula nonquam perdita à Pastore Deo custodienda accuratissimè, ad desertum adducitur. *Misit Iezabel nuncium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis.* Occiderat Iezabel gregis Domini multas oues. Quid ergo faceret ouis charior Pastori? *Timuit ergo Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. & perrexit in desertum viam vnius diei.* 3. Reg. 19. Ibi pascitur ouis, ibi custoditur, ibi lupæ rabiem non timet. Quid fugis Propheta? An fœminæ iratæ vulnera? Timet ille sæculum, à quo abstractus, apud desertum manet, nullius lupi impetum formidans. Ambrosius de fuga secu. cap. 6. *Non mulierem fugiebat Propheta tantus, sed sæculum: nec mortem timebat, sed fugiebat sæcularem illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impia, atque præuaricatricis Nationis sacrilegia.*

Ambros.

17. *Ventus ex deserto perflans mortē fugat ab oue fideli. Ose. 13.*

Ouium Ephraïm direptionem Dominus ore expressit prophetico: *Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis.* Ao peribit omnino misella ouicula? O Pastoris requirentis studium! *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero, inferne.* Quonammodo Deus gregem perditum recuperauit? *Et adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venas eius.* Ose. 13. Ansel. *Et siccabit venas mortis.* Ac si diceret, Tam salutare desertum est ouibus meis, vt ventus è deserto perflans vim habeat ad vulnera exitialia medicamine afficienda. Liceat vulgariter expendere. *Sanara, y repararasse la oueja, con solo que la de el ayre del desierto.* Quid si in deserto maneat?

Anselm.

18. *Deserti habitatio desiccat mortis humores ad ouium vitam.*

Ideo Elias ad desertum aufugit, vbi aderat venarum mortis exsiccatio. Pulchrè Ambrosius hoc Osee testimonium aspiciens, de Elia aduertit, *Helias fugit ad montē Horeb, quod significat exsiccationem; vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis*, & cognosceret plenius Deum. Nam si ex deserto ventus profluens curat ouium vulnera, ipsius deserti commoratio efficacius noxios exsiccabit humores, à luporum vulneribus (mysticè) contractos.

Ambros.

19. *Ouis Abraham, totusque grex electus in deserto custoditur, cū in vrbibus morantes oues pereant. Gen. 12. Chrysost.*

Ouis Dei Abraham, imò sacer familiæ electæ grex *transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum.* Gen. 12.

Gen. 12. Chrysost. legit, *Castra mutatur est in solitudine.* Barbari Reges Sodomorũ Vrbes, instar luporum diruerunt; sed vnam Abrahami in solitudine habitantis casulam diruere minimè potuerunt. Fatur Doctor hom. 17. ad Pop. *Cella Abraha vilis, & parua, & nullum habens munimẽ. Sed exorto bello barbarico, Vrbes quidem mœnibus munitas suffoderunt & ceperunt barbari. Solitudinis autem ciuem Abraham non pertulerũt. Nec immeritò*, &c. Si apud solitudinem, seu desertum ouis commorabatur, quonammodo posset luporum in rabiem incidere?

20. *A lupo Antichristo grex fideliũ in deserto custodi[e]tur.* Dan. 11. Hieron.

Cum rabidissimus lupos Antichristos Christicolarum sanguinem sitiens Dominicum gregem expetet comminuere: Pastor cœlestis eum ad deserti validissimam custodiã adducet, fante Daniele, *Introibit in terram gloriosam, & multa* (oues) *corruent. Hæ autem sola saluabuntur, de manu eius Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.* cap. 11. Vbi Hieronymus, *Antichristus Idumæam, & Moabitas, ac filios, Ammon, id est, Arabiam relinquet intactam; quia illuc sancti ad deserta confugient.* Quomodo vinci poterunt, quæ solitudini custodi oues committuntur.

21. *Apud desertum cui fideli palma contra lupos præparatur.* Iudic. 4. Abul.

In deserto noli timere, pusille grex, quia cõplacuit Pastori tuo dare tibi palmam, lupis debellatis. Debora olim *sedebat sub palma, qua nomine illius vocabatur inter Rama, & Bethel.* Iudic. 4. Abul. q. 7. asserit Deboram palmatam in deserto Ephraim extra omnia loca, & Vrbes commoratam, quasi erigẽs deserti victoriæ trophæum, vbi Pastor cœlestis charissimas oues assolet custodire. *Deduxit velut ouem Ioseph?* Apud deserta quadraginta annos fecit habitare. De Essenis Plinius lib. 5. c. 17. *Gens sola, & in toto orbe præter cæteros mira, socia palmarum.* scilicet in victoriæ contra luporũ rabiem documẽtum. Vnde acutè noster Lorinus ad illud: *Iustus vt palma florebit.* Ps. 91. refert Anachoretas purissimas & charissimas Dominici gregis inter palmas deserti solitos diuersari tanquam palmares, atque victores. Adducitque Paulum gregis Eremitarum ouem ducem, qui tunicam è palmis contextam induebat in securitatis victricis documentum.

Plin. Lorin.

22. *Oues Hilario in deserto securitas.* Hilar.

Vnde Hilarius contra Arrianos experimento edoctus videns socias oues apud deserta à Domino relinqui quidem, sed non derelinqui, fatur: *Montes mihi, & sylua, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores.*

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores; & murmurabant Pharisæi.

Pharisæi improbi murmurabant, eo quod Dominus recipiendi peccatores munus proprium obiret.

Nam plerumque improbos murmurare signum est; te tuo muneri satisfacere, illosque verè esse sceleratos.

23. Mvnus à Patre IESV Saluatori iniunctum, peccatores recipere, & quærere. Publicani, & peccatores accedunt, recipit Christus, & submurmurant Pharisæi. Piaculum ne, Medicũ ægrotos excipere? O iniqui! Profectò se probat Pharisæorum æmulatorem improbum, qui obmurmurat cum proximus suum munus obit. Theod. ait apud D. Thom. in Cat. *Nunc enim exequebatur, cuius causa carnem susceperat, admittens peccatores, sicut Medicus ægrotantes, sed Pharisæi verè criminosi huic pietati murmurare nõ cessabant.* Muneri tuo satisfacis, obmurmurat spectator. Signum quidem & te tuum munus implere, & murmuratorem improbitate laborare.

Theod.

24. *Cum Dominus exprimit iustorũ sanctitatem, mox necessariò indicat impiorũ murmurationem, agnatam virtuti, ex impietate.* Matth. 5. Chromas.

Postquam Dominus iustorum virtutes expressisset, quæ illos vel hic beatitudine donant: adiecit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Matt. 5. Cur post virtutum expressiunẽ persecutio inducitur? Certè quia dũ iustus suo muneri satisfacit, non potest non impius linguã maledicam insanare. Chromatius Conc. 1. de Beatitud. *Non est dubium, fratres, quia bono facto comes est semper inuidia.* Quid inuido iniquius? Inuidia quis accenditur? Ergo & te iustum tuo muneri satisfacientem affirmat, & se ipsum peccatorem inuidum profitetur. *Vbi cœperis virginam tenere iustitiam, insolentiam repercutere, incredulos ad pacem Domini conuocare, & vbi cœperis denique à mundanis hominibus, & erroneis discrepare; necesse est surgant odia æmulatio laceret.* Ergo si te facientem iustitiam, illico impij æmulatores exsurgunt sicut dæmonas impij, quia dura sicut infernus æmulatio: & se probant illi improbos esse, & te iustitiæ sectatorem confirmant.

25. *Homines murmurãt? ergo & hi improbi, & tu sanctitate fulges.*

Apostolis Dominus, *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersum vos: sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Matt. 5. Vos ab hominibus afficimini maledictis? Ergo & hi impij, & vos iustitia fulgentes ostendimini. Agnata est enim iustitiæ impiorum obmurmuratio. Sal estis, sol estis, & condiendi, & lucendi munus impletes. Chrysost. in Cat. D. Thom. *Eos laudibus mitigat dicens: vos estis sal terra. In quo monstrat, quod necessario hæc contingit.* Cur necessario, sol & sal appellauit? Homines improbi maledicunt? Ergo *beati estis*, sal, & sol ostenditis. Solet enim murmuratio impiorum iustorum necessario asserere sanctitatem. Impij obmurmurant? Ergo quodammodo necessario sancti estis: Beati estis cum maledixerint vobis homines. Adiicit pulchrè Doctor. *Pro vniuerso mundo vos mitto, & si alios mordentes, mala audiatis, gaudete. Hoc enim est opus salis, mollia mordicare. Quare impiorum maledictum nihil vobis nocet: sed est testis vestra virtutis.* Preme illas particulas: Impiorum maledictio, & *Testis vestra virtutis.* Nam murmuratores & se impios ostentant, & vestram virtutem profitentur.

Chrysost.

26. *Cum murmuratione ferimur, & scimus nos iustos, & murmuratores impios plerumque recognoscimus.* 1. Ioan. 5. Saluian.

Fatur Ioannes, *Scimus, quoniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est.* 1. Ioan. 5. Particula illa: *Scimus quia ex Deo sumus*, idem est, ac *Cognoscimus, quia munera nostra perfectè implemus*, vt interpres non immeritus exposuit. Quid autem indicatur particula sequenti? *Et mundus totus in maligno positus est.* Certè si vna clausula nos exprimit proprio muneri satisfacientes, altera mundum malignum seu improbum obmurmuratorem exponit, quia rectè gesta improborum sequitur murmuratio. Saluianus lib. 4. de Guber. Dei. *Statim*

enim

enim vt quis melior esse tentauerit, deterioris abiectione calcatur. Ergo & qui calcat deteriorem se se affirmat, & calcat iustitiam proclamat. *Et ideo non sine causa Apostolus clamat, sæculum totum in malo positum esse.*

27\.

Murmurant filij Adami? Ergo improbi iustos lacerant. Gen. 11. Greg.

De filiis Adami Moyses ait, *Inuenerunt campum in terra Sanaar, & habitauerunt ibi* Gen. 11. Sanaar *excussio dentium* interpretatur Interlineari auctore. Ad hæc D. Gregorius ad Psal. 50. *In campo Sanaar habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum, detractionum morsibus iustum proximum lacerant.* Murmuratores obiiciuntur? Ergo & in planitie vitiorum collocantur, & aduersùs iustum proximum oblatrant. Murmuratio enim insequitur iustitiam, & iniustum afferit detractorem.

28\.

Se ostendunt improbos Dei tentatores, & Moysem innocentem, qui contra eum obmurmurarunt. Exod. 17. Caietan.

Clamitat ad Moysem populus, *Da nobis aquam.* Querit ille, *Quid iurgamini contra me, & cur tentatis Dominum.* Exod. 17. Particula, *Quid iurgamini contra me.* Exprimit innocentiam Moysis, qui rectè munus suum obiens à nullo poterat iustè argui de peccato. Cum ergo videt Moyses obmurmuratores, adiicit consequenter: *Et cur tentatis Dominum?* Dei enim torquus tentator obiicitur, qui detractionis vitio subiacere ostenditur. Caietanus pulchrè, *Duo mala consequenter commisit populus alterum iurgij seu murmuris aduersus Moysem, alterum tentationis, aduersus Deum.* Murmurat contra Moysem? Ergo Moyses iuste munua obiit, & murmurans improbus ostentatur. *Dicunt, Est ne Deus in nobis, annon?* O atheistarum quæstio! *Vere enim tentabant, vertendo in dubium propter penuriam aquæ, vtrum Deus esset gubernator eorum.*

29\.

Detractor ostendit proximum esse iustum, & se odibilem Deo. Exod. 20. Thom.

Indicit lex, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* Exod. 20. Qui falso testimonio proximum lædit, proximum ionuit esse iustum, & se Deo iniusum. Probo apertè. Detractor falso testimonio proximum vulnerat, & consequenter eum ostendit iniustè affectum vulnere, & se odiosum Numini manifestat. D. Thomas in opuscul. *Peccant contra hoc præceptum primum detractores Deo odibiles.* Ergo qui detractorem audis, debes colligere ex detractione, & falsum testimonium contra proximum iustum ferre, & se Deo odibilem ob iniquitatem prædicare.

Observat. III.

Ad illa verba :

Et si perdiderit vnam ex illis.

Ouis vocatur perdita, non cum à lupo diripitur; sed eo ipso, quod sola diuagatur.

Edocentur fœminæ, sexum muliebrem perditum iudicari, cum solus diuagari aspicitur.

30\.

Mens solitus erraticam. Cyril.

PReme verba, *Et si perdiderit vnam.* Vbi Cyrillus, *Si errauerit vna.* An vnam errare ouem, vnam ouem est perdere? Ita planè. Non aries, non agnus inducitur perditus, quia errat sed ouis fœminea in fœminarum documentum. Erronea est mulier? Sola diuagatur? Iudicabitur perdita.

31\.

Vagans sponsa reputaretur scortum. Cant. 1.

Sponsa proclamat, *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie? Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Cant. 1. Alij legerunt, *Ne cooperta sim*, perdita rum scilicet more fœminarum. Si vagari incipio, esse coopertam vti Thamar videbor. Vndénam sancta Dei sponsa, quæ potes vulnerari à custodibus, dum sponsum requiris: sed non intermittis dilectionem; inter perditas computanda es? Quia illud ipsum diuagari solam fœminam, iam est ab aspicientibus perdita ouicula iudicari.

32\.

Dum vagantur fatuæ virgines, perditæ reputantur. Matth. 25. Hieron.

Testor Virgines fatuas, quæ comparandi olei anxiæ, *dum irent emere, venit sponsus, & clausa est ianua.* Matth. 25. Clamant miseræ, Domine, Domine aperi nobis. Hieronymus, *Quid prodest, voce inuocare, quem operibus neges?* Quodnam, precor, piaculum fœminarum, quarum oleum nondum erat absumptum, nec extinctæ lampades? *Date*, inquiunt, *de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Id est, iam extingui cœperunt ob olei defectum. Vndénam ergo vel æterno iudicio perditæ reputantur? *Nescio vos.* Certè *dum irent emere*, porta perditis omnino recluditur, quia fœminas diuagare, perdi iam reputatur.

33\.

Christus expectat in via, ne fœminam vagantem remoretur, ne perdatur. Ioan. 11. Chrysol.

Lazarum Dominus suscitaturus in Bethaniam accedit, occurrit Martha. *Abiit illa, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum. Nondum enim venerat* IESVS *in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* Ioan. 11. Porrò Chrysologus serm. 64. videns Dominum consistere in via antequam iniret Castellum & Martham non vocatam progredientem, ingeniosè profatur: *Hinc est, quod in loco Christus restitit, expectauit Christus quod non intrauit ad turbas, quod non contendit ad domum, quòd non ad sepulchrum diuertit; quod non ad Lazarum, propter quem venerat festinauit: sed mulierem sustinet, mulierem remoratur; ne multis perisset mulier.* Vndénam Martha periisset? Si quærens Christum vagari sola inciperet. Remoratur à Christo, ne pergat, & inter oues perditas, dum vagatur, valeat annumerari.

34\.

Fœmina vagans ante matrimonium, quodammodo ex diuagatione perdita reputatur. Gen. 2. Anastas. Sinai.

Immisit Dominus soporem in Adam, vt fœminam eius excitaret ex costa. *Cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* Genes. 2. Si vim verbi *Adduxit* perpendas, innuit, Euam discessisse ab Adamo; quia ea adducimus, quæ longè sunt. Ideo Anastasius Sinai. lib. 9. Exam. *Illud enim, ait, Adduxit eam, significat, quod postquam ipsa facta est, aliquo aufugit, & procul separata fuit à viro suo.* Vt ingenium muliebre iam à conditione exprimatur amans diuagationis. Vulgare hoc. Iam pulcham cogitationem expono. Qualis, precor, adducta Eua ad Adamum? Pergit Synaita, *Deinde Deus eam conuersam reduxit ad Adamum.* Conuersam reduxit? Ergo peruersam inuenit? Ante Adami flagitium nulla fuit in fœmina peruersitas. Cur ergo Doctor inquit peruersam inueniam,

inuentam, conuersam adductam! Certè quia illud ipsum fœminam solam diuagare, iam ab agnoscentibus peruersio reputatur: *Eam conuersam reduxit ad Adamum.*

35. *Verò perdita mulier ex diuagatione.* Genes. 3.

Sed verani fœminæ perditionem ex diuagatione perpendamus, *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Deus; qui dixit ad mulierem.* Genes. 3. Vbinam aderat occultus latro? An intra Paradisum iuxta Adamum? Minimè, quia non potuisset serpens alloqui Euam, Adamo non audiente. Ergo longè aberat. Si igitur serpens ab Adamo recedens obiicitur, Eua discedens ab sponso ostentatur. O fœminæ perditionem. Ab sponso recedit, & erronea deperditur ouis. Rupertus lib. 3. Genes. cap. 2. *Mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, forte prospectans, qualiter extra Paradisum mundus haberetur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret.* Accommoda præcipuè veri Adami sponsæ in Religionis Paradiso reclusæ, quæ quidem assolet perditionis subiacere periculo, dum fortè per ferreas rimulas prospectat, *qualiter extra Paradisum mundus habeatur.*

Rupert.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos.

Erroneam ouiculam Pastor in humeris deportat, quia ipsa non poterat ambulare.

Quam stultus peccator, qui perit vt labores; delicia enim voluptatis nomine verè torquent.

36. Tertull.

VVlgarem illam Tertulliani sententiam illustrabo, requirentis, cur Pastor erroneam ouiculam in humeris collocauerit, & non potius peditem traxerit ad desertum? Respondet *Multum enim errando laborauerat.* Errando putarem ouiculam deliciis potiri, dum pro libito gramina deuorat. O libertatis vulnera! Tunc laboribus exacta obiicitur impotens ambulare, cum libertati laxans habenas voluptatibus impendit studium.

37. *Errare, est perire. O maximum laborum!* Ps. 118. Menan.

Experto crede Dauidi. *Erraui sicut ouis, quæ periit.* Psalm. 118. Errare ouem, perire est. Aptè ille,

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

Errat, qui videt ad concupiscendum, perit illicò. An poterit proprio vti gressu? Menander sic fœminam descripsit amantem:

Ex delectionis ægritudine deficit.
Inuenta domum humeris ducitur.

Ambulare misella non poterat, multum enim amando laborauerat.

38. *Errare, id est, ac laboribus agi: Vnde pessimi delectantur*

Profantur iniqui, *Errauimus à via veritatis, ambulauimus vias difficiles, lassati sumus à via iniquitatis.* Sap. 5. Ergo errare, vt iniquitatibus studeas, lassari est. Quam aptè in Pastoris humeris collocaris. Ambrosius lib. de Noë, & Arca. cap. 30. *Omnes mores pessimi erroribus, id est, peccatis delectantur alienis.* Cur delectantur alienis peccatis, seu erroribus? Crediderim, quia proprium est hominum qui moribus pessimis imbuuntur, de incommodis proximorum delectari. Cum autem aspiciunt eas oues erroneas, consequenter vident ex peccatis laboribus exactos; ideò delectantur; quia vt obseruat Ausonius Episcop. *Improborum est, de aliorum incommodis delectari.*

dū se vident errant, quia eo laborantem sentent plaustra. Sap. 5. Ambr. Auson.

39. *Caino impio datur exactor, qui eum torqueat, nisi sumimus peccatum.* Gen. 4. Ambr.

Delinquenti Caino Deus signum imposuit, ne à creaturis occideretur. *Egressusque Cain a facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Edem.* Gen. 4. Aliter, *Ad plagam deliciarum.* Fatus Ambrosius ad Ps. 35. *Semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit.* Nam cum Cain (inquit Doctor) ad plagam deliciarum quasi fugiens ex homicidij horroribus aduentauit, in deliciis inuenit exactorem. Quid exactore crudelius? Deliciæ exactoris munus obeunt, ad miserum peccatorem discerpendum.

40. *Solum aspicere piacula, erat Dauidi causa ægritud.* Psalm. 37.

Clamorem Dauidis in plaga deliciarum commorantis ex voluptatum tortura exaudio: *Non est sanitas in carne mea à facie insipientiæ meæ.* Psalm. 37. Quænam Dauidis insipientia? Certè operam dedisse flagitio. Vndenam delinquens Rex ostentatur insipiens? An quia Deum offendit? An quia cœlesti beatitudini renunciauit? An quia tartari incurrit incommoda? Certè vnicam hîc molestiam temporariam exprimit. *Non est sanitas in carne mea.* Tam acribus vulneribus afficior, dum delinquo, vt me insipientem admodum exhibeam, cum tanti emo distorqueri. Augustinus lib. 11. de Gen ad lit cap. 23. de Lucifero fatur, *Continuò impius, consequenter & mente cæcus.* Quia cæcitate laborat, qui tot se malis implicat, dum delinquit. Origenes ad Carmen Dauidic. *Non est sanitas in carne mea a facie insipientiæ meæ. Rectè peccata Insipientiam vocat.* Nemo enim sapiens tot simul ægritudines admittit.

August. Origen.

41. *Peccator à crimine dilaniatur horribilius, quam à dæmone.* Chrysost.

Contemplatos es hominem miserum à dæmone laniatum sepulchrorum habitatorem? Vidisti Saulem à diabolo arreptum horribiliter vulneratum? Crede mihi, crudelius à lethali crimine ageris. Chrysostomus hom. 28. in epist. ad Rom: *Adhibeamus itaque operam cautionem, vt peccatum homine pessime eiiciamus. Dæmon siquidem non semper Regno cælesti priuat: sed subinde fit, vt prosit sobrio, ac vigilanti. Peccatum verò omnino prosternit. Voluntarius quippe dæmon est peccatum, spontaneaque insania.* Nihil insaniua, quam dum curas voluptati indulgere, vltroneum te dare molestiarum gehennæ.

42. *Peccatū de sanitate, & mente deturbat.* Tull.

Vel Gentilis agnouit Tullius orat. in Pison. dum profatur, *Sua quemque fraus, suum scelus, sua audacia de sanitate, & mente deturbat.* De sanitate quidem, quia vel à facie peccati *non est sanitas in carne* nostra, de *mente* autem, quia se captum mente exprimit, qui voluptatis aspicit flores, & non pungentes aduertit spinas.

43. *Peccator in seipsum delinquit.* Psal. 35. Ambr.

Alibi Vates, *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso.* Psal. 35. Legit Ambrosius, *Vt delinquat sibi.* Cur non dixit, *Vt delinquat Deo?* Sibi certè delinquit iniustus, quia cunctis incommodis premendum se addicit, cum delicto graui studiom impendit. Addit Doctor, *Quidquid iniustus loquitur, iniquitas est, quæ in suum refertur auctorem; sicut vipera partus, qui primo suum*

sinuū

scindit parentem, sibi generat vulnera, se ipso confodit. Serpens aliis infundit venenum, iniustus sibi; in eum enim refunditur, quidquid effuderit. Iniustus igitur & aliis inutilis, & sibi noxius; ideoque Salomon ait: Si malus euaseris, solus hauries mala. Si tot laboribus delinquens agitatur, quid mirum necessariò humeris deportari ouiculam, quæ *multum errando laborauerat*?

Observat. V.

Ad illa verba:

Et cum inuenerit eam, imponit in humeris suis gaudens.

Quam dulce onus verò Pastori deperditæ ouiculæ recuperatio.

Contra Sacerdotes, ac Præsules, qui ex Pastoritio munere aliud expetunt, aut acquirunt præter ouis vtilitatem.

44. Greg.

AIt D. Gregorius, *Reparato homine gaudens ad Regnum cæleste Dominus rediit.* Cur redit ad superos, homine reparato? Quia nihil aliud bonus Pastor requirebat ex seculo. Cur autem gaudet, dum humeris adiicit pondus peccatoris? Quia dulce vero Pastori onus ouiculæ ex pœnitudine recuperatæ.

45. *Angeli Præsules gaudent humeris ouem reportare.* Luc. 16.

Lazarus vulneribus plenus ex mente Chrysostomi, & aliorum, peccatorem exprimit vulneratum. Hunc Angeli custodes humeris portare non renuunt. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Luc. 16. Cur Angelis beatis pondus homuncionis haud exstitit ingratum? Quia Custos Angelus *gaudens* tunc ostenditur, cum ouicula ad cœlum asportatur. Imo Angelus Præsul amicos conuocat, vt eos tam dulcis oneris participes efficiat. Ideo ait Lucas, *Et portaretur ab Angelis.* Chrysostomus hom. de Diu. *Non suffecerat ad portandum pauperem vnus Angelus; sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Gaudet vnusquisque Angelorum, tantum onus tangere; libenter talibus oneribus prægrauantur: vt ducant homines ad Regna cælorum.*

Chrysost.

46. *Præsul cum exultatione reportat manipulos, hoc est, subditam ouem.* Ps. 126. Ezech. 34.

Verus Pastor plorans deperditam requirit ouiculam: *gaudens*, humeris reportat inuentam. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Psalm. 126. Cum è manu agricolæ granum prolabitur, lachrymæ profluunt: cum inuenitur pulchrum, profusiori lætitia deportatur. Isaias ad hæc, *Plurimam partem populi deduxisti in lætitia, & lætabuntur in conspectu tuo, sicut qui lætantur in messe.* cap. 9. Vbi Hieronymus asserit Apostolos dulci pondere lætari, cum Gentiles aspiciunt eorum manibus ad horreum cœleste deportatos. *Tunc lætabuntur Apostoli, sicut messores lætantur in messe, de quibus Dominus loquebatur, messis quidem multa, operarij autem pauci.* Quia pauci agricolæ veri, quibus dulce sit onus peccatorum conuersio. Legi Xauerium meum, Indorum Apostolum humeris immensum conuersionis Gentilium pondus sustinuisse dormientem sub typo gigantis. Expertus est ille quam dulce pondus, dum euigilans clamitabat, *Plus ponderis, plus ponderis.*

Hieron.

Xauerij portātis oneris charitas.

47. *Lætetur Pastor sola ouis perdito vtilitate.* Ezech. 9.

Nullo alio emolumento debet verus Pastor lætari, nisi ouis deperditæ vtilitate. Clamat Dominus, *Væ Pastoribus Israël qui pascebant semetipsos? Nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Ezech. 34. Onus lanæ & lactis iucundum vobis, ouis autem molestissimum. Quia scilicet vestris commodis, non ouium studebatis. Augustinus Tract. de Past. c. 2. & 3. *Quid ergo illi increpantur? Vnde arguuntur? Quia cum lac sumerent, & lana se tegerent, oues perditas negligebant. Qui præbet lac, victum præbet: qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo, quæ a populis quærunt, qui se ipsos pascunt non ouem requirunt erroneam.*

August.

48. *Iacob Pastor verus soli ouium vtilitati studebat.* Gen. 31. Nazian.

Iacob Pastor verus aiebat, *Die, noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Genes. 31. Vndénam sollicitudo tanta Pastoris? An ad lactis, lanæque emolumenta procuranda? Absit, sed ad ouium commoda, ad custodiam gregis. Nazianzenus orat. 28. *Perustus sum æstu dies, & nocturna glacie vexatus, inquit Patriarcha Iacob, cuius sunt oues illæ signatæ, & quæ in cælestibus canalibus concipere didicerunt.* Tota Pastoris cura, vt signentur oues, vt concipiant; id est, vt operibus egregiis se ostendant salutari sanguine rubricatas.

49. *Nil iucundius Pastori, quam ouē humeris adducere.* Act. 10. Isidor. Pelus.

Cornelio Angelus, *Corneli, mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Act. 10. Et cur Angelos ipse non docuit? Isidorus Pelus. lib. 5. epist. 165. *Angeli ex prædicationis securitate tantam voluptatem capiebant, vt is etiam, qui ad Cornelium missus fuerat, Magistrum indicaret: non autem sibi ipsi docendi munus permiserit.* Aptius autem argumento nostro, Ideo reor Angelum monuisse Cornelium, vt Petrum aduocaret; quia nihil gratius reputauit vero Pastori futurum, quam errantem illam ouem ad desertum humeris deportare. Pondus enim illud humeris est Pastoris agnatum.

50. *Christus eisdem humeris deportauit ouiculam, quibus crucem dilectam.* Nazian.

Quid mirum, si Petrus egregius Christi æmulator sciebat nihil Saluatoris charius ouicula. Quam chara Pastori? Charissima crux Domino, cui illigatus orbem redemit, qua armatus tartareas Sampsonis instar, deleuit legiones. Tam chara crux, vt eam humeris deferret: tam chara ouis, vt eisdem quibus crucem, humeris deportaret. Nazianzenus oration. 21.

Inuentam ouem eisdem humeris, quibus & crucis lignum sustulit.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente; quàm supra nonaginta nouem iustis, &c.

Peccator feruenter è crimine surgens, & Deo seruiens, præfertur iustis tepiditate laborantibus.

Amat Dominus in hominibus iustis nouitium illum feruorem, quo assolent à crimine resurgere.

51. *Ad renouationem spiritus Societatis IESV accõmoda.* Greg.

EXponit Gregorius apud D.Thom. *Plus autem de conuersis peccatoribus, quam de stantibus iustis in cœlo gaudium esse fatetur. Quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ; sed tamen ad cœlestem patriam non anxie anhelant, & plerumque pigri remanent, ad exercenda bona præcipua. At contra nonnunquam qui aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, ad amorem Dei inardescunt.*

52. *Amat Dominus feruorem iustitiæ, velut recens conuersi.* Isa. 9.

Prædixit Isaias, qui gratissimam futuram Domino diligentiam eorum, qui, relicto seculo conuertuntur. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtali, & nouissimo aggrauata est via maris.* cap. 9. Lxx. *Hac primum velociter bibe, velociter fac Regem Zabulon*, &c. Preme particulam: *hac primùm*, id est, cum primum vocata à Domino, eum secutura es, ô Regio Zabulon, bibe velociter, quasi sitiens iustitiam. Sic Discipuli, cum à Domino vocarentur, *continuo*, id est, velociter *relictis retibus*, ne retardarent cursores velocissimos, *secuti sunt eum*. Cyrillus ad Isaiæ locum, *Celeres erant Discipuli, & valde alacriter ad credendum Christo, prosilierunt. Nam continuo relictis retibus, secuti sunt eum.* En primo tempore conuersionis alleuiatam terram *Zabulon*. Ideo Dominus in peccatoris veloci surrectione lætatur.

Cyrill.

53. *Abraham specialissimè placuit Deo, cùm nouitium pœnitentium feruorem æmulatus est.* Gen. 22.

Abræ Deus indixerat, *Ambula coram me, & esto perfectus.* Genes. 12. At post diuturnum sanctitatis Patriarchæ experimentum, Dominus inquit, *Nunc scio, quod timeas Deum.* Genes. 22. Si tot egregia Patriarchæ gesta Deus aspexerat, cur nunc scire se quod timeat Deum Abraham, asseruit. *Nunc* scis Domine? Et non antea cognouisti? Ita planè; sed nunc tam apertè cognosco, vt videar quodammodo antea non cognouisse. Quare, precor? Quia Abrahā prius gressibus iusti ambulabat, me indicente, *Ambula corā me.* At nunc eum ei imperaui filium vnicum immolare, vsos est cursu velocissimo, in morem peccatoris recens conuersi. *Tolle* (inquit Dominus) *filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum.* Genes. 22. Vbi D. Zeno serm. 5. de Abrah. *Nec timuit, ne parricidium ei imputaretur; sed magis vt deuotioni pareret, lætabatur, hoc iussisse Deum. De filio hostia parabatur festina. Denique implere sacrificium, ne mora faciat peccatum necessariis sacramentis protinus præparatur.* O Patriarcha mirum in modum placuisti, quia te induisti ea diligentia, & feruore, quo assolet primum peccator surgens à barathro Domino seruire velociter. Vnde *nunc scio, quod timeas Deum*, ac si nouum te contempler cursorem.

Zeno.

54. *Mundum obsequendis aperiò, an Deo magis placeat.* Nazianz. Gen. 22.

Proxima Obseru. ex Nazianzeno orat. 21. profabat, *Inuentam ouem eisdem humeris, quibus & lignum crucis, sustulit.* Quod si ouis pœnitens ex diligenti feruore placebat, obsequium illud feruens Dominus redemptione munerauit. Cum Abrahamus recens conuersi æmulatur feruorem, Deus diligentiam illam adeò sibi placuisse ostendit, vt mundi eam redemptione donaret. *Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum*, &c. Genes. 22. Ad quæ Macharius orat. de Exalt. cruc. *Abraham filium vnigenitum ex promissione susceptum ad cædem ducebat, & immolare festinabat, iussus à Deo volente, opinor, vt & sacrificium illud pro totius mundi salute peragendum, firmaretur.* Adeo enim Deo gratum est obsequium diligens, quo nouitius feruor assolet deseruire, vt loco muneris ei quodāmodo totius orbis redemptio debeatur.

Machar.

55. *Cur gratior Deo resurrectio peccatorum in Lazari resurrectione expressa quam iusti natalitium?* Ioan. 11. Cassian. Ambr.

Lazari è tumulo velox excitatio ex Patrum mente, speciatim Gregorij, significat feruentem peccatoris ad virtutem festinationem. Ideo Dominus, *Soluite eum, & sinite abire.* Ioan. 11. Nam qui è tumulo criminis resurgit, assolet expedite suum cursum peragere. Cassia asseruit Christum resurgere in Lazaro peccatorum imaginem. Resurgit velociter Christus è tumulo conuersi recens peccatoris exprimens diligentiam. Iam do perpulchram Ambros. serm. 48. sententiam. *Religiosior planè illa est, quam illa* (ex vtero Virginis) *natiuitas. Illa enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum; tenuit: hæc autem triduo tantùm tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius pretulit; hæc omnium salutem citius suscitauit.* Deo religiosior, & ideo iucundior resurrectio, quam natiuitas? O exaggerationem. Deus ostendit velociorem esse recens nato resurgentem. Natus fasciis illigatur post tot mensium præparationes; resurgens currit auolat dono subtilitatis. Gratior ex feruore Numini surrectio peccatoris quam sanctitas agnata?

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.

Non horroribus tonitruorum cœlum suscepit ouiculam pœnitentem, sed cœlicolarum profusa exultatione.

Assero, mansuetudinem potentissimam esse exactionem, ad subditos trahendum ad virtutem.

56. *Peccator ex mansuetudine Confessarij fermentum pœnitentiam agit.* Rutil.

AIt Ruricius lib. 2. epist. 22. *Ipse est bonus Pastor, qui ouem perditam ad caulas Dominicas mauult propriis humeris reportare gaudens, quam stimulis vrgentibus reuocare districtus.*

Amicos

a.

Amicus conuocat, & vicinos Cœlicolas, vt gaudenti gaudentes ipsi congratulari possint. Tanta benignitate excipiendus peccator, vt & certius doleat, & securius in caulis commoretur. Austeritas, fateor, necessaria est peccatori, vt abducatur, sed existimo ipsam benignitatem supplicij locum gerere ad peccatoris reductionem.

57. *Dum Prodigus benignè excipitur à Patre, feruentius doles de criminibus.* Luc. 15.

Prodigus paternam accedit ad domum, Pater autem à longè prospiciens, *accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater, cito proferte stolam primam, & induite illum.* Luc. 15. Miror, sic excipi substantiæ dissipatorem. Cur ô Domine, non ei indicis abstinentiam, non cilicium iubes afferri, vt efficaciter à pristinis moribus abducatur? Porrò mansuetudinem efficaciorem ad id munus expressi. Adnota, precor, quonam effectu Dominus mansuescat. Accurrit, cadit super collum eius, osculatur eum. An tunc Prodigus abutens benignitate, insolescit? Porrò vberioris pœnitudinis exhibet documenta. Nam qui intenderat dicere Parenti: Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum ex mercenariis tuis: non totam expressit sententiam; nam cum dicere intenderet, *Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis*, vberrimis lachrymis clausula obruitur. Vndénam, precor, tam validus pœnitudinis affectus exoritur? Existimo Patris benignissimi osculum filium ad huiusmodi pœnitudinem allexisse. Pulchrè D. Augustinus, *Non audis, quod dixerat, Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis, a lachrymis impeditus. Id enim post Patris osculum.* Asseruerim, nullo modo potuisse correptionem tantæ pœnitudinis documenta extorquere.

August.

58. *Ex mansuetudine Patris, adeò deflet Prodigus, vt in ...? Ad ...?* Ephr. August.

Ait D. Ephrem sermon. de pœnit. *Christus, non primum, quod austerum est, offerre peccantibus: verùm quod gratum, ac placidum est, simulque suaue, ac facile. Non ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiam poposcit. Quid igitur? Cito proferte stolam primam, & induite illum.* Quidnam stola prima? Augustinus, *Proferte dignitatem, quam perdidit Adam.* Quid, quæso, proficeret ieiunij, ac abstinentiæ inductio? An ad Prodigum abducendum à luxuria satietatis? Ergo efficacior planè mansuetudo osculo, si quidem Prodigus personam exerens Adami reducitur ad statum pristinum quodammodo, ac si nunquam de cibo vetito comedisset: *Proferte dignitatem, quam perdidit Adam.* Ergo ad huiusmodi pœnitudinis præstantiam *non ieiunium imposuit, non abstinentiam poposcit; verùm quod gratum, ac placidum est.*

59. *Dum Deus erga peccatorē se ostendit non iudicem, sed creatorem benignissimū, fortius eum ad virtutem adducit.* Isa. 41. Genes. 1.

Confirmat Isaias, dum ad Dominum profatur, *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.* cap. 41. Ad quid consurget Dominus: Ad peccatores adducendos, ad conuertendum orbem. Consurget autem validissimus fortitudine indutus, facturus potentiam in brachio suo. Quænam illa virtus? *Sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.* Quando Deus cunctas creaturas efformauit ex nihilo. Quum suauiter omnia disposuit, quum humaniter hominem è puluere excitauit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. Ergo eadem mansuetudine reformandus, fortissima quidem ad peccatoris adductionem. Rupertus lib. 2. in Isa. cap. 53. *Quid tandiu te contines in sinu Patris, ô brachium Domini? Consurge, & induere fortitudinem, induere pulchram, & fortem dilectionem: pulchram, & fortem charitatem. Ita consurge, sicut in diebus antiquis, in generatione sæculorum.* Fortissima etenim mansuetudo ad peccatorum reductionem.

Rupert.

60. *Cum benignè à Deo peccator excipitur, adeò afficitur pœnitudine, vt se non iā mercenariū offerat, sed mancipium.* Luc. 15.

Vis pœnitentem Dei in mancipium adduci? Effectus equidem veræ pœnitudinis est, se peccatorem existimare indignum filij appellatione: fante Prodigo, *Iam non sum dignus, vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* Luc. 15. Certè vberiorem pœnitentiæ affectum indicaret, si non peteret fieri mercenarium, sed mancipium: *Fac me vnicum mancipium tuum.* Profectò dum excipitur Prodigus à Patre benignissimo, dum osculo donatur, & amplexu: se mancipium Domini profitetur? Ideo reor subticuisse: *Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* Nam qui meditabatur se profiteri non filium, sed mercenarium, cum Patris meritò timeret affici asperitate: videns Patris vberrimam clementiam, parum sibi visum fuit, se offerre mercenarium: & subticuit, animo perpendens, quid posset tantæ benignitati litare?

61. *Benignitas Ioseph mancipia fecit Ægyptios.* Gen. 47. Nazianz.

Mihi credite, benignitas mancipia constituit. Ad Iosephum accurrunt Ægyptij fame pressi. *Et nos, & terra nostra tui erimus: eme nos in seruitutem Regiam.* Genes. 47. Quonam pretio emendi famelici? Certè benignitate impensæ alimoniæ. Nazianzenus orat. 20. *Ioseph ex fame quæstum capeat, ac per benignitatem Ægyptum emit.* Dum Dominus Prodigo vituli expendit alimenta benigniter, dum posset ieiunium indicere voratori: eum comparat in mancipium.

62. *Qui seminat mansuetudinem, illico metit vberes fructus pœnitentiæ.* Iud. 3. Origen.

De Samgar Israëlitici populi Duce fortissimo ait textus sacer, *Post hunc fuit Samgar, qui percussit de Philisthiim sexcentos vomere.* Iud. 3. Vbi quærit Origenes, cur Aod gladio, Samgar verò aratro pugnet, ac vincat? & respondet tropologicè, *Vt Ecclesiæ index non semper gladium proferat, id est, non semper austeritate verbi, & acumine correctionis vtatur: sed etiam imitetur agricolam animi terram clementi commonitione rescindens.* Vomere proscinditur terra ad excipiendum semina. Certè si vomere tot vincuntur hostes, illa seminatio, potius est messis appellanda. Dum igitur gratiam, seu benignitatem seminas in peccatore recens conuerso, iam poteris ad messem falces præparare.

63. *Pater misericors ipsa in misericordia iudicium exercet.* Ps. 100. Ambros.

Dauid fatur, *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Psalm. 100. Iudicium cantatur? Cantetur misericordia: quid iudicio horribili cum cantico? Certè cantus suauitas ita misericordiam & iudicium colligauit, vt misereri iam sit iudicare & punire peccatorem: seminare gratiam, iam sit rigorem iustitiæ metere. Ambrosius lib. de Noë c. 3. *Principale est virtutis, præseminare gratiam.* Certè principale, est virtutis & seminare & metere. Cur ergo principale virtutis præseminare gratiam appellauit? Quia gratiæ & benignitatis semina fructus virtutis iam solidæ comitantur.

SECTIO VI.

De drachma.

TEXTVS.

VERS. 8. AVt quæ mulier habens drachmas decem; si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? 9. Et cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Drachma amissa, & inuenta.

1. *Secũda Parabola idem scopus, ac prima.*

AV T *quæ mulier*, &c.] Secundæ Parabolæ idem scopus est, ac primæ. Mulier drachmas decem habens, vnam amisit, quæsiuit, magno cum gaudio inuenit. Deus hominem peccato mortifero inquinatum amittit, quærit, & magna cum exultatione reperit.

2. *De decem drachmis.* Gregor.

Drachmas decem.] Quænam moneta drachma? Denarius est, siue Regalis nummus Hispanicus. D. Gregorius decem drachmarum mysterium exposuit, asserens, Deum decem drachmas habuisse, id est, nouem Angelorum Choros, & decimam hominum genus. Cur drachmis significantur? Quia quemadmodum drachma Regis imagine, ita Angeli, & homines imagine Dei decorantur. *Drachma vna* (ait Pater) *amissa est, id est, humanum genus. Lucernam mulier accendit, ad drachmam perditam requirendam. Lucernam quoque diuina accendit sapientia, cum Verbum caro factum est, ad quærendum hominem amissum. Lucerna est lumen in testa, lumen vero in testa, est Diuinitas in carne.*

3. *Exultatio mulieris.* Beda. & alij.

Et cum inuenerit, conuocat amicas, &c.] Inuenta drachma, mulier exultat, amicas, & vicinas participes efficiens lætitiæ. Inuento humano genere Christus & Angeli lætantur. Sic Beda, Haymo, Theophylactus, Euthymius, Strabus, & alij exposuere.

4. *Domus verritur.*

Euertit domum.] Gregorius, Beda, Haymoque legerunt, *Euertit*. Legendum Euerrit, Græco asserente vocabulo: *σαροῖ τ̃ οἰκίαν, euerrit domum.* Sic legimus in codicibus summi Præsulis iussu emendatis. Assolent qui pecuniam amissam domi quæritant, domum vertere, vt scopis nummos trahere possint sordibus admixtos.

§. II.

Patrum circa drachmam perditam, & inuentam sententias, recensco, in expositionis meæ robur.

5. *Quænam mulier?* Greg. Strab.

AVt quæ mulier.] Gregorius, *Qui signatur per Pastorem, ipse per mulierem, scilicet Christus, qui Deus, & Dei sapientia.* Strabus, *Mulier, est Dei sapientia.*

6. *Quænam drachmæ?* Greg. Nyssen. August. Anselm. Cyrill.

Habens drachmas decem.] Gregorius, *Nouem drachmæ nouem Ordines Angelorum. Et vt compleretur electorum numerus, homo decimus creatus est. Perdita vero drachma, quando homo ad Dei imaginem conditus, ab eo, peccando, recessit.* Nyssenus autem, *Drachmæ virtutes, quarum nullam oportet nobis deesse.* Et Augustinus, *Nouem drachmæ de se præsumentes, vnum enim deest, vt decem sint.* Anselmus, *Drachma est nummus certæ quantitatis habens imaginem Regis.* Vnde Cyrillus hominem vocat nummum Dei imagine signatum. *Superiori parabola docebamur esse creatura Dei, qui fecit nos, & cuius pascua oues sumus: nunc ostendimur, ad imaginem, & similitudinem Dei facti esse.*

7. *Quænam lucerna?* Gregor. Nyssen. Strab.

Nónne accendit lucernam.] Gregorius, *Accenditur lucerna, sapientia enim Dei apparuit in humanitate. Euersa domus, nostra conscientia concussa. Vel, vt legitur in aliis codicibus, euerrit, id est, emundat, scilicet à vitiis, à quibus mundatur praua mens, vbi prius fuerit præ timore euersa.* Nyssenus, *Lucerna Verbum diuinum vel pœnitentiæ lampas.* Strabus, *Reperitur drachma, dum in homine Conditoris similitudo reparatur.*

8. *De vicinis.* Strab. Nyssen.

Conuocat amicas.] Glossa Ordin. *Conuocantur amicæ, scilicet supernæ virtutes, dum ad amorem Dei vehementius accenduntur.* Nyssenus, *Vicinæ, rationabilis, concupiscibilis, & irascibilis, & si quæ alia sunt vires animæ.*

IN

IN IESVM LOCVTVM
In Parabolis

PANEGYRICVS MORALIS SEXTVS
CIRCA LITERAM.

EX DRACHMA.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit vnam ex illis, &c.

Quam pretiosa drachma vna, cuius amissio fœminam afficit mœrore: cuius post versam domum inuentio tanta explet exultatione.

Monemur, maximam adhiberè curam; ne animam vnicam, quam Deus tanti æstimat, perditioni addicamus.

9\. DVM video fœminam tanto affici mœrore drachma vnica amissa, nouem indemnitate fruentibus; dum tanta sollicitudine aspicio versioni domus dare operam, vt inueniat; inuentáque, tanto gaudio perfundi; colligo pretiosum mulieri vnicum nummum existere. At cum contemplor, ex Gregorij sententia, Deum in fœmina illa signari, qui ad requirendam deperditam animam lucernam verbi incarnati accendit: non possum non profiteri ineffabile esse eius animæ pretium, quæ à Deo tanta sollicitudine quæritur, tam incredibili lucernæ sumptu, reperitur. Hinc edocearis expeterim, vnicam suam magno pretio æstimare, diligenter custodire, ne perdas: sollicitè perditam requirere. *(Gregor.)*

10\. Deus conditos *inspirauit in faciem* Adami *spiraculum vitæ*. Gen. 2. Quid Dei spiraculum? Quasi Dei ipsius spiritus particula. Vnde halitus *anima* vocitatus. Vnde pulchrè Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 3. appellauit animam Spiritus sancti igneam portionem, dilectionis illectamentum, id est, dignissimam; quæ post Deum ardentissimè diligatur. *Intus, ais, in homine est id amatorium, quod Dei inspiratio, seu insufflatio dicitur.* *(Anima est quasi particula Deitatis amanda post Deum. Clem. Alex. Gen. 2.)*

11\. D. Augustinus contemplans animam nostram quasi Dei particulam magni amandam, & ducendam arguit serm. 13. de verb. Apost. *Anima creata a summo bono, non tamen summum bonum, sed magnum. Anima magnum bonum, sed non summum bonum: viuens inter summum bonum, & paruum bonum, id est, inter Deum & carnem; inferior Deo, carne superior.* Tanta est anima, vt non semel necessarium fuerit à Doctore moneri, non esse summum bonum. *Anima magnum bonum, sed non summum bonum*, &c. *(Tanta est anima, vt moneamur, non esse summum bonum. August.)*

12\. Dauid expressit, quanto amore, & æstimatione digna sit anima. *Erue à framea, Deus, animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Psalm. 21. Cur vnica appellatur anima? An quia vnicè diligenda? Cæsarius Arelat. hom. 1. tom. 2. Bibliot. *Quare vnicam dixit? Quia tanquam vnica, magni admodum pretij, diligenda est.* *(Vnica est, ideò summè æstimanda. Psalm. 21. Cæs. Arel.)*

13\. Dum Christus Lazarum mortuum lamentatur, collegere Iudæi magnam erga illum Domini æstimationem, & amorem! *Ecce*, inquiunt, *quomodo amabat eum.* Ioan. 11. Lacrymatus Dominus, dum Lazarum typum animæ perditæ gerentem contemplatur. Vt innuat quesnam lacrymis prosequendam drachmæ vnicæ amissionem. Cæsarius adiicit, *Oportet sicut super mortuum* Lazarum *conclamatum, ita magnos super extinctam animam dare planctus. Et quomodo solet mater orbata super amissione vnici filij sui, fracto pectore, lamentari: ita conuenit, super vnicam suam, sed cum spe reparationis, affligi.* Quia pretiosissimum thesaurum amissum maximos luctus decet. *(Si perdatur anima irremediabilibus lacrymis prosequenda est. Ioan 11. Cæs. Arel.)*

14\. Quantæ æstimationis anima nostra sit vel dæmon expressit. *Pellem pro pelle & cuncta, quæ homo habet, dabit homo pro anima sua.* Iob 2. An non barbaricum tam paruo te pretio ducere, quam diabolus tanti æstimauit? D. Saluianus lib 3. ad Eccles. *Ait diabolus, Pellem pro pelle*, &c. *Dilectissimam debere esse animam suam homini, etiam diabolus non negauit: & qui auertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur, idem tamen charissimas esse debere cunctis animas suas confitetur. Quis ergo furor est, viles a vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas?* *(Dæmon profitetur quanti ducenda sit anima. Iob 2. Saluian.)*

15\. Docet Dauid & pretiosam esse, & summi ducendam, cum canit, *Custodi me, Domine, vt pupillam oculi.* Psalm. 16. Summopere quis assolet oculos custodire, quia sensus hic maximè pretiosus. Vt pupilla oculi anima custodienda est. Exaggerauit Philo lib. de congr. quæs. erudit. grat. *Anima est oculorum oculus.* Non quidem oculi corporis, sed pupilla. Vt innuat pretiosissimos planè oculos contemnendos respectu animæ: Sicut corporis alia membra contemnenda respectu oculorum. *(Anima est pupillarum oculorum pupilla. Psalm. 16. Philo.)*

16\. Parum esset animam ab homine, & diabolo æstimari: si non apud Deum magni haberetur. *Sic Deus dilexit mundum*, (id est, animam,) *(Anima magni apud)*

Deum habe-ône, imò maximi, si pro illa recuperanda, accendit lucernam Filij, & assumpsit. Rom. 8. Chrysost.

vt Filium suum vnigenitum daret. Paulus, *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Rom. 8. Chrysostomus hom. 60 in Matth. *Tanta studio, tantâque curâ Deus dignam esse animam ostendit, vt neque Filio suo pepercerit. Quare obsecro summo manè, cum à domo exieritis, hanc vnicam intentionem habeatis, & hoc ante omnia studium, vt à periculis aliquem liberare possitis.* Vt scilicet aliquam drachmam perditam inuenire studeatis. *Non dico ab hoc corporis periculo solum; nam hoc neque periculum quidem verè dici potest; sed multo magis à periculo animæ.* Accendit Deus lucernam vnici Filij, & assumpsit, vt requireret animam drachmam perditam? Maximi illam æstimauit.

17\. *Totum sanguinis pretiũ Mercator Deus pro vna margarita impendit.* Matth. 13. Imperf. Bernard.

Cœlestis Mercatoris iam vidisti solertiam, qua pretiosas margaritas requisiuit. *Simile est Regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Matth. 13. Anima vnica vna est margarita, pro cuius acquisitione Deus totum sanguinis pretium impendit. O quanti ducenda! Auctor Imperfect. hom. 31. *Super omnia opera sua pretiosiores æstimat Deus animas hominum.* Et Bernardus lib. de anima, cap. 3. *Totus quidem iste mundus ad vnius animæ pretium æstimari potest? Non pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit.* Quid exaggeratius?

18\. *Vas hoc pretiosissimum custodiatur, ne excidat.* Ierem. 25. Anselm. Hieron.

Caueatur ergo tam pretiosi nummi amissio. *Vlulate Pastores, & clamate, & aspergite vos cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri, vt interficiamini, & cadetis quasi vasa pretiosa.* Ierem. 25. Preme proxima verba: *Quasi vasa pretiosa.* Anselmus, *Quasi vasa pretiosa, quorum maius damnum.* Syriacè, *Cadetis irrecuperabiliter.* Hieronymus, *Vt quanta antea fuere pretiosa tanto maius eorum in confractione sit damnum.* Commisit Deus pretiosum vas Angelis custodibus asseruandum. Quod quidem apprimè pretium animæ exponit. Hieronymus idem ad cap. 18. Matth. *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam suam Angelum delegatum.* O stultum qui tantum animæ vnicæ pretium pro vili ac momentanea prodigis voluptate!

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit vnam, accendit lucernam & euerrit domum, &c.

Fœmina tam anxiè drachmam vnam requirens, auaritiæ exprimit affectum.

Aptè auaritia designatur in fœmina; nam effœminat animum eorum, quibus dominatur.

19\. CVm video fœminam decem drachmarum dominam tanta anxietate laborare, vt vnicum amissum nummum inueniat: cum contemplor nulli studio parcere, lucernam accendere, euertere domum, nullum lapidem non mouere: obiicitur menti meæ quoddam auari simulachrum. Quod quidem sic Plinius Procem. lib. 33. expressit. *Imus in viscera terræ, & in sedes manium, opes quærimus, illa nos ad inferos agunt.* Addit cap. 4. *Eò tandis auaritiæ ardor, vt nihil inmotum maneat, dum aurum innotescat. Ipsos altissimos montes excauat, reuersat, naturæ leges euertit, sollicitat manium sedes, inferos ipsos pulsat, imo & premit.* Adnota particulam, *Naturæ leges euertit.* Quid diceret aliud Plinius, si legisset Euangelicam illam sententiam ex lectione Gregorij, *Euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam?* Profectò vt ex hac diligenti euersione auaritiam signari asseram, allicior ab ipso mulieris vocabulo. Nam & auarum animans appellatur à Tullio fœmina, & auaritia nunquam non fœmineo animo commoratur.

Plin. Hominum auaritia totam orbis domũ euertit. Auaritia fœminea.

20\. *Auaritia virtutem effœminat.* Ambr.

Ait D. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 39. *Auaritia virtutem effœminat. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci.* Idem Pater in Procem. Lucæ, Auaritiam *mentis virilis arguinem, & armorum situm* vocitauit. Quid situs armorum? Locus ille, vbi arma suspensa quidem & otiosa conspectantur. Vnde Lyranus asserit Israëlitas sibi tributarios Chananæos fecisse, ac simul effœminata desidia laborasse. Auaritia enim parit imbelliam.

21\. *Quod auarum est, fœmineum est, licet in viro adsit.* Iob 31. Pineda. Ambros.

Hinc Iob, *Si putaui aurum robur meum.* cap. 31. LXX. *Si posui aurum coniugium meum.* Si duxi vxorem auaritiam, quæ quidem aptè sub mulieris nomine designatur. Annotat Pineda effœminatum auari hominis animum designari, *qui velut imbecillima fœmina viris suis, auro nubit, & argento.* Ambrosius ad Psalm. 37. *Auaritia virilitatem carnis effœminat.*

22\. *Præses auaritia fœminæ, fœminæ leuant amphoram auaritiæ.* Zach. 5. Gregor.

Vidit Propheta amphoram auaritiæ imaginem. *Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* Zachar. 5. Præses amphoræ mulier, quia auaritia vitium muliebre, quod eneruat animum. D. Gregorius lib. 14. mor. cap. 26. *Per imaginem amphoræ quasi patens os auaritiæ designatur.* Porrò duæ aliæ mulieres *milui alas habentes*, (vt auaritiæ rapacitatem innuerent,) inter cœlum & terram amphoram eleuabant. Ibid. Solæ mulieres auaritiæ pondus eleuant, quia muliebre, quia imbelle piaculum auaritia.

23\. *Inermis Dominus turbas auarorum flagellauit, ex auaritia timides, mulierculas.* Matth. 21. Chrysost.

Audisti Christum Dominum vno funiculo armatum è Templo omnes vendentes eiecisse? *Intrauit IESVS in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas nummulariorum.* Matth. 21. Cur ô potentissime, non accingeris gladio tuo super fœmur, & stricto vulneras nummularios? Responderunt ne? Ausi sunt querelas excitare? Tanta auarorum multitudo non est ausa vni Christi inermi resistere; quia nihil timidius, & ignauius auaro. Chrysostom. ad Matth. 26. *Auaritia hominem inutilem, effœminatum, ac timidum ad omnia reddit.*

24\. *Auari effœminatus inuisum bellum.* Iudic. 5. Ambros.

Debora carpit illorum ignauiam, qui capti cupiditate lucri ad prælium venire ausi non fuerant. *Dan vacabat nauibus, Aser habitabat in littore maris.* Iudic. 5. Erant negotiatores, ac mutandis mercibus nimis attenti. Hos Ambrosius carpit lib. de Elia, cap. 19. *O inexplebilis auaritia*

mercato

mercatorum, cedit tibi pelagus, & mare inquietudinem tuam ferre non potest. Hæ itaque Tribus increpantur, quod bello quietem, ac lucra prætulerint. An effœminati auari possent ad belli procedere pericula? Minimè planè, quia effœminatos quosque superant formidine.

25. Foemina appellantur auari. Isa. 3. Ambrof. Cassiod.

Ideò ab Isaia fœminæ vocitantur. *Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominata sunt eis*. cap. 3. Quænam hæ mulieres? Hieronymus, Scribæ, & Pharisæi, qui turpis lucri gratia Dei Filium abnegauerunt. Ambrosius. *Auaritia virilitatem mentis effœminat*. Cassiodorus lib. 12. var. cap. 1. *Auaritia agmen habet blandissimum*. Alumni enim auaritiæ homines effœminati adnumerantur.

26. Giezi, Achab, & auari quique virginibus fatuis assimilantur, quia effœminati. Chrysost. Matth 25.

Chrysostomus asserit virgines fatuas è thalamo cœlestis sponsi deturbatas ob auaritiam, qua non curarunt eleemosynæ operibus oleum comparare. *Misera virgines*, (ait hom. 25. in 2. Cor. 11.) *è thalamo eiecta sunt, quoniam ab imbecilliori hoste ac nullo omnino robore prædito, scilicet auaritia deiecta sunt*. Nam fœmines auaritia nihil timidius, & imbellius. Addit pulchrè virginibus hisce expressos fuisse Achabum, Giezi, ac Sacerdotes Iudaicos, qui pressi auaritia corruerunt. Aptè quidem auari fœminis aptantur timiditate pressis. *Videamus ergo, quam magnum virium opum cupiditas inuasit. Nemiaem profecto, sed mulieres admodum, & abiectos Giezi, Achab, Iudaicos Sacerdotes*.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Congratulamini mihi, quia inueni drachmam.

Amicas, & vicinas conuocat mulier ad inuentæ drachmæ exultationem celebrandam, quia iuuerant illæ ad quærendi laborem.

Opera pretium est ad virtutis illectamentum, vt præmium viriliter operantibus obiiciatur. Socij laboris socij muneris.

27. Theodot. Nazianz.

QVænam amicæ ac vicinæ, quas conuocat fœmina ad celebrandam inuentæ drachmæ exultationem? Theodoretus, *Angeli, qui Dei voluntatem exequuntur*, dum scilicet custodiæ hominum deputantur, curant, ne amittatur drachma, & amissam recuperari student. Aptè Nazianzenus apud D. Thom. in Cat. *Inuenta drachma, cælestes virtutes facit participes gaudij, quas ministras dispensationis fecit*. Præmij autem exultatio addicitur ei, qui labori expendit studium. Id quod maximum est ad egregia facinora incitamentum.

28. Arbor vitæ habet arbori scientiæ proximam assistentia.

Arborum cunctarum, quas in paradiso Conditor plantauerat duæ præstantissimæ obiiciuntur: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali*. Gen. 1. Quæstio-rum, an duæ hæ arbores inuicem separatæ: an inuicem cohærentes? Respondet Moyses Barcepha p. 1. de parad. cap. 28. *Credibile est, eo loco, in quo, Adamo certamen, & lucta erat aduersus arborem scientiæ proximam extitisse arborem vitæ*. Quare, precor? *Cen victoria præmium. Vt si vicisset per continentiam, neque edisset de hoc, mox permissa fuisset ipsi illa altera gustanda. Quippe solet victori palma in promptu esse*. Solet planè, cum Deus accipit obsequium, non cum bominés; hi enim post obsequia innumera accepta, vix spem præmij impertiendi donare sciunt.

Gen. 1. Moyses Barceph.

29. Pugnanti promitur præmium, milites. Apoc. 2. Andr. Cæs.

Preme illud, *Victori palma in promptu est*, si Deus recipiat obsequia. Fatur ipse, *Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso*. Apoc. 2. Quomodo non pugnabit miles strenuè, vt victor euadat, si lignum vitale certaminis in præmium exponitur. Andreas Cæsar, in 3. cap. Apocal. *Homini itaque ex prælio, quod contra dæmones geritur, victoriam asserenti, esca de ligno vitæ decerpta promittitur, nempè æternorum bonorum communicatio. Si quidem per æternæ vita lignum eiusmodi bona designari solent*. Vitalis ergo arbor proxima est arbori scientiæ; quia quod in vna abstinendo acquiritur, & pugnatur, & vincitur, muneretur in altera.

30. Præmium illecebra virtutis. Psalm. 1. Ambrof.

Ao non præmium est virtutis illecebra? David cecinit, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*. Psalm. 1. Impiorum consilium est serpentis, & Euæ colloquium, quo Adamus ad præuaricationem affectus est. Præmisit ergo vates particulam *Beatus vir*, vt præmio obiecto facthores redderet homines ad diaboli consilia contemnenda. Ambrosius, *A præmio capit, vt pondus futuri certaminis eleuaret*.

31. Brauium primus accepit, vt omnes exciten-tur ad currendum. 1. Cor 9. Cornel. Matth 20. Chrysost.

Fatur Apostolus, *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium*. 1. Cor. 9. *Vnus* quidem, id est, *primus*, Cornelio expositore. Petierant filij Zebedæi à Domino primas sedes in Regno cœlorum, Quibus ille respondit, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Matth. 20. Quibus, quæso, paratum? Iis, qui in expugnando Regno cœlorum meritis, ac virtutibus priores ierint. Chrysostomus, *Hic enim paratur primatus, qui per opera possunt fieri primi*.

32. Iacobus assumitur ad gaudia, quia Martyrium primus fu-turus. Matth. 17. Ambrof.

Iacobus inter alios in montem Thabor à Domino transfigurando assumitur: *Assumpsit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem*. Matth. 17. Cur Iacobum? Vt præmij futuri primitias iam hinc prælibaret. Ambrosius ad Luc. 9. *Quia primus Martyrium sustinuit*. Et Damascenus apud Abul. quæst. 12. *Iacobum assumpsit tanquam moriturum pro Christo ante omnes Discipulos*. Præmij enim primitias sibi vendicant, qui laboris primas suscipiunt.

33. Moyses & Elias vocantur, quia operam quirenda drachma operam exhibuere. Luc. 9. Tertull.

Transfigurationis die non solum tres Apostoli, sed & Moyses & Elias ad gloriosum admissi spectaculum. *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate*. Luc. 9. Cur Moysi, & Eliæ tanta exultatio expenditur? An non festiuitas illa drachmam inuentam celebrabat? Conuocat ergo Dominus amicas & vicinas facus, *Congratulamini mihi*. Hi enim laboribus expositis, animarum lucrationem cooperati fuere. Tertullianus appositè lib. 1. adu. Marc. cap. 23:

Sed

Sed quid tam Christus creaturis, quam gloriam suam communicare cum principalibus suis quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque. Amicas ergo Mulier, id est, Christos, *facit participes gaudij, quas ministras dispensationis fecit.*

36. *Quam stultum, laborem indicere sine præmij promissione. Eph. 6. Chrysost. Nilus.*

Paulus ad hæc, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes & Potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* Eph. 6. Particulam, *In cœlestibus* Chrysostomus legit, *Pro cœlestibus.* Quod quidem laborem imminuit. An non stultum, laborum indicere pondus, & de præmio nihil differeret D. Nilus in Ascet. *Quid porrò stultius, quam certamen inire, in quo nulla corona sit spes? Et pugnam perpetuam suscipere, cui nulla merces proponatur? Et fodiendo sudorem assequi, & propterea nihil? Cæterum,* (iudæos carpit,) *quæ certaminum vtilitas, aut quis fructus ex laboriosa vita potest illis esse, qui remuneratorem Christum sustulerunt.* At Christicolæ ad nostra Christum certamina afferimus, vt nos socios laboris ad inuentionem drachmæ impensi ad exultationem dignetur conuocare: *Congratulamini mihi.*

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Et cum inuenerit, cōnuocat amicas, & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, &c.

Mater Ecclesia Deum, & Angelos inuitat ad inuentæ drachmæ festiuam celebrationem.

Expendo, quam iucunda sit superis peccatorum conuersio.

37. EX conuersione peccatoris tribus in Parabolis gaudium cœlestibus incolis indicitur. Patrisfamilias domus, symphonia resonante, exultat, cum Prodigus redit, conuiuium instituitur, Pater ipse cœlestis epulatur. Cum ouicula reducitur ad desertum, amici Angeli inuitantur ad gaudium. Cum autem drachma perdita inuenitur, vicinæ, & amicæ, id est, Angeli à fœmina, scilicet à Christo Domino aduocantur, vt profusa lætitia inuenti hominis, pœnitentis animæ festiuitas celebrari possit. O quantum gaudium cœlicolis, peccatore pœnitudine affecto! Ambrosius, *Cœli incolæ hominum conuersione lætantur; proficis hoc ad incentiua probitatis, si conuersionem suam quisque gratam fore credas Deo, & Angelis, quorum affectare patrocinium, at vereri debet offensam.*

Ambrof.

38. *Colige Magdalenam plorasse ex pœnitentia affectu, si quidem Angelos attraxit. Ioan. 20. Bernard.*

Magdalena apud sepulchrum Domini non solum cadaueris ablatione, sed & peccatorum recordatione flebat. Vnde colligis? Quia Angeli attracti quidem lacrymarum musica auolauerunt quæritantes, *Mulier, quid ploras*, Ioan. 20. Ac si vulgariter profiterentur, *Muger, bueluo à cantar esse motete.* Nec mirum, si Bernardus Angelorum delicias lacrymas pœnitentis appellauit. *Gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Deliciæ Angelorum lacrymæ.*

39. *Tripudiat carcer, vinculis solutis, imo tripudiant Angeli, pecca vincula confracta. Act. 16.*

Paulus & Sylas in carcere custodiuntur, Præses carceris ad meliora conuersus, in hanc vocem erupit, *Domine, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Act. 16. Præmittit Lucas, *Terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris; & statim apertæ sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta.* Fundaminibus carceris motis soluuntur vincula. Simul vincula soluuntur, & mouentur fundamina. Haud horror indicitur, sed solutionis vinculorum festum celebratur, fundaminum motio illa tripudium est, præsignans veracium vinculorum solutionem, & cœlicolarum tripudium. Soluitur vinculum custodis carceris, & fundamina cœli commouentur, Angelis saltantibus. Chrysostomus hom. 8. ad cap. 4. Ephes. *Domine,* ait custos, *quid me oportet facere? Quid hac voce iucundius? Ipsa fecit saltare,* non iam fundamenta carceris, sed *Angelos. Vt hanc vocem audiret seruus quoque factus est Dei vnigenitus.*

Chrysost.

40. *Vox pœnitentiæ non est symphoniæ rusticæ, sed aulæ cithara.*

Miraris, cœlicolas ad symphoniæ rusticam musicam è cœlo prolabi: ipsúmque Dei vnigenitum seruum factum, vt perciperet pœnitentiæ concentum? Symphonia est quidem nomine tenus musica, veraciter autem suauitatem citharæ imitatur. *Sicut vox citharœdorum,* (ait Angelus ex puritate Ioannes,) *citharizantium in citharis suis.* Apoc. 14. Quam dulcis vox! Quinam hi citharizantes? D. Bernardus, *Citharizant in citharis suis, qui voluptatis affluxionem pœnitentiæ restrictione reuerberant.* Non est tugurij pastorum cantus, sed aulæ musica.

Apoc. 14. Bernard.

41. *Musica est digna Deo, & Angelis auditu. Psalm. 137.*

Sciens Dauid gratam esse Angelis aulicis pœnitentium vocem citharam capiens, ait: *In conspectu Angelorum tibi.* Psalm. 137. Preme particulas, *Tibi*, & *In conspectu Angelorum.* Tam dulcis est vox, vt & Deo dicari possit, & Angelis iucunditate afficere. Quænam illa vox Angelis iucunda, imo & Numini grata? Pœnitentis planè affectus. Hieronymus, *Vide professionem pœnitentis; quia post confessionem, & pœnitentiam Deo cum Angelis meretur psallere.*

Hieron.

42. *Æterna exultationis affinis est. Phil. 4.*

Vox pœnitentiæ æternæ est affinis exultationis, digna curiæ cœlesti: non vulgarem existimes lacrymarum vallis. Monet Apostolus, *Gaudete in Domino semper.* Phil. 4. Semper? Quonam modo *semper* in hoc sæculo penituro gaudendum? Profectò si pœnitentiæ affectum expresseris, æterna gaudia in terris æmularis. Basilius hom. 4. de grat. act. *Vt beata illius vitæ imaginem quandam conemur exprimere, iussit nos gaudere semper Apostolus. Et ibidem Apostolus vt cum flentibus,* seu pœnitentibus, *& ipsi fleamus, permittit. Quod eiusmodi lacrymæ sint seminarium quoddam, ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increscit quotidie, & cumulatur.*

Basil.

43. *Apparatur Deo conuiuiam, dum pœnitens reducitur. Magdalena lacryma Deo epula. Luc. 7.*

Quid de conuiuio apparato attexuerim? Aptè occiditur vitulus saginatus, dum peccatoris conuersio celebratur, quia lacrymæ pœnitentis dulcissimus cibus, suauissimus Deo potus. Magdalenæ pœnitentiam lauto Pharisæi conuiuio Christus ante tulit. *Pedibus meis aquam non dedisti*, Luc. 7. Ambrof. lib. de Pœn. cap. 12.

Ambrof.

Prefert

Præfert apparatibus inuitantis Pharisæi pœnitentis Magdalenæ obsequium. Magis [illegible] mulieris facto, quam prandio; cui plus fuit, conuersione delectari, quam pasci. Vt qui cibo de [illegible] minime ducebatur, con[illegible] sensus epulis p[illegible]retur.

44.
Sitiens lacrymas Magdalena Christum ad epulum Pharisæi accessit.
Luc. 7.
Chrysol.

Existimas Christum ad Pharisæi domum diuertisse epulas absumpturus? Quam amaræ epulæ ei, qui assiduo ieiunio delectatur. Cui quidem cibus ille solum est dulcis, si Patri obsequatur voluntati. Quid igitur eum ad prophanam Pharisæi domum adduxit? Sitiebat equidem pœnitentis Magdalenæ suauissimis potari lacrymis. Chrysologus serm. 93. Christus illam ingressus est domum *non tam epulaturus, quam pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum.* Bernardus, *Cibus eius pœnitentia mea, cibus eius salus mea. An non cinerem tanquam panem manducas?* Pœnitentiæ meæ cinis dulcissimus esurienti Domino panis est.

45.
Vitulus mactatur, symphonia resonat, Magdalena plorante.
Luc. 15.
Chrysol.

In Magdalena pœn[illegible]nti Prodigum reuertentem contemplare. Vitulus saginatus occiditur, resonat symphonia, Pater Deus cum Angelis epulatur, Luc. 15. Ad hæc Chrysologus citat. *Pœnitentia ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura: & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui, & corporis symphoniam.*

46.
Spiritus sanctus iubilat, peccatore plorante.
1. Reg. 10.
Brixian.
Origen.
Ambros.

Quod si & Patris, & Filij delicias ex peccatoris conuersione expressimus, Spiritus sancti exponamus exultationem. Amat quidem ille gementes. Samuël ad Saül, *Obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & cithara, ipsique prophetantes. & insiliet in te spiritus Domini.* Reg. 10. Brixianus, *Præcedebant eos varia musica instrumenta: quod spiritus Dei non insiliat in eos, qui mœsto sunt corde, sed hilares.* Hoc olim. At nunc Spiritus sanctus in mœstos ac pœnitentes insilit. Origenes hom. 23. in Num. *Agit festum Spiritus sanctus, cum in his, qui conuertuntur, videt sibi templa parari.* Ambrosius, *Gaudet Spiritus sanctus saluti nostra, non sibi, qui non indiget lætitia.* At hilares amat; quia qui mœsto sunt corde ex affectu pœnitentiæ vera hilaritate afficiuntur.

AD DEIPARENTEM
DOMINAM EPILOGVS.

August.

CVNCTIS in Parabolis, (ex Augustini mente,) Christus Dominus Redemptor exponitur. Si Filius Regis ducit sponsam, Si debita homini condonantur, Si Lazarus ad superos auolat, Si Villicus edocet pauperibus subuenire, Si cœna magna pauperes aduocat, & admittit, Si Publicanus iustificatur, Si sinapis totius Regni cœlorum vim exerit, Si semen terra in bona fructificat, Si vinea Domini Sabaoth colitur, Si operariis cœlestis denarius impertitur, Si zizaniis ablegatis, triticum in horreum adfertur, Si à latronibus vulneratus medicamine afficitur, Si Prodigus redit, Si Ouicula inuenitur, Si Drachma recuperatur vnica: hominum Redemptio celebratur. Contemplor, ô Virgo, tuam agi causam, cum Filij copiosa Redemptio colitur; quia Corredemptricem te meritò prædicarim. Richardus Laurent. lib. 3. de laud. Mar. *Redemptionem*, inquit, *mundi operata Maria, quando portio ipsius à Dei Filio assumpta, in Cruce immolabatur.* *Exclamat Bernardus, O diues in omnes, & super omnes Maria de cuius substantia pars assumpta, totius mundi sufficit soluere debita. Grandis in vsus proprios remansit diuitiarum copia, quarum assumptio redimere, & restaurare potuit vniuersa. Nec solum tunc operata est illa caro mundi salutem, vel Redemptionem: Sed & quotidie operatur; quia carne eius pascimur, & potamur in Filij sacramento: Caro enim matris & Filij vna caro. Et ideò cum Filio potest ipsa dicere illud Ioan. 6. Caro mea verè est cibus. Et fortè propter hoc dicitur, Qui edunt me, adhuc esurient.* Cum igitur Parabolarum serie Christi copiosam aspexeris Redemptionem, Deiparentis gloriam simul efferes Panegyride.

Rich Laur.

Bernard.

LAVS DEO, IESV, DEIPARÆ, IOSEPHO, IGNATIO, ANTONIO.

INDEX

INDEX

Perfectarum Concionum,

DE CHRISTI PROPHETIIS.

Iuxta recentem perficiendorum sermonum normam.

1.

Domini. I. Aduent.

Erunt signa in Sole, & Luna. Luc. 21.

DOMINVS Discipulis extremi diei exponit horrores, vt contremiscant instar hominum arescentium: *Arescentibus hominibus præ timore.* Mox iubet ad consolationem capita leuare: *Leuate capita vestra.* Profectò Deipara & aruit, & caput subleuauit. *Egredietur virga de radice Iesse.* Isa. 11. Arens, instar virgæ ostentatur, dum tremula obiicitur, & erecta sursum exponitur. Pulchrè Richardus Laurent. lib. 12. *Maria virga fuit arescens, & tremula, timuit enim iudicia Dei fiducialiter. Vnde Prou. 31. Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.* Fuit etiam *virga sursum erecta, per fiduciam, & dilectionem Dei; quoniam ignis & sursum naturaliter ascendit, & sursum suam materiam trahit. Ideò dicitur Mariæ, & omnibus iustis: Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Vel Angeli, vel Diui augustissimi debent terrore concuti, vbi Deus iudex exsurgit.* lib. 1. sect. 1. n. 12. p. 6. Signa horribilia ostentantur in Sole, Luna, & Stellis, tota tremit creatura: homines exarescunt. Quid mirum, si vel virtutes cœlorum, id est aut Diui, aut Angeli quodammodo commouentur? Vndenam tantus tremor? *Tunc,* inquit Lucas, *videbunt Filium hominis venientem cum potestate magna, & maiestate.* Si Filius Dei iudex, quis non contremiscat?

Clausf. 1. *Erunt signa in Sole.* In signis adest nunc Sol iustitiæ benignissimus peccatoribus. In iudicio autem signa horribilia erunt in Sole ad peccatorum æternum exitium. *Ostende hinc, maiorem Dei misericordiam in acrius iudicium ingratis conuertendam.* lib. 1. sect. 1. n. 22. p. 7.

Clausf. 2. *Tunc videbunt Filium hominis venientem.* Quia Filius hominis iudicaturus aspicitur, magis horribilis apparebit quam si sub Dei forma hæresceret tribunali. Nullus enim dirior hostis exsurgit, quam amicus ingratorum iniuriis prouocatus. lib. 1. sect. 2. n. 10. p. 14.

Clausf. 3. *His autem fieri incipientibus, respicite.* Pœnitentiæ actibus respiciamus, vt liberemur *his fieri incipientibus*, id est, statim post delictum. *Moneat auditores, ex procrastinatione animum obdurari; pœnitentiam dilatam difficilè institui. Mox alia facilitatem exprime.* lib. 1. sect. 2. n. 18. p. 16.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Illectamenta criminis peccatori in horribilis torturæ materiam conuertuntur.* lib. 1. sect. 1. n. 28. p. 8. Eo creaturas omnes, è quibus homines illectamenta susceperant, vel subsidium ad crimina, exercitu ducto iudicij die dimicare *contra insensatos.*

Clausf. 1. *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis.* Dei nunc accepta beneficia diriores peccatoris ingrati carnifices iudicij exsurgunt instantia. *Quot ergo accipis beneficia ingratus, tot ad exitium tuum carnifices irritas.* lib. 1. sect. 1. n. 35. p. 9.

Clausf. 2. *Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quia nostra est saluatio, nostra sit pœnitentia. *Taxantur, qui alienis operibus intuntur, dum propria salutis negotium agitur.* lib. 1. sect. 2. n. 25. p. 16.

Clausf. 3. *Videte ficulneam.* Mundi ruina illustretur ex ficulneæ parabola. *Vbi ostendendum est, nil in mundo stabile; prosperitatem euidenter innuere casum, solummodo stabile Dei Regnum.* lib. 1. sect. 2. n. 39 p. 18.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Peccatum est proxime particularis iudicij euidens indicamentum.* lib. 1. sect. 1. n. 51. p. 12. Qui particulari in iudicio liber exsurgit, in vniuersali nullo discrimine afficietur. Cur ergo cum ad vniuersale iudicium tot signa præcedant: non etiam ad particulare præmittantur? Certè non solum iudicij externi signa præbentur, sed à munificentissimo Domino etiam particularis iudicij semper peccatori signa præstantur. An non peccatum ipsum signum iudicij est.

Clausf. 1. *Arescentibus hominibus præ timore.* Faciet homines arescere expectatio Christi venturi ad iudicandum. *Maior enim nunc accepta nobis à Deo misericordia horribilior aderit iudicij incitamentum.* lib. 1 sect. 1. n. 40. p. 10.

Clausf. 2. *Nam virtutes cælorum commouebuntur.* Iudicij dies Præsulibus formidolosior est; nam virtutes commouentur. *Districtior enim ratio exigetur ab iis, qui subditos accepere gubernandos.* lib. 1. sect. 1. n. 45. p. 11.

Claus. 3. *Leuate capita vestra.* Post signorum horrores quasi consequenter capitis indicitor eleuatio. *Quia tribulationes salutem, redemptionemque nostram à malis cunctis attrahunt.* lib. 1. sect. 1. n. 32. p. 17.

2. Feria II. post Dominic. I. Quadrages.

Cum venerit Filius hominis. Matth. 25.

Salut. HOdie ouibus ad dexteram collocatis, hædi statuuntur ad sinistram. Quid horribilius. Ergo accurrendum ad Mariam, vt ante sententiæ prolationem nos peccatores à sinistra deducat ad dexteram. An præstabit? Audi Richardum Laurent. lib. 2. *Sicut Filius Dei mediator est Dei & hominum, ita & Maria nostra ad Filium est mediatrix. Ad quod innuendum Christus Pastor moriens ipsam habuit ab Aquilone, quasi hoc ipse diceret, quod Maria mediante, dextram sua propitiationis extenderet ouibus congelatis.* O vos, (inquit Pastor,) *peccatores, precibus Matris meæ vobis dexteram porrigo. Statuet quidem in iudicio hædos à sinistris, sed oues à dextris. Hædi nunc mutantur in oues, quia Maria orando, eis impetrat propitiationem.* Quid pulchrius.

CONCIO I.

Ex Augustioi meote in die nouissima horribilis ineffabiliter apparebit Dominus *ex aduentu, & ex recessu.* O calamitas!

Discurs. 1. *Cum venerit Filius hominis.* Porrò ostentabitur horribilis *ex aduentu.* Quonammodo horribilis, si venit Filius hominis? Certè amor, Verbi, quo se Filium hominis dedit peccatoribus, horribilius est irati Numinis documentum. *Nam quo Deus benignior hic delinquentibus, eo in futuro immitior exsurget.* lib. 2. sect. 1. n. 15. p. 24.

Discurs. 2. *Discedite à me maledicti.* Verum horribilior adhuc Dominus ostentabitur *ex recessu.* Quia horribilior gehenna erit illa à Christo Domino separatio. *Non benè pro cunctis Deus bonis commutatur, cuius amissio cunctis malis est maior.* lib. 2. sect. 2. n. 17. p. 31. Vno & altero puncto copiosa longæ concioni materies exhibetur.

CONCIO II.

Inuentum totius Euang. NIl sic peccatores continet, ne ad iniustas prolabantur actiones, quam iudicij memoria. lib. 2. sect. 1. n. 28. p. 27. Ideò Dominus exposita Pastoris segregantis oues ab hædis parabola, tam longum de iudicio, de indicis sententia, de exceptione ouium ad Regnum, déque hædorum deturbatione ad tartara, texuit sermonem.

Claus. 1. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.* Angeli iudicem comitantur, vt testes existant criminum hominis, quem custodierunt. *Affere, peccatis, scandalo oborto, peractis supplicium publicum respondere.* lib. 2. sect. 1. n. 23. p. 25.

Claus. 2. *Tunc dicet his, qui a dextris eius erunt: Venite,* &c. *Esuriui enim,* &c. Facillimus ad superos obiicitur aditus, eleemosyna pauperibus exposita. *Porrò eleemosynæ non datur beatitudo, sed soluitur.* lib. 2. sect. 1. n. 34. p. 27.

Claus. 3. *Discedite maledicti in ignem æternum.* Cogimur ex æternitatis contemplatione, viam arctam virtutis arripere. *Desperata enim salutis est, qui ex aspectu ignis æterni non flectitur.* lib. 2. sect. 2. n. 44. p. 34.

CONCIO III.

AVgustinus apud Saà. *Factus est homo malo dignus æterno, in se peremit bonum, quod posset esse in æternum.* Ignis æternus? Quis non totis artubus contremiscat?

Discurs. 1. *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Tartarei ignis horrores expende. Vnde assere, *omnium tormentorum colligationem ignem tartareum esse, vt vel nomen sit horribile peccatori.* lib. 2. sect. 2. n. 26. p. 32.

Discursa. Æternitas damnatorum pœnæ ponderetur. *Vt sit nobis horror æterni supplicij ad vitij fugam, ad virtutis incitamentum.* lib. 2. sect. 2. n. 35. p. 33. Quam copiosa ad Concionem integram materia meditatio ignis, æternitatis contemplatio!

3. Feria IV. post Dominic. I. Quadrages.

Magister, volumus à te signum videre. Matth. 12.

Salut. SIgnum de cœlo Iudæi olim à Domino quæritabant. At ille de tartaro eis signum exhibuit: *Signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ.* Proh filiorum Ecclesiæ fœlicitas, queis signum de cœlo in salutis æternæ documentum exhibetur! *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole.* Apoc. 12. Ad quæ Richardus Laurent. lib. 12. *Maria est signum in cœlo, quia signat nobis sermonibus, quid amplectendum sit, quid cauendum. Et est signum magnum ratione vtilitatis immensa; quia mediatrix miseris ad gloriam assecutionem.*

CONCIO I.

Inuentum totius Euang. GEnus graue vituperationis est, quem unquis commendabilem apparere. lib. 3. sect. 1. n. 21. p. 41. Vnde Dominus cum se videret ab iniquis laudatum Magistri appellatione: inuectiuus exsurgit, *Generatio mala, & adultera signum quærit,* &c. O impij, tot miraculorum effectorem immundi labij commendationibus deturpatis?

Claus. 1. *Magister, volumus à te signum videre.* Signum damnationis Iudæis datur à Domino, quia miraculum futurum expectant, vt se ad frugem meliorem recipiant. *Nam ad tetendam pœnitudinem, quodlibet futurum periculosum est. Si fieri posset, agenda esset pœnitudo, cum pius nullum perpetratur.* lib. 3. sect. 1. n. 14. p. 40.

Claus. 2. *Generatio mala, & adultera signum quærit.* Murmuratores aptè Dominus vocauit adulteros. *Quia plerumque luxuriæ agnata est detractioni.* lib. 3. sect. 1. n. 44. p. 44.

Signum

Claus. 3. *Signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ.* Vltimum medicamen præparat Dominus ad salutem inimicorum suæ mortis simulachrum. *Inconuertibiles ostenditur, qui ad conspectum Dei mortui non corrigatur.* lib. 3. sect. 1. n. 59. p. 46.

CONCIO II.

Interitum totius Euang. *Damnationi nos addicit propria voluntatis generandæ affectatio.* lib. 3. sect. 1. n. 37. p. 43. Vnde affectate volentibus signum videre salutis prætextu, exitij æterni indicamenta Dominus protulit: diabolique ad domum pectoris æternam reuersionem comminatur.

Claus. 1. *Magister, volumus à te signum videre. Generatio mala*, &c. In adulatores Dominus acris exurgit. *Quia adulatio grauis admodum hominis tacti est persecutio.* lib. 3. sect. 1. num. 28. p. 42.

Claus. 2. *Generatio mala, & adultera.* Generatio Pharisæorum mala, siue superba: consequenter appellatur adultera. *E superbia etenim sæpè assolet luxuria generari.* lib. 3. sect. 1. num. 52. p. 45.

Quæ est Mater mea, &c. Dominus asserit, Matrem, ac fratres profiteri eos, qui Patris cœlestis gerunt voluntatem. *Consanguinitas enim posthabenda Religioni.* lib. 3. sect. 2. n. 45. p. 53.

CONCIO III.

Interitum totius Euang. *Ex praua consuetudine facilè in crimina, speciatim libidinis, relabimur.* lib. 3. sect. 2. n. 14. p. 49. Pharisæi *generatio adultera* à Domino appellatur. At post spiritus immundi recessionem facilè ad miseros adulteros reuersio adstruitur. Luxuriosus enim domum mundatam scopis pristinæ præparat voluptati.

Claus. 1. *Cum immundus spiritus*, &c. *Inuenit eam vacantem.* Dum diabolus domum vacantem inuenit, siue hominem torpentem otio videt, facilè inibi collocat domicilium. *Otiositas enim est magnum admodum ad salutem offendiculum.* lib. 3. sect. 2. n. 19. p. 50.

Claus. 2. *Inuenit eam scopis mundatam.* Domus scopis mundata, & auleis ornata; hoc est, homo superficialiter mundatus, facilem aditum diabolo præparat. *Quia si leuis pœnitudo est, & superficialis animi ornatus, recidiuo præparatur occasio.* lib. 3. sect. 2. n. 26. p. 51.

Claus. 3. *Tunc assumit septem alios spiritus nequiores se.* Nullum lapidem Satanas non mouet, vt hominem, quem possedit aliquando, & pulsus ab eo per pœnitentiam fuit, rursum valeat possidere. *Ideò obturandæ sunt tibi omnes rimæ, magna est adhibenda custodia; ne rursum prolabaris in crimina.* lib. 3. sect. 2. numero 32. p. 51.

Claus. 4. *Nequiores se.* Hæc diaboli nequitia nequitia est, non posse quiescere, nisi noceat. Quàm quidem consuetudinem imitantur homines, *qui lætantur, cum delinquunt: neque eis nisi in nequitia gaudium.* lib. 3. sect. 2. numero 38. p. 52.

Feria II. post Dominic. II. Quadrages.

Ego vado, & quæretis me. Ioan. 8.

Salut. DOminus Iudæis impiis minitatur, *Ego principium, qui & loquor vobis. Quæretis me, & in peccatis vestris moriemini*, vtique quia me non inuenietis. O si peccatores quæsituri Dominum pergerent ad Mariam, à qua minimè recedit! Pulchrè ait Richardus Laurent. lib. 1. *Ipse Dominus dicit, Ego principium, qui & loquor vobis. Quæretis me*, &c. *Vis autem audire, quomodo stella nostra Maria illum habet intra se, ne vadat? Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Vis audire, quod non possit ab illa discedere? Audi ipsam in Canticis, Tenui eum, neque dimittam.* cap. 3.

CONCIO I.

Strabus ait, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Vado sponte, & ideò frustra laboratis. Pœnam eis prædicit non inuenienda*, dum non aptè, aut non verè requirunt.

Discurs. 1. *Ego vado.* Strab. *Vado sponte.* Voluntariè Christus pergit ad mortem, ei renuenti nulla vis poterat exitium inferre. *Innuit planè, nullum posse te subire periculum, dum curas alios ad salutem adducere. O prædicatorum incolumitatem!* lib. 4. sect. 1. n. 10. p. 57.

Discurs. 2. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Strab. *Pœnam eis prædicit non inueniendi.* Deus, qui ouiculas quærit errantes, aliquando à requirentibus se minimè inuenitur. *Quia in tempore quærendus, vt inueniri possit.* lib. 4. sect. 1. n. 15. p. 58.

Discurs. 3. *Quæretis me*, &c. Quærens peccator Dominum, non inuenit, quia non verè requirit. *Nec enim omnes verbum quærentes, inueniunt; sed qui, segnitie ablegata, multiplicatis virtutis actionibus, quærere satagunt.* lib. 4. sect. 1. num. 20. p. 59.

CONCIO II.

Interitum totius Euang. *Patiens innocentia exhibet documenta Deitatis.* lib. 4. sect. 2. n. 30. p. 65. Curauit Dominus se ostendere Dei Filium, dum se sponte vadere affirmat, dum futura prædicit, dum se verbo asserit *Principium.* At illi minimè dignouerunt. Affirmat autem Dominus, *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*, qui sum. Suffigitur innocentia, & Deitas reseratur Filij hominis.

Claus. 1. *Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis.* Cum Christus sit Principium, seu Princeps omnium, loqui comiter, & suauiter non dedignatur vel subditis impiis. *Comitas enim & suauitas in Præsule efficit subditos promptissimè præceptis subiacere.* lib. 4. sect. 2. numero 16. p. 63.

Claus. 2. *Principium, qui & loquor vobis.* Christus sic à Principio est Principium, vt nullum ei virtutis opus vltimum sit: sed simul sit dextera semper nouarum actionum operatrix.

Edocet iustos, nunquam sistere in perfectionis via: sed in vertice collocatos, nouas perfectionis vias inchoare. lib. 4. sectio 2. numero 23. p.64.

Clauf. 3. *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis.* Cum Christus puris ab animis exaltatur, cognoscitur. *Dei enim scientia, & cognitio ab animarum puritate, & innocentia ortum habet.* lib. 4. sect. 2. n. 36. p. 66.

CONCIO III.

Christus tunc in Templo aderat edocens. Beda ait, *Diluculo venit in Templum, & omnis populus venit ad eum. Postquam cœpit habitare in Templo suo, id est, in Ecclesia, aut in anima Religiosa: ab omnibus gentibus adoratur*, colitur, celebratur. Et quis Dominum in Delubro, aut anima Religiosa sponsa quidem Dei non colat, non adoret, non celebret? O quam horribile facinus Deum aut in Templo, aut in anima Religiosa contemnere! Profectò nondum venerat hora apprehendendi, ac violandi in Templo Saluatorem. Postea quæsitus in Templo est ab impiis Templi violatoribus: queis nunc impœnitentiæ supplicium prædicit. *Quæretis me* in Templo violatores: *& moriemini in peccato vestro.* lib. 4. sect. 1. n. 26. p. 60.

Discurs. 1. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Immediatè Christum in Templo persecutione afficere, signum est damnationis. *Difficilis enim salus eius, qui violat Templum materiale, vbi Deus colitur.* lib. 4. sectio 1. numero 27. p. 60.

Discurs. 2. *In peccato vestro moriemini.* Beda, *Aut in anima Religiosa.* O quam difficilis salus ei, *qui Templum violat spirituale, id est, sanctimoniales prophanare non veretur.* lib. 4. sect. 1. numero 31. p. 61.

---

5. Feria IV. post Dominic. II. Quadrages.

Assumpsit IESVS *duodecim Discipulos suos secretò.* Matth. 20.

Salut. QVi secreto Discipulis suam instare passionem reuelauit; putas ne à Deipara abscondisse secretum? Certè ei reuelauit passionis fructus, qui piissima Mariæ intercessione erant hominibus præsentandi, sedata nempè ita, quam ex suffixione concepturus erat. Audi perpulchram Richardi Laurent. sententiam lib. 5. Dixit Discipulis suis secretò: Ecce ascendimus Ierosolymam, &c. Satis etiam credibile est, quod Matri colloquens in secreto, ei prædixerat passionem suam. Sic Cant. 8. *Dixi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ. Est sensus, Dixi Matri meæ, quod ascendam in palmam, id est, exaltabor in Cruce; & apprehendam fructus eius, hoc est, vtilitates prouenientes ex ipsa mea crucifixione; quæ sunt, Resurrectio, Ascensio, Spiritus sancti missio, & remissio peccatorum. Tunc erunt vbera tua sicut botri vineæ. Recordabor enim, quod de te carnem assumpserim, quod lac de tuis vberibus sumpserim; & ista recordatio tanquam vini potus, præsentis irritationis, & indignationis oblivisci me faciet, ne festinem ad vindictam.*

CONCIO I.

Introitum tium Euang. *Princeps debet indifferentem erga subditos benignitatem exhibere.* lib. 5. sect. 1. n. 30. p. 73. Ideò Dominus omnes ad mysterij passionis reseratationem Discipulos aduocat, nec Iudas excluditur, & Zebedæi filij particularem sibi Regem cupientes addicere, reprehenduntur. Quam aptè, cum Ducem se illorum ostendit! *Ecce ascendimus Ierosolymam.*

Clauf. 1. *Assumpsit* IESVS *duodecim Discipulos suos.* Et Iudas vnus è duodecim fuit tunc assumptus in Ierosolymam; post paruum temporis interstitium Dominum traditurus. Moneantur auditores, *Ne in vertice sanctitudinis collocati glorientur; nec immobiles putent se futuros. Cedrus Libani cadit.* lib. 5. sect. 1. num. 13. p. 71.

Clauf. 2. *Secretò.* Vt Crucis mysterium arcanum non vulgaretur vsque ad opportunitatis instantiam: Christus id selectioribus Discipulis commendat. *Ad secretum enim custodiendum sanctitas agnata obicitur.* lib. 5. sect. 1. num. 23. p. 72.

Clauf. 3. *Tunc accessit ad* IESVM *mater filiorum Zebedæi.* Adorante, & petente matre, filij adorauerunt, & postularunt. *Cuncta etenim filiorum actiones assolent parentibus tribui; quasi indiuidua sit patris, ac filij essentia.* lib. 5. sect. 2. n. 1. p. 78.

CONCIO II.

Introitum tium Euang. *Cœlestia bona operum bonorum sunt retributio. Non dantur, sed retribuuntur eis, qui labore acquisierunt.* lib. 5. sect. 2. n. 42. pag. 83. Indicit Dominus Discipulis ad cœlestis Ierosolymæ ascensionem passionis labores subeundos. At cum velut laborum, ac operum obliti Zebedæi filij cœlestis Regni thronos postularent: eis Dominus inquit: *Sedere ad dexteram, non est meum dare.* Vtique quia suum *est retribuere.*

Clauf. 1. *Accessit ad* IESVM *mater filiorum Zebedæi,* &c. Licèt stulta petitio: parce matri pro filiis postulanti. *Porrò affectus minimè merita discutit.* lib. 5. sect. 2. n. 9. p. 79.

Clauf. 2. *Accessit mater.* Vt à Domino Salome impetret facilius, quod postulat: adorationis opus præmittit: *Adorans, & petens. Opera enim efficacius, quam verba proclamant.* lib. 5. sect. 2. n. 14. p. 79.

Clauf. 3. *Et petens aliquid ab eo.* Iacobus, & Ioannes subornant matrem petituri dexteræ, ac sinistræ locum. Quia nobilibus ingeniis, præcipuè virorum, grauissimum est, petere. lib. 5. sect. 2. n. 20. p. 80.

CONCIO III.

Introitum tium Euang. *O quam horribile est nobili cordi, opprobriis affici!* lib. 5. sect. 1. n. 48. p. 76. Vnde Dominus, qui baptismo baptizari pro hominibus cupiebas: *O quomodo coarctor, donec perficiatur!* recolens

... passionis historiam, illusionis, ac flagellationis vilissimæ specialissimè tradidit improperium ponderandum: *Et Filius hominis tradetur ad illudendum, & flagellandum.* Recole horribilem vulneris lanceæ contumeliam. lib.5.sect.1.n.48.p.76.

Clauf.1. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Si ad passionem acerbissimam pergit, quare tantam ostentat alacritatem? Certè quia promptitudo ad labores sustinendos, ipsos mirum in modum imminuit. Edocet ergo Martyres suos quonammodo tormentorum alleuianda molestia. lib.5.sect.1.n.37.p.74.

Clauf.2. *Et Filius hominis tradetur.* Videns, & sciens Dominus cuncta, quæ instabant, tormenta: necessario grauiori vulnere sauciatur. *Certè intellectus acumini præstantiori aguatum, plus affici vinurus, plus laboribus vulnerari.* lib. 5. sect. 1. n.41. p.79.

CONCIO IV.

Chrysostomus, *Potestis, ait, bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Sciebat ipsos posse imitari passionem: sed interrogat; vt omnes intelligant, neminem posse cum eo regnare, qui eius passionem non fuerit imitatus.* En Euangelij totius spiritum. Vultis Ierosolyma cœlesti potiri? *Ascendamus*, nec solus incedam. Vultis sedibus frui beatis? *Non est meum dare*, sed operantibus, seu bibentibus calicem retribuere.

Discurs.1. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei.* Petentibus Regni temporarij sedes, Dominus ait, proculdubio illos calice passionis petiisse potari. *Quia idem est, Regno temporali potiri, ac cunctarum amaritudinum calicem exhaurire.* lib.5.sect.2. n.26. p.81.

Discurs.2. *Sedere autem ad dexteram meam, non est meum dare vobis.* Deus propitius non dat electis suis, sedere: commoditates temporarias non impertitur: sed solummodo necessaria ad victitandum. *Contemplare, qualia temporaria bona, quæ Deus exhibet iratus, propitius abnegat.* lib.5.sect.2. n.34. p.82.

Discurs.3. *Calicem quidem meum bibetis*, &c. Vterque quidem, id est, tam Iacobus, quam Ioannes Martyrij calicem epotauit, vnus corpore, alter mente. *Qui piè viuit, qui passiones mortificat, qui se abnegat: Martyr est, spiritu quidem vulnerato.* lib.5.sect.2.n.48.p.84.

---

6. Dominic. III. post Pasch.

Modicum & iam non videbitis me. Ioann.6.

Salut. MVlier, inquit Dominus, *tristitiam habet, quia venit hora eius.* Haud aliter anima fidelis debet tristitia affici velut parturientis, cum profectionis Dominicæ annunciatur instantia. O Mariam! Pariens IESVM lætitia perfunditur, vt moriente ipso, verè parturiret tristitia vulnerata. Richardus Laurent. lib. 4. *Mulier cum parit tristitiam habet. Lex naturæ est, vt mulier parturiat prius, quam pariat. Sed Maria sine dolore peperit Saluatorem. At in passione quem diu ante pepereras, parturis. Tunc gladius doloris transiuit membra Filij, sed pertransiuit Matris viscera; quia tunc fuit omnis plaga tristitia cordis eius.* Eccli.25.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Absentia incommodum amantibus ineffabile omnino est.* lib. 6. sect. 1. n. 21. p. 90. Ideò Dominus cum dixisset, *Modicum & iam non videbitis me*, mox addidit, *Modicum & videbitis me.* Rursum autem fœminæ parturientis parabola, seu similitudine si absentiam in parturitione expressit, reditum in natalitio infantis exposuit: *Iterum videbo vos.*

Clauf.1. *Modicum & iam non videbitis me.* Quonammodo modicum tempus sit, quo sine IESV degunt Apostoli, si absentia dilecti perbreuis æternitatem æmulatur. *Certè quia modica est omnis tribulatio, quæ gloriæ comparatur æternæ.* lib.6.sect.1.n.8.p.88.

Clauf.2. *Quod est hoc, quod dicit, Modicum.* Verbis obscuris prædicit Christus, se à Discipulis dilectis abscessurum; ne eorum animos sauciaret. *Deus quippè tam benignus, vt tristia hominibus nunciare reluctetur.* lib.6. sectio 1. numero 28. p.91.

Clauf.3. *Plorabitis, & flebitis vos: mundus autem gaudebit.* Apostolorum mœror, & tribulatio permansuri gaudij erat indicamentum. Hinc assere, *lacrymas iustorum æternæ fœlicitatis semina.* lib.6.sect.2.n.8.p.93.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Labores, ac beatitudo vna commorantur in sede.* lib. 6. sect. 2. n.30. p.96. Vnde Dominus postquam expressit Discipulorum lacrymas ex eius discessione, mundique breuem lætitiam, concludit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Non dicit, Ablegabitur, sed quasi permanens in gaudium vertetur; vt tristitia & gaudium vna in sede commorari videantur.

Clauf.1. *Modicum & iam non videbitis me*, &c. *Quid est hoc, quod dicit, Modicum?* Scientes Discipuli, verbum illud, *Modicum* ad IESVM pertinere, aliquódque eius opus significare: non capiunt, quonammodo in IESV aliquid reperiri valeat, quod sit modicum. *Aptè quidem; in IESV enim meo nihil magnum non est.* lib. 6. sect.1.n.14.p.89.

Clauf.2. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Sicut dixit Dominus, mœstitiam Discipulorum vertendam in gaudium: cur non dicit, lætitiam mundi in mœrorem immutandam? *Certè quia tam agnata est lætitiæ impiorum mœstitudo, vt ipsum lætari, iam sit affici mœrore.* lib. 6. sect. 2. n.15. p.94.

Clauf.3. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & vos.* Commendat Dominus lacrymas Discipulorum, & eis suo in discessu mœrorem indicit: à quo fœminas postmodum conatur prohibere. *Certè solummodo hæ lacrymæ commendabiliter profunduntur, quæ ex spiritus, & salutis causis excitantur.* lib. 6. sect. 2. num. 21. p.95.

7. Dominic. IV. post Pasch.

Vado ad eum, qui misit me. Ioan. 16.

Salut. EXpedire Ecclesiæ asserit Dominus, vt ipse ad superos ascendat; vt scilicet immittat Spiritum sanctum, quo quidem Proceres Ecclesiæ roborati possint aduersus hæreticorum potentiam. *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.* Accommodat pulchrè D.Ildephonsus lib.de Virg. Mar. Ecclesiæ pro Maria dimicante hanc Spiritus sancti immissionem. *Sacratissimum Mariæ puerperium animo,& corde deuotissimè venerari, diuini muneris est gratia. Pro ea verò contra hæreticam prauitatem dimicare,& vincere,opus est Spiritus sancti, qui arguet mundum de peccato, quia non crediderunt* hæretici impij Deiparentis priuilegia. *Expedit* igitur, *vt ego vadam*, vt gloria Matris meæ, vestræ simul parentis, immisso à me Spiritu sancto, ad Ecclesiæ vtilitatem possit referari.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Sensus assolent animum impedire,ne spiritualibus fruatur. Hinc oratio mentalis commendanda.* lib.7. sect.1.n.26.p.103. Ideò Discipuli IESV visibili præsentia priuantur, vt spiritus oculis dulcius, & clarius possint intueri.

Claus.1. *Vado ad eum,qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* Ideò Discipuli de passione, ac nece Dominica grauissimo mœrore vulnerantur, quia non interrogant quo vadat, tot actus laboribus: nempè ad Patrem, ad gloriæ thronum. *Exultat planè in tribulationibus, qui mente voluere satagit, quo pergat homo tribulatus, scilicet ad æternam beatitudinem.* lib.7.sect.5.n.14. p.101.

Claus.2. *Expedit vobis, vt ego vadam.* Ipsis Discipulis erat expediens,Christi lacrymabili discessu vulnerari ad spirituale incrementum solummodo? Imò & ad temporatium. *Cuncta planè tribulationes iustorum eos non solum efficiunt, spiritu crescere; sed & visibiliter illustrari.*lib.7.sect.1.n.20. p.102.

Claus.3. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Quæ Discipuli sufferre non poterant ob infirmitatem ante Paracleti aduentum: iam Fortes effecti, facillimo negotio sufferunt.*Certè ausus Martyrum ad tormenta, & Confessorum ad exercitia asperitatis, Spiritus sancti in fornace conflantur.* lib.7.sect.2.n.36.p.111.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Qui Discipulos ad perfectionis verticem ducit, per gradus quosdam dirigi curet. non repentè deuchi permittat.* lib.7.sect.1.n.31.p.104.

Asserit Dominus expedire Ecclesiæ, vt ipse discedat, ad Spiritus sancti immissionem. Cur non simul cum Christo Spiritus sanctus reuelandus speciatim hominibus aduentauit? Certè post recessum IESV Paraclitus aduentat; ne repeurè cœlestis Magister Discipulos ad verticem perfectionis adducat, sed per suos gradus dirigat.

Claus.1. *Cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem*, &c. Paracletus in primis de peccato incredulitatis coarguit Iudæos, & Gentiles. *Quia infidelitas, hæresis, & idololatria præ omnibus criminibus Deo inuisum est piaculum.*lib.7.sect.2.n.23.p.109.

Claus.2. *Arguet mundum.* Vt Spiritus sanctus mundum conuincat, & concludat, vt à peccato abstrahatur: eum arguit, seu dictamini, ac sententiæ carnis contradicit. *Edocens nos,contra diaboli, mundi,ac carnis suggestiones arguere, & obiectiones excogitare.* lib.5.sect.2.n.35.p.110.

Claus.4. *Arguet mundum de peccato,*&c. Vt Paracletus mundum grauissimè puniat, incredulum, illum conuincet de peccato. *Nullum enim horribilius impio supplicium,quam agnoscere suorum criminum malitiam.* lib.7.sect.2.n.16.p.108.

Dominic. infrà octau. Ascens. 8.

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis. Ioan. 15.

Salut. CVm aduocatus noster IESVS discessurus esset ad Patrem,Ecclesiæ promisit Spiritus sancti aduentum, vt aduocatus nobis simul exsurgeret. Profectò cuncta bona, quæ ab IESV ac Spiritu sancto expectat Ecclesia,è Deiparentis aduocatæ piissimæ manibus nobis sunt accipienda. Vnde nec IESV aduocati ascensus,nec Spiritus sancti aduocati descensio sine aduocatione Mariæ nobis expedire certum est, per quam cuncta bona debemus accipere. Bellè Richardus Laurent.lib.2. *Multiplicem habemus aduocatum in Curia Dei. Primus est Dei Filius semper viuens, ad interpellandum pro nobis. Secundus est Spiritus sanctus à IESV missus, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At tertius est Maria, quæ nobis generaliter impetrat omne bonum à Dei Filio, & Spiritu sancto.* Sine Mariæ ergo aduocatione nec Filius ascendit nobis vtiliter, nec Spiritus sanctus descendit.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Ille solummodo hominem scit extollere laudibus, qui illum scit diligere.* lib. 8. sect.1. n.16. p.516. Ideò Dominus asserit Paraclitum à se mittendum,qui quidem Amor est, testimonium augustissimum de dilecto laturum. Et addit: *Et vos testimonium perhibebitis,quia ab initio mecum estis.* Discipuli enim totà IESV beneficiis affecti,& ideò tanta in eum dilectione flagrantes, aptissimi planè ad testimonium de Domino ferendum, eius elogia prædicando.

Claus.1. *Ille testimonium perhibebit de me.* Christus Paraclitum, qui à se per dilectionem & à Patre procedit,Discipulósque sibi amicissimos implet: curat,de eorum causis offerre testimonium. *Et quando vel in euidentissima commendatione inimicus verè testificatus est?* lib.8.sect.5.n.22.p.117.

Claus.2. *Quem ego mittam vobis à Patre.* Veritatis spiritus verum testimonium omninò prolaturus: à Patre venit, à cœlestibus penuolat auris. *Nesciunt homines, veritatem syncerè, & sine vlla immutatione proferre.* lib.8.sect.1.n.26.p.118.

Claus.3. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Paracleto spiritu dilectionis aduentante, Discipuli non scandalizantur, dum tribulationibus opprimuntur,dum afficiuntur probris. *Quia diligens perfecutores eorum incuras errata. O charitas operiens peccatorum multitudinem!* lib. 8. sect. 2. n.19. p.122.

CONCIO

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Ille testis egregius, qui non refert ex auditione, sed ex visus experimento.* lib.8. sect.1.n.32 p.119. Ideò Dominus querulus, quod mundus eius Diuinitati fidem non adhibuisset: vt credant ocularis testibus, promittit aducuturum Spiritum sanctum, qui procedens à Patre ac Filio Filij Deitatem intuetur. Addit, Discipulos etiam testes oculatos testimonium laturos: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*

Clauf.1. *Absque Synagogis facient vos.* Vt Dominus horribilia annunciet Discipulis pericula, ita vt animo non consternantur; ea consolationis nomine pertulit. *Mirum enim in modum malum imminuitur pio consolationis amici verbo.* lib.8. sect.2.n.28.p.124.

Clauf.2. *Sed venit hora, vt omnis, qui interficiat vos,* &c. Vt Dominus Discipulos ab scandalo remoueat, præmittit, passuros esse dira certamina. Ao labores consolatio? Ita planè: *Sanctorum enim tribulationes ficta omnino, non vera.* lib.8. sect.2.n.34.p.126.

Clauf.3. *Absque Synagogis facient vos.* Postquam Dominus prænunciauit Discipulis virtutis fastigium, ad quod erant ex aduentu Paracliti euehendi; consequenter asserit, illos tribulationibus diuexandos. *Celsioris enim virtutis asseclæ sunt vberioris tribulationes.* lib. 8. sect. 2. n. 42. p.126.

---

9. Dominic. IX. post Pentecost.

Cum appropinquaret IESVS *Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam.* Luc.19.

Salut. FLeuit Dominus super Ierosolymam iudex? Ergo Mater pietatis aduocata lacrymas quodammodo vberiores profluxit. Audi pulchram Amedæi sententiam hom. de laud. Virg. *Dominus mouit lacrymas super Ierusalem, & Apostoli multo tempore fleuere perfidiam patriæ, Paulus plenus pietate optauit anathema esse à Christo pro fratribus.* Flet Christus iudex. *Quanto magis Mater pietatis cuncta faceret, omnia libens sustineret, quibuslibet se pœnis, & mortibus obiiceret: vt imminentem interitum, & cladem à gente sua submoueret.* O miseram animi cladem, quæ IESV, ac Mariæ lacrymis non diluitur!

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Sicut inter maxima Dei beneficia adnumerandum est, corripi à Deo peccatorem: extrema ruina documentum est, delinquentem non corripi.* lib. 9. sect.1.n.18 p.132. Ideò dum Christus Vrbi Ierosolymæ tam impiæ sese tam exhibet mansuetum: tunc eius infallibile deplorat exitium. *Fleuit super illam*, cum deberet omnes ciues, sicut Templi prophanatores acriter vulnerare? Ergo *circumdabunt te inimici tui vallo*, &c.

Clauf.1. *Videns ciuitatem, fleuit super illam.* Christus de sua passione, & morte non lacrymatur: & ob perituram ciuitatem lacrymas profundit. O ineffabile diuinæ pietatis documentum! Edocet nos de proximorum calamitatibus affici, vt Conditorem æmulemur, Compassionem enim non ostendere in proximi laboribus, diabolicum est. lib.9 sect.1 n.9.p.131.

Clauf.2. *Videns ciuitatem, fleuit super illam.* Quia videt Dominus, & agnoscit ciuitatis opulentiam, ac superbiam: eam lacrymis prosequitur. *Mundi enim miserias non potest non plorare, qui noscit. Qui non plorat, sine intellectu est.* lib. 9. sect.1.n.24.p.133.

Clauf.3. *Si cognouisses & tu, quidem in hac die tua.* In die pacis suæ, & fœlicitatis deberent peccatores imminentem ruinam agnoscere. *Præsagium enim calamitatis assolet esse fœlicitas; quod vel bruta agnoscunt, quæis homines deteriores.* lib.9. sect.1. n.30.p.134.

Clauf.4. *Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Obsidio Ierosolymitana, populique Iudaici excidium exortum ex eo, quod ingratus ille post accepta ostenditur beneficia. *Exitium ingratitudinem necessariò sequitur.* lib.9.sect.1.n.36.p.135.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Sicut reuerentia Templis exhibita firmat Vrbes: irreligiositas contra Delubra sacerrima eas facit corruere.* lib.9.sect.2.n.25.p.140. Hinc Dominus postquam plorans Ierosolymæ præcantauit exitium, Templi punit prophanatores. Vt scilicet ostendat, vndenam ruina illa proventura esset.

Clauf.1. *Et ingressus in Templum cœpit eiicere vendentes in illo.* Auaritiæ studentes Dominus è Templo sacratissimo deturbauit. *Differe, quam indecens sit Sacerdotum auaritia.* lib.9.sect.2.n.7.p.137.

Clauf.2. *Domus mea domus orationis est.* Semper in Templo orandum est, quia domus est orationis. Cum autem vbique exorare nobis liceat, *ad validiorem orationis instantiam curandum, vt Templum, & altare mente in nostra exædificemus.* lib.9. sect.2.n.13.p.138.

Clauf.3. *Domus mea domus orationis est.* Templum, Dei domum, seu cœlum ineffabilis decet reuerentia. *Templi exprime maiestatem in prophanatorum confusionem.* lib.9.sect.2.n.20.p.139.

Dominic. XXIV. post Pentec. 10.

Cum videritis abominationem desolationis. Matth.24.

Salut. PRædicit Dominus magnæ desolationis instantiam in horrorem fidelium, quos ob armate curat Corporis sacerrimi præsidio: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Profectò vt possimus, Dominicum corpus inuenire, qui inter repentina animalcula computamur, ad Mariam accurrere opus est. Ipsa enim *aquila magnarum alarum.* Richardus Laurent. lib. 12. *Quoniam aquila Regina volucrum, Maria Regina Angelorum aquila est. Vbicumque autem fuerit corpus, id est, Verbum caro factum, illic congregabuntur & aquilæ,* id est, *aquila Maria.* Cur ergo plurali in numero *aquilæ* appellatur? Certè quia Maria nunquam sola peruolat, sed suos prouocat pullos ad volandum, vt à corpore Dominico, seu à Filio aduersus desolationem protegantur.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Taxabiles admodum qui oborto delinquunt scandalo, nec studens, oculos hominum vitare, cum corruunt.* lib.10.sect.1.n.46.p.150. Abominatio illa desolationis stans in loco sancto quid nisi cri-

tmina publica Clericorum? Certè peccata, quæ publicè obiiciuntur, abominationes, quæ videntur, (*Cum videritis abominationem,*) speciatim in loco sancto, siue in Clericis: præproperum supplicium indicunt. Ergo fuga indicitor, væ prægnantibus canitur, *&c.*

Clauf.1. *Cum videritis abominationem desolationis.* Peccatum quodlibet lethale abominatio desolationis est. *Cuncta enim ob peccata desolantur, euertuntur.* lib.10.sect.1.n.23.p.147.

Clauf.2. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Abominatio in loco sancto, hoc est, in Sacerdotibus; ac Religiosis stans infallibile à Deo trahit supplicium grauissimum. Assere, *Sacerdotem è Templi redditibus epulantem, luxuriantem quasi operarium omnium iniquitatum esse.* lib.10.sect.1.n.31.p.148.

Clauf.3. *Cum videritis abominationem*, &c. Puniturus Deus hominum abominationes, prius eas omnium oculis obiicit; nè percussi conquerantur, aut populus murmuret, obiiciens, quod sine causa vulnus fuerit inflictum. *Taxentur Præsules, qui sine manifestatione delicti facta ipsi delinquenti, subditum in alterius conspectu puniunt.* lib.10.sect.1.n.39.p.149.

CONCIO II.

Anselmus, *Cum videritis abominationem, id est, Antichristum hominem peccati, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus. Qui destruet, & ad nihilum rediget suscepturos se.* Hilarius, *Abominatio dicitur, quia Antichristus honorem sibi vendicabit. desolationis verò, quia bellis, & cædibus terram desolaturus est.*

Discurf.1. *Surgent Pseudo-Christi, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, (si fieri potest,) etiam electi.* Eloquentibus hæreticorum sermonibus adducerentur etiam electi, si fieri posset, vt peruerterentur. *Nihil enim efficacius ad afficiendum animum ad virtutem, aut vitium, quam Rhetoricum eloquium.* lib.10.sect.2. n.12. p.153.

Discurf.2. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente*, &c. Repentinus aduentus iudicij Dei in vniuscuiusque morte fulgur est nostros oculos illuminans ad vitæ correctionem. *Quis enim non illico conuertatur à crimine, cui mors subita, aut repentinus iudicij imminet aduentus?* lib. 10. sect. 2. n. 19. p.154.

Discurf.3. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Temporibus Antichristi cuncta fidelium membra cum suo capite IESV colligabuntur, ad Ecclesiæ stabilimentum. *Nihil enim tam validum ad Ecclesiæ, ad Republicæ, ad cuiuslibet communitatis exitium: quam dissidia inter ciues, inter domesticos iurgia, & contentiones.* lib. 10. sect. 2. n.24. p.155.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Violenta subditi inermis oppressio Deum ipsum irremediabilis iniuriæ vindicem aduocat, & attrahit.* lib.10.sect.3. n.31. p.160. Post abominationem desolationis, post Antichristi tyrannidem Christus finalis iudicij tribunal præsentat, ad oppressorum vtique subditorum leuamen.

Clauf.1. *Tunc plangent omnes Tribus terræ.* Licèt hominis Filium propriæ naturæ vident peccatores Christum iudicem aduentare; irremediabiliter plangent, memores suffixionis ab ipsis peractæ. *Iudex enim offensus irreparabilem minatur ruinam.* lib.10.sect.3.n.38.p.161.

Ab arbore autem fici discite parabolam. Ficulnea fructibus pro floribus ornata Christianæ perfectionis simulachrum obiicitur. *Viros enim perfectionis studentes decent fructus, non flores: opera scilicet, non inania verba illa: Faciam, panitebo.* lib.10.sect.3.n.42.p.162. Clauf.2.

Amen dico vobis: quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Dei verba, aiit promissiones potius facta, quam; quia nunquam fallunt. His solummodò crede. *Nam verba hominum inania, promissa instabilia sunt.* lib.10. sect.3.n.48.p.163. Clauf.3.

Dominic. VII. post Pentecost. 11.

Attendite à falsis Prophetis. Matth.7.

Salut. SI è fructibus dignoscitur arbor, qualis Maria, cuius Deus est fructus? *Benedictus fructus ventris tui.* Luc.1. Richardus Laurent.lib.1. Congruè appellatur Christus fructus. Quia sicut fructus bonus arborem, seu terram, de qua nascitur, commendabilem reddit; sic & Christus Virginem gloriosam, de qua tota benedicta tota est natus benedictus. *Vnde Matth. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos; non enim potest arbor mala bonos fructus facere.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Nihil crudelius mendacio, è quo omnia piacula ortum deduxere.* lib.11. sect.1. n.20. p.169. Ideò Dominus falsos prophetas mendaces aptè lupis rapacibus comparauit, monuitque fideles suos quonammodo eos possent agnoscere, vt exitialia vulnera vitarentur: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, &c.

Clauf.1. *Attendite à falsis prophetis.* Homines deploratæ conscientiæ Pseudo-Prophetæ, seu hæretici appositè à Domino appellantur. *Nam cum voluntas prona admodum ad delicta prolabitur, facilè mens excæcatur erroribus.* lib. 11. sect. 1. n. 7. p.168.

Clauf.2. *Attendite à falsis Prophetis*, &c. Ab hypocritis nos Dominus monet attendere, ore mitibus, corde crudelibus. *Peccatoris animi duplicitas hinc expendatur, & taxetur.* lib.11.sect.1.n.13.p.169.

Clauf.3. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Verus Propheta à Pseudo-Propheta ex operibus distinguendus obiicitur. *Opera enim cordis aperiunt affectum.* lib.11.sect.2.n.15.p.174.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Non potest seductio, aut mendacium diu delitescere. Dolosum etenim, ac mendacem suamet aperiunt, & exponunt actiones, quibus curat abscondi.* lib.11.sect.2.n.8.p.172. Ideò Pseudo-Prophetæ sub vestimentis ouium lactitantes diu abscondi non potuerunt, à suismet actionibus manifestati. Nec enim *de spinis vuæ, aut de tribulis ficus* poterant germinare.

Clauf.1. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum.* Pseudo-prophetæ ore Dominum, non operibus profitentes, excluduntur à Regno. *Nec enim Deo placent inania verba*

verba, quæ cum operibus non colligantur. lib. 11. sect. 2. n. 21. p. 175.

Clauf. 2. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Insinuat Dominus Iudæos ligna incidenda esse, & in ignem deputanda. *Monens Concionatores, peccatores insignes, & scandalosos aliquando insinuandos, cum non proficit generalis correctio.* lib. 11. sect. 2. n. 29. p. 176.

Clauf. 3. *Omnis arbor*, &c. Arbori fit supplicij comminatio, vt bonos iam fructus produceret. *Supplicium enim peccatoris obiectum eius comprimit impudentiam.* lib. 11. sect. 2. n. 34. p. 177.

Clauf. 4. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in Regnum cælorum.* Regnum consequuntur non vociferantes se esse Christicolas; sed fidelibus operibus confirmantes. *Solus etenim Regno dignus in conspectu obicitur, qui rectis nititur operibus.* lib. 11. sect. 2. num. 41. p. 177.

---

12. Dominic. in Quinquages.

Assumpsit IESVS *duodecim Discipulos suos secretò.* Luc. 18.

Salut. LVmen hodie cœco homini restituitur. An non Dominus Matris amantissimus eius nunc fulgorem celebrauit? Profectò Maria lumen est, quo Filius hominum ablegat cœcitatem. Aptè Richardus Laurent. lib. 7. *Maria est lux propter speciositatem, quia nulla pura creatura Maria pulchrior; propter incorruptibilitatem, & puritatem, quia inquinari non potest. Quia per angustissimam rimam ingreditur gratiam infundendo.* Quid plura? *Lux est, quia cæcorum oculos illuminat, id est, intellectum, & affectum, qui sunt oculi animæ: intellectum cognitione sui, & Dei; & affectum dilectione Dei, & proximi.*

CONCIO I.

Lubeat hodie, cum Bachanalium reliquiis fidelis populus adhuc sauciatur, humani generis cœcitatem, mundi inanitatem exponere. D. Gregorius, *Cæcus humanum genus, Iericho Luna interpretatur; & defectum significat nostræ mortalitatis, cui dum appropinquat Dominus, carne suscepta homines lumen recipiunt.*

Discurs. 1. *Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam.* Cœcus ille, id est, genus humanum mendicans obiicitur apud Iericho, id est, mundialium bonorum defectu. *Quia tam mendax, tam fugax mundi prosperitas: vt faciat vel possessores suos semper mendicitate, ac inopia laborare.* lib. 12. sect. 1. n. 18. p. 183.

Discurs. 2. *Et clamauit dicens:* IESV *fili David, miserere mei.* Qui in Iericho, id est, in mundi defectibus semper mendicus commoratur, orationis. (Quadraginta horarum,) vi cœlestia bona satagit impetrare, vt verè diues esset. *Orationi omnia parent; etiam impossibilia quasi incipiunt esse necessaria.* lib. 12. sect. 1. num. 26. p. 184.

Discurs. 3. *Et dixit illi* IESVS: *Respice, fides tua*, &c. Ideò cœcus illuminatur, quia in Iericho mundi defectus experitur. *Mundi enim defectus efficit humanos oculos illuminari; & aperiri, vt despiciant eum.* O Eucharisticæ mensæ hodie appositæ a Domino abundantia! lib. 12. sect. 1. n. 13. p. 183.

CONCIO II.

Adhuc Quadraginta horarum oratio celebretur. D. Gregorius, *Turba veniente* IESVM *præcedens est vitiorum tumultus, qui ante aduentum Christi ad cor nostrum cogitationem dissipant, & in oratione conturbant. Sed quanto grauius premitur, tanto orationi ardentius insistere debemus. Transit Christus, & stat.* Certè cum IESVS in Eucharistia transiens & stans obliciitur, id est, velut præsens & absens: Bachanalium vitia nos curant ab oratione Quadraginta horarum auertere. At vt cœcitas nostra valeat illuminari, quanto grauius premimur, tanto orationi trium dierum debemus insudare.

Discurs. 1. *Et clamauit, dicens:* IESV *fili David, miserere mei.* Non semel cœcus ille clamauit, Domino audiente, nec respondente illico, vt iterum miser clamitaret, *Nec enim Dominus humanus miserorum, & egentium clamoribus inquietatur; vt edoceat nos pauperum clamores libenter exaudire.* lib. 12. sect. 1. n. 32. p. 185.

Discurs. 2. IESV *fili David, miserere mei.* Cœcus, ac illiteratus homo agnoscebat Christum Dauidis filium ex operibus, quæ audiebat eum gerere ad hominum beneficium. Pietatis namque actiones originis augusta *proclamant.* Quam euidenter, o Domine, ex mensa hodie apposita fidelibus, ad cœcitatem hominum ablegandam Dauid, imò Dei Filius ostenderis! lib. 12. sect. 1. n. 39. p. 186.

Discurs. 3. *Ipse verò multo magis clamabat.* Distulit Dominus beneficium cœco conferre, vt rursus clamaret, & expectatius beneficium acciperet. *Eo enim beneficium gratius obuenit, quo expectatius est.* lib. 12. sect. 1. n. 45. p. 187. Trium dierum orationis Quadraginta horarum innuitur instantia.

CONCIO III.

Introitum totius Euang. *Ipsa hominum cæcitas facit eos futilia cupere: vera bona,* (in IESV mensa hodie oblata,) *contemnere.* lib. 12. sect. 2. n. 20. p. 190. Cœco illo cœcus homo exprimitur, qui apud IESVM cunctis bonis redundantem, expetit inanibus rebus donari: non cœcitatis ablegatione. Ideò interrogat Dominus, *Quid vis, faciam?* Quid à munifico Domino vis accipere? Certè licet præcipuus labor illius cœcitas erat: non hodie omnes volunt, (è fulgore Eucha. illico,) è cœcitate liberari.

Clauf. 1. *Stans autem* IESVS, *iussit illum adduci ad se.* Cum stat Dominus, (cum trium dierum sistens sol curriculo exponitur,) cum totus miseri calamitati intendit cœcitatem laboris subditi ablegauit. *Edoceantur Præsules, Principes, immediatè debere subditorum [illegible] [illegible] eique muneri sibi iniuncto solummodo [illegible] dere. O quot incommoda subditorum aternant [illegible] quia Princeps non adstat, & videt!* lib. 12. sect. 2. n. 25. p. 189.

Clauf. 2. *Quid vis, vt faciam? At ille dixit Domine,*

ut

vt videam. Prudens cæcus nisse expetere indicat, nisi videre Dominum. *Omnibus enim bonis fruitur, qui IESV potitur conspectu.* Quid si IESV ipso in Eucharistica mensa potiamur? lib. 12. sect. 2. n. 24. p. 190.

Clauf. 3. *Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum.* Cæcus sanitate donatus illicò curat sequi Saluatorem. *Nam si veraciter peccator à cæcitate surgit; mox via incedens salutaris, Christum sequitur, eius preceptis obtemperans.* lib. 12. sect. 2. n. 31. p. 191. Hinc gratiarum actionis post acceptum Eucharistiæ beneficium iura soluenda prædicentur.

HISTORIA ABSALONIS.

CONCIO I.

Porrò sicut Absalon vir non erat pulcher. 2. Reg. 14.

Salut. FRatricidam Absalonem hodie mulier Thecuitis Dauidi reconciliauit. O verè Thecuitem Mariam quotidie Deo conciliantem peccatores! Richardus Laurent. lib. 4. *Maria impetrat his, pro quibus orat, gratiam compunctionis: impetrat eisdem gratiam reconciliationis, signata per mulierem Thecuitem, quæ reconciliauit patri suo Dauid Absalon fratricidam.*

Histor. Cum plures filios ex pluribus vxoribus Dauid suscepisset, duos floridissimos habuit ex Maacha filia Regis Iessur, nimirum Absalonem & Thamarem. Absalon formæ elegantia vniuersis suæ ætatis adolescentibus superabat: sed eo maximè extollebatur, quod capitis exfarie posset sibi ingenies comparare diuitias. Nutriebat ille comam auream; quam semel tantum tondebat in anno, ne & pretiosæ, & ingenti sarcinæ succumberet; quæ tonsa stabat ferenti ducentis siclis aureis. Elegantis adolescentis nuptias tres filij nobilitarunt, & filia vna nomine Thamar, quæ de parentis pulcherrima sorore nomen hæreditauit. Erat equidem Absaloni soror vterina Thamar in delicijs, virgo incredibilis pulchritudinis; quàm quidem frater Amnon amabat, sicque illam impotenter deperibat, vt grauem morbum ex illius amore contraxerit. Quod agnouit Semma filius familiaris, & cognatus acuti ingenij, qui viam, quæ omnino videbatur obstructa, ad sordidum illud, & execrabile facinus aperuit. Astu igitur rem aggreditur, & incautam, simplicémque sororem ingressam, vt sorbitiunculas ægrotanti condiret ex iussu parentis: reluctantem omnino, & lacrymantem opprimit; quam deinde exosam magis, quam antè dilectam, (ô ingenium voluptatis,) cum fastidio repellit. Cognouit rem totam germanus frater Absalon, & licet in dolore graui consolatus sororem, conceptum odium in fratrem tacitus compressit: donec, exacto biennio, rei iampridem destinatæ opportuna aduenit maturitas. Cum enim tonderentur ipsius oues, quo tempore læti dies aguntur, amicis ad festiuum illud opus inuitatis, instruitur geniale conuiuium. Fratres suos, Regis vero præmissa, quasi officij, ac beneuolentiæ gratia Absalon accersit: sed Amnonem præcipuè, cuius causa sumptuosas illas epulas præparauerat. Porrò Absalon edixerat seruis suis, vt cum ipse signum ederet, de quo cum ipsis antea conuenerat: Amnonem temulentum opprimerent; quod ipsi, vt imperatum fuerat, præstitere. Incessit omnes, filios præsertim Regis, ex subito casu perturbatio; quare conscensis mulis celeri se fuga corripiunt ad Regem, quæ prius rumor turbauerat, qui filios omnes occisos ab Absalone disperserat. Quare illos scissa veste, & in terra prostratus pro mortuis lugebat: donec tandem tum à Semmaa, tum etiam à filiis, qui statim cum trepidatione ac luctu ad patrem accessere: rem totam vt gesta fuerat fuit edoctus.

Clauf. 1. *Cum autem audisset Rex Dauid, contristatus est valdè, & noluit contristare spiritum Amnon.* Dei obtientis patientiam exprimit, horribilioris supplicij documentum. *Maior enim Dei misericordia in acrius vertendam iudicium ingratis.* lib. 5. sect. 1. n. 22. p. 7.

Clauf. 2. *Percutite eum, & interficite.* An frater insurget crudelis in fratrem? Num amicus olim dilectum germanum de medio tollet? *Nullus dirior hostis exsurgit, quam germanus, quam amicus germani, & amici iniurius prouocatus.* lib. 1. sect. 2. n. 10. p. 14.

Clauf. 3. *Ecce tondentur oues serui tui.* Cur Absalon non curauit Amnonem occultè interimere, sed voluit publicè diuagari vindictam? Certè Amnon repellens Thamarem voluit euulgari delictum. *Asserere, scandalo oborto: peractis sceleribus supplicium publicum respondere.* lib. 2. sect. 1. n. 23. p. 26.

Clauf. 4. *Factum est autem post tempus biennij.* Deus tot Ammoni dies ad pœnitudinem, ad satisfactionem piaculi impendit. Ipse verò nec veniam à patre, nec ab Absalone, ac Thamare petiuit: nec Deo studuit reconciliari. O quam horribili nece dissoluitur! *Maior enim nunc accepta à Deo misericordia horribilior aderit iudicij incitamentum.* lib. 1. sect. 2. p. 35. p. 33.

CONCIO II.

Porrò Absalon fugiens abiit ad Tholomai. 2. Reg. 13.

Salut. Quam affectuosus amicus Ioab, qui curauit Absalonem Regi reconciliari post facinus! Vincitur à Maria, de qua Ildephonsus serm. de Purif. *Omnes sancti in fine mundi cum bonorum operum lampadibus sponso Christo obuiantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis sunt intromittendi. Quo & nos fratricidæ vt Absalon, qui Regem patrem veneremur iratum, vt admitti mereamur sanctæ Dei genitricis auxilium sedulo imploremus, vt sua potenti intercessione apud clementiam veri Dauidis nobis omnium impetret veniam criminum.*

Histor. Absalon itaque fratricidij reus, ad Regem Gessur maternum auum, quo parentis iram declinaret, profectus est, apud quem triennali est moratus spatio. At Ioab Absalonem cum patre studet conciliare, cuius rei gratia ex agro Thecuano fœminam prudentem euocat, quæ simulata

simulata historia, seu inducta parabola, Dauidem placaret, & ab illo exprimeret, vt reuocatum fratricidam filium, ad antiquum locum, & gratiam admitteret: quod tandem impetrat. Neque latuit Regem consilium illud à Ioab ortum, cuius ille solers ingenium, acutúmque dignouerat. Gratias agit Regi Ioab, quod intercessio illa tantum apud ipsum ponderis habuerit. E vestigio Ioab à Gessur Absalonem accersit, qui tamen licet restitutus sibi, ac domui, haud tamen parentis conspectum subire permittitur. Ferebat porrò grauiter Absalon abesse tam diu à parentis aspectu: biennium enim exactum fuerat, postquam in patriam venerat; neque tamen tamdiu parentem viderat. Quare idipsum obtinere & cupit, & sperat Ioabo agente. Illum igitur aduocat semel, atque iterum; qui cum vltrò nollet, vi cogitur vel inuitus aduentare. Incendit enim segetes Ioabi iam falci maturas, quas habebat suo fundo vicinas. Cúmque ea de re apud Absalonem esset conquestus, isque ideò tem illam diceret esse tentatam, vt sæpius vocatum, & cunctantem accerseret: orat, vt cum Rege diligenter agat, sibi vt liceat, in eius conspectum aliquando venire; quod tandem impetrat, & à parente osculo lætus excipitur.

Claus. 1. *Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem.* Tantæ ne parentibus iræ, vt necessaria fuisset ad reconciliationem tam studiosa prudénsque Ioabi diligentia? An non veniabilis tanti sceleris in sororem vindicta? Cur Rex pater non patcit filio pro constuprata filia perimenti Amnonem: O Regis iustitiam? *Profectò consanguinitatis affectus posthabendi religioni.* lib. 3. sect. 2. n. 45. p. 53.

Claus. 2. *Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad Regem.* Absalon curat Ioabi intercessione, parentis aspectu potiri. An non efficacius impetraret veniam, si ipse non semel, obortis lacrymis, ad parentem supplex accurreret? *Taxabiles exprimit Absalon illos, qui alienis operibus nituntur, dum propria salutis negotium agitur.* lib. 1. sect. 2. n. 25. p. 16.

Claus. 3. *Vocatúsque est Absalon, & intrauit ad Regem: osculatúsque est Rex Absalon.* Post tot fugæ, & exilij tribulationes optato parentis aspectui restituitur. *Porrò tribulationes salutem, redemptionémque nostram à malis cunctis abstrahunt.* lib. 1. sect. 2. 0. 32. p. 17.

Claus. 4. *Adorauit super faciem terræ coram eo.* Adorasse dicitur Absalon non fleuisse, non veniam, profuso cordis affectu, postulasse. Quid mirum mox ad noua iu patrem properasse delicta? *Solemus pœnitudo est, & superficialis animi affectu: recidiua præparatur occasio.* lib. 3. sect. 2. n. 26. p. 31.

CONCIO III.

Igitur post hæc fecit sibi Absalon currus, & equites. 2. Reg. 15.

Sailst. Absalon currus fecit sibi, At Salomon frater vnicum sibi currum construxit: *Ferculum fecit sibi Salomon de ligno Libani.* Cant. 3. Apposité Richard ... rent. lib. 10. *Salomon fecit sibi non currus* ... sicuti Absalon: *Sed ferculum vnum de* ... *Ferculi typo Virginis priuilegia* ... *Fecit Rex Salomon, id est, Christus sibi ferculum, per quod deferretur ad notitiam hominum, cum incarnationi suæ Virginem præparauit. Hoc autem fecit de lignis Libani, & interpretatur Libanus candor, & thus; quia sanctitatem Virginis compegit Dominus ex odore bonorum operum, & candore virtutum.*

Histor. Comparat Absalon currus, & equites, & omnem instructum militarem: & contra patrem hostile aliquid occultè molitur. Vt autem voti, seu consilij sui compos euadat, populum, qui frequens veniebat in Ierusalem, blanditiis captat, atque promissis: & parentem suum quasi ignauum, & Regij muneris oblitum in inuidiam trahit. Annus quadragesimus agebatur, ex quo primùm Dauid Rex fuerat à Samuele designatus, cum Absalon religionis ac voti simulatione à parente impetrat, sibi vt liceat in Hebron secedere. Annuit Rex, quid eo secessu meditaretur, ignarus. Ex eo loco accersit in Hebron per legatos, ex Israële toto illos, quos variis antè captarat illecebris: & plures alios, quibus & aliorum oratio, & nouitatis studium in noui Regis perpulerant desiderium. Inter hos etiam fuit Achitophel Gilonites, vir inter alios omnes facilè consilio princeps. Denique dies in singulos noua, & frequens coniuratorum fiebat accessio. Quod cum renunciatum esset Dauidi, statim censuit recedendum ex vrbe, quod fecerunt cum ipso è ciuibus complures, decem concubinis domus relictis ad custodiam. Egressus est autem pedes Dauid, quem etiam alij pedites sequebantur, & in his Ethai Gethæus, quem cum eo labore leuare cuperet Dauid, ipse tamen abesse noluit, sed eadem cum Rege subire discrimina. Erat autem spectaculum planè miserabile, videre virorum fortium non tam pugnantium, quàm lugentium exercitum. Iussit autem Dauid Sacerdotibus, qui secum Arcam, quasi viæ tutelarem, ac comitem ad ipsum attulerant, vt in suum referrent locum, ibique quid rerum fieret obseruarent attentè: & ad se quamprimùm referendum curarent. Adfuit inter alios Chusai Arachites, vir prudens, cuius fidele opportunúmque consilium sæpè fuerat expertus. Hunc iussit in Vrbem redire, & se in amicitiam Absalonis offerre, vt Achitophelis, quem esse in eadem cum Absalone coniuratione nouerat, consilia dissolueret. Monet denique, quonammodo & rerum status, & belli consilia ad se possint perferri, scilicet Sadoc & Abiathar Sacerdotum ministerio.

Claus. 1. *Et manè consurgens Absalon, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum,* &c. Comitate, ac suauitate omnium coniuratorum animos Absalon pellexit. *Comitas etenim, & suauitas in Præsule, efficit subditos promptissimè obedire.* lib. 4. sect. 2. n. 16. p. 63.

Claus. 2. *Fecit sibi Absalon currus.* Otiositati addictus in piacula grauissima deturbatur. *Profectò otiositas est magnum admodum ad salutem offendiculum.* lib. 3. sect. 2. n. 19. p. 50.

Claus. 3. *Osculatus est Rex Absalon. Post hæc igitur fecit sibi Absalon currus, & equites.* Post hæc, id est, post osculum & veniam acceptam, tam citò proditionem meditaris? obturandæ tibi sunt omnes rimæ, magna est adhibenda custodia, ne donatus venia rursus prolabaris in crimina.

Reliquis

Clauf. 4. *Reliquit Rex decem mulieres ad custodiendam domum.* Ac si diceret, domum sine vlla custodia reliquit. Cur ita? Asserit Chrysostomus Regiam domum sacerrimi Templi extitisse simulacrum. An non sufficientissima domus custodia erat, Templi imaginem obiicere Absaloni? Quis crederet, impium Templi imaginem violaturum? Meritò addicitur damnationi. *O quam difficile salus est, qui Templum, vbi Deus colitur, violare non veretur!* lib. 4. sect. 1. n. 27. p. 60.

CONCIO IV.

Cúmque Dauid transiisset paululum montis verticem. 2. Reg. 16.

Salut. Dauid è domo fugitans solitudinem iniit, vacuus progreditur, optat maledici; vt filiæ Mariæ obiiceret, quid perfectissimè imitaretur. Pulchram do Richardi Laurent. sententiam lib. 1. *Tria elegit sibi Dauid, solitudinem, vacuitatem, maledictionem. Vnde allegat, Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, (id est, solitarius,) & pauper, (id est,) vacuus, sum ego. Psalm. 24. Et maledici elegit, dicens de Semei: Dimittite eum, vt maledicat mihi, &c. Quasi diceret Domino solitarium comitare, vacuum reple, benedic maledictum. In tribus his Maria vera Dauid filia comprobatur. Pauperem se exhibet, dum dicit, Ecce ancilla Domini, Ab Angelo sola inuenta est, & maledictum legis ob virginitatem seruandam contempsit. Vnde dicitur gratia plena ob humilitatem, seu paupertatem: Dominus tecum dicitur ei ob solitudinem; & benedicta tu, merito virginitatis, cuius votum prima emisit, & cuius amore maledictum legis contempsit.*

Histor. Cùm paululum Dauid progressus esset, occurrit illi Siba cum aliquo vitæ, laborisque subsidio, qui rogatus de Domino suo Miphiboseth, locutus est parum fideliter, & verè: perfidiæ illum, & ingratitudinis accusans. Vnde id consecutus, vt Dauidis beneficio, omnia sibi, quæ Domini sui fuerant, bona vindicaret. Cúmque ventum esset in Bahurim, egressus Semei de Tribu Beniamin gratis in Dauidem & socios maledicta iactitabat. In quem cum consilium cædis Abisaï meditaretur: illum Dauid ab illo animi ardore, ac sceleris vindicta continuit, fatus, eo modo pacato Numine meliorem exitum rem habituram. Sub illud tempus ingressus est Absalon in Ierusalem, quem Regem suum Chusai Arachites salutauit; quem principio cum minus æquè Absalon accepisset, quasi alienum haberet animum, & in Dauidis causam magis esset affectus: tandem suarum esse partium persuasus, sibi illum, (sicut antea patri,) adesse voluit à consiliis. Visum est autem oportere, vt Absalon ad Dauidis concubinas, quas ad custodiendam domum dimiserat, ingrederetur, & ea ratione, violato thalamo paterno, omnem sibi aditum ad veniam præcluderet. Quod fecit inuerecundus adolescens, extenso in aperto loco sub cœlo tabernaculo, vbi incestuosus ille concubitus ab omnibus non difficilè posset aspectari.

Clauf. 1. *Dimittite eum, vt maledicat.* Inimico benefaciens Dauid Christi parens, ex ipsius Christi filij sui sententia Dei filius exsurgit: *Benefacite iis, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri. Et quando patiens innocentiam non exhibet documenta dimittatis.* lib. 4. sect. 2. n. 30. p. 65.

Clauf. 2. *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam; quanto magis nunc filius Iemini? Dimittite eum, vt maledicat.* O Regis ad sustinenda incommoda promptitudinem labores mirum in modum imminuentem! *Profectò promptitudo ad labores sustinendos, ipsos imminuit.* lib. 5. sect. 1. n. 37. p. 74.

Clauf. 3. *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* Quanto dolore Dauid afficitur ex opprobrio? *Certè horribile admodum est nobilis cordis, opprobriis affici.* lib. 5. sect. 1. n. 48. p. 76.

Clauf. 4. *Ingressus est ad concubinas patris sui.* Ex mente Chrysostomi fœminæ illæ domus Regiæ custodes typum Dauidis veri sponsarum virginum gerunt, quæ excubant in IESV tabernaculo. O quam iniquum Christi dilectas virgines violare. Meritò impudicus adolescens horribili necis genere corruit, æternum periturus. *Difficilis certè salus est, qui Templum spirituale, id est, sanctimoniales prophanare non veretur.* lib. 4. sect. 1. n. 31. p. 61.

CONCIO V.

Dixit ergo Achitophel ad Absalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens, persequar Dauid hac nocte. 2. Reg. 17.

Salut. Quam exitialia Absaloni extitere Achitophel consilia! O quam prudentem consiliarium ageret, si adolescentem impudentissimum hortaretur, præmissa pœnitudine, ad patrem rursum properare. Appositè Maria profatur. *Meum est consilium, & æquitas.* Prou. 8. Profectò sine æquitate nullum salutare consilium. Quænam ergo Mariæ consilia? Respondet Richardus Laurent. lib. 11. *Consilia Mariæ sunt. Primum, vt faciamus pœnitentiam, quæ notatur in præparatione hædorum, quos sibi iussit Rebecca afferri à filio suo; qui sic acquisiuit benedictionem patris sui. Secundum, vt fugiamus diaboli* Achitophelis *consilium: & reuertamur citò ad Dominum* verum Dauid, *si recesserimus ab eo per peccatum.*

Histor. Petit Achitophel duodecim virorum millia, quibus dicebat breui oppressurum iri Dauidem, cum nondum se ad resistendum comparasset: & vno die, & congressu confectum iri bellum, quod aliter futurum longum videbatur. Placet omnibus Achitophelis ratio, & obtinuisset ille, quod optabat, nisi Dominus in Absalonis mentem iniecisset, vt Chusai quoque Arachitæ audire vellet in ea deliberatione sententiam. Hic contra statuit, quam Achitopheli visum fuerat; eáque ratione illius quantumuis vtile consilium dissipanit: quod magis Absaloni, & qui illius partibus magis adhærere, probarunt. Hæc porrò omnia per Sacerdotes, eorúmque filios Ionatham, & Achimaam Chusai verus Dauidis amicus ad Regem perferenda curauit. Qui duo adolescentes licèt maximam adhibuissent cautionem, tamen à puero quodam cogniti sunt, & ad Absalonem illicò delati. At illi tum odorati in puteum demissi, cuius puteum mulier artificiosè celauerat, inquirentium oculos

oculos & sollicitudinem delusere: & inde egressi, cum nullum esse periculum agnouetunt, Dauidem adeunt, docentque quid hostes Ierosolymæ dixerint, decreuerintque; atque omnes tollendas esse moras, & quamprimum traiiciendum esse Iordanem: quod vsque adeò factum est gnauiter, vt omnes antè lucem ad vlteriorem ripam transmearint. Profectò Achitophel cum videret suum spretum esse consilium, & rerum euentum præuideret: mortem occupat, & ignominiam, quam meritò timebat. Quare inserto faucibus laqueo, suspendio sibi vitam eripuit. Cúmque ad Castra, (nomen est, Vrbis,) venisset Dauid, subsidio illi fuere quam plurimi è vicinis locis; qui quidem ad victus, vitæque commoda, quidquid videbatur necessarium, attulere.

Claus. 1. *Persequar Dauid hac nocte.* Vidisti quod persecutionibus actus fuerit Dauid, ex quo Regno à Samuële inungente deputatur? Non solùm à socero Saule, ab hostibus innumeris: sed & à dilecto filio vulneratur. *Profectò idem est, Regno temporario potiri, ac cunctarum amarissimum exhaurire calicem.* lib. 5. sect. 2. n. 26. p. 81.

Claus. 2. *Suspicati sunt, populum fame, & siti fatigari in deserto.* Rex Dauid à subditis subsidia accipit fame, ac siti pressus, dum Absaloni Deus iratus omnem exhibet abundantiam. *Contemplare, obsecro, qualia temporaria bona, quæ Deus exhibet iratus peccatori!* lib. 5. sect. 2. num. 34. p. 82.

Claus. 3. *Surrexit ergo Dauid, & omnis populus, qui cum eo erat, & transierunt Iordanem.* Cur, quæso, Dauid sanctissimus tot laboribus agitur? Certè vt ad Iordanis *Iudicij fluuij* vlteriorem ripam possit facilius remeare. *O quam modica est omnis tribulatio, quæ gloria comparatur æterna!* lib. 6. sectio 1. num. 8. p. 88.

Claus. 4. *Et ait Chusai Sadoc & Abiathar Sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel*, &c. Sacerdotibus amicis Dauidis, Sanctis equidem secretum tanti momenti reuelatur. *Ad secreti enim custodiam sanctitas agnata obiicitur.* lib. 5. sect. 1. n. 23. p. 72.

CONCIO VI.

Igitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos Tribunos, &c. 2. Reg. 18.

Salut. Lamentatur Dauid iniqui filij necem. At durius filia Dauidis Maria sanctissimum Filium lamento prosequitur. Profatur Dauid, *Quis mihi det, vt pro te moriar, fili mi.* O Mariam! *Fortis sicut mors dilectio Mariæ.* Cant. 8. Richardus Laurent. lib. 4. ad hæc. *Quia sicut mors non moritur, sic charitas eius nunquam excidit. Vnde dicit Filio Ierem. 31. In charitate perpetua dilexi te. Si fieri posset secundum beneplacitum diuinæ voluntatis, mori pro eo, & cum eo desiderauit: nec vita sua pepercit pro dilectione, sicut nec Filius. Pro eo, vt dixisse visa sit cum Dauid, Quis mihi det vt pro te moriar, fili mi* IESV!

Recenset Dauid populum, qui ad ipsum studiosè in castra conuenerat: illúmque iuxta bellicam disciplinam aptè dispositum tres distribuit in acies; quibus totidem Duces, & Magistratus præfecit. Desiderabat cum illis in aciem prodire; negat populus, sed magis censet futurum ex vsu, si in ciuitate maneat. Paret ille, & progressus ad portam, Ducibus commendat enixè, & clarè, ne qua vis filio Absaloni dirior afferatur. Commissum est prælium, & variè dispersum in saltu Ephraim, in quo ex Absalonis exercitu viginti millia hominum decidere. Porrò cum armis se quidquam facturum Absalon desperaret, fugæ se dedidit. In qua cum caput arboris densæ ramis foret impeditum, equúsque, suspenso Absalone, vlteà cursum extenderet, sellúre vacuus: à Ioab tribus confossus spiculis interijt. Cúmque ille iam esset extinctus, cuius causa suscepta fuerat concertatio: Ioab clangente buccina suos à cæde milites auocauit. Absalon ex arbore, suspendióque depositus comarum iniuria, in præaltam foſſam coniectus est, ibíque à multitudine ingenti lapidum aceruo contectus: longè quidem à tumulo, quem sibi egregio opere, atque artificio construxerat, vt qui careret filus, saltem illud haberet sui illustre nominis monumentum. Certatim duo viri, quasi iucundum aliquid foret, ad patrem Absalonis infaustum deferunt exitum, qui extinctum filium miserabiliter luget, & importunis lacrymis tam aliis optatam turbat victoriam. Audiuit Ioab, quo animo Dauid filij obitum accepisset: & quomodo populus non secus mœreret, & Regium aspectum subire recusaret: ac si bellum exitum habuisset adversum. Quare ingressus ad Regem, illius nimiam in filium indulgentiam reprehendit, parúmque gratum animum in populum tam de ipsius honore, ac vita meritum accusat, minatúrque, nisi vultum explicet, & hilarem se ostendat, futurum, vt omnes eodem excedant die, alij alio dilapsi: & maius ex eo consequatur malum, quam aduerso marte militasset. Qua oratione persuasus Dauid, hilarem se populò, & gratum ostendit: quem lætus etiam populus salutauit. Ex eo die conuersus fuit omnium animus, qui se ipsos hortantur mutuò, vt Regem in suam sedem cum honore, ac maiestate deducant.

Claus. 1. *Custodite mihi puerum Absalon.* Nimia indulgentia Regis. An non Dei æmulator delinquentem puniri aptius præcepisset? Certè *sicut inter maxima Dei beneficia adnumerandum, corripi peccatorem: extrema ruina documentum est, delinquentem non flagellari.* lib. 9. sectio 1. numero 18. p. 132. O quam amans filij eum diriter vulnerasses ad correctionem!

Claus. 2. *Fili mi Absalon, Absalon fili mi.* Meritò à Ioab corripitur Regis mœstitudo, ac ploratus. *Illæ etenim solummodo lacrymæ commendabiliter profunduntur, quæ ex spiritus & salutis causis excitantur.* lib. 6. sectio 2. numero 21. p. 95. Crediderim Regem ideò fleuisse, quia ab æterna filius salute cecidisse videbatur. Hæc commendabilis illacrymatio.

PERFECTÆ CONCIONES DE CHRISTI PARABOLIS.

Juxta recentem perficiendorum ſermonum normam.

1. Dominic. XIX. poſt Pentecoſt.

Simile factum eſt Regnum cælorum homini Regi, qui fecit Nuptias filio ſuo. Matth. 22.

Salvo. NVPTIALE hoc conuiuium ex Patrum mente, eſt æterna beatitudo, qua Dominus ſponſam ſuam fidelem animam donare dignatur. Profectò cum Nuptiarum huiuſmodi gloriam contemplor, mox Mariæ interceſſione video illam nos accepiſſe. Audi Richardum Laurent. lib. 2. *Quoniam de feſto æternitatis, ad quod homo redit per Mariam facimus mentionem, vbi dictum eſt, A Luna ſignum diei feſti: conuiuium iſtud erit cœna illa magna, quam fecit homo quidam Luc. 14. id eſt, Deus Pater, quando cæleſtem iucunditatem, vel ſuæ Diuinitatis fruitionem electis ſuis ab æterno præparauit. De quo Dominus, ſimile eſt Regnum cælorum homini Regi, qui fecit Nuptias Filio ſuo. Homini Regi Deo Patri, non tamen eſt homo; Filius dicitur homo, & eſt homo ex Maria*, & per Mariam ſponſæ colligatur Eccleſiæ.

CONCIO I.

Introitum concionis Euang. *Subditis bellorum incommodo preſſis, non decet Regem conuiuij delicijs operam dare.* lib. 1. ſect. 1. n. 37. p. 204. Vnde Deus homo Rex per Incarnationis myſterium Nuptiale conuiuium præparat, totus orbis dum pace potitur. Quid Nuptiis cum bello? quid voluptati cum armorum ſtrepitu?

Clauſ. 1. *Ecce prandium meum paraui*, &c. *venite ad Nuptias.* Curat Dominus renuentes inuitatos ad conuiuium adducere taurorum, & altilium occiſione expoſita, id eſt, obiectis Diuorum exemplis. *Etenim præcedentium exempla validum eſt ad inertiam tepidorum ablegandam incitamentum.* Interim hiſtoriæ Sacræ, ſeu ſpiritualium librorum lectio commendetur. lib. 1. ſect. 1. n. 44. p. 205.

Clauſ. 2. *Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius.* Qui negligentes ſeruorum vocationem non punit: eos, qui ſeruos ipſos vocantes contumeliis afficiunt, & vulneribus, ira ſuccenſus exitialiter punit. *Tanti enim Deus ducit Prædicatorum, ſeu miniſtrorum Euangelij, dum muneri incumbunt, indemnitatem, vt celeriter puniat ſeruorum contemptores, qui ſegnior ad proprias iniurias vindicandas videtur oſtendi.* lib. 1. ſect. 1. num. 50. p. 206.

Clauſ. 3. *Intrauit autem Rex, & vidit hominem*, &c. Conuiuij locum Rex init, vt ſollicitudinem circa ſubditorum actiones, & prouidentiam, quæ Præſules decet, oſtendat. *Agnata eſt enim Regibus, Præſulibus ſollicitudo, vigilantia, ac prouidentia circa ſubditorum commoda, & iniquorum ſupplicia.* lib. 1 ſect. 2 n. 30. p. 212.

CONCIO II.

Introitum concionis Euang. *An quæſierim, congregatio vlla in terris, quæ ſocium aliquem improbum non contineat?* lib. 1. ſect. 1. n. 19. p. 202. Rex cœleſtis Nuptias celebrat, cum iuſti ad collegium adducuntur. Porrò poſt renuentium, friuola excuſatione expoſita, inurbanitatem, boni & mali adducuntur. *Et impletæ ſunt Nuptiæ diſcumbentium.* Scio e ſæculo bonos addici IESV collegio, vt meliores fiant: malos autem aduocari, vt mente donentur meliore. Attamen homo haud veſte Nuptiali indutus in Sanctorum communitate deprehenditur, qui ſit ad tenebras exturbandus.

Clauſ. 1. *Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad Nuptias.* Rex cœleſtis nullum excipit à conuiuio, omnes iubet indifferenter adduci. *Innuens planè dedecere, Principem oſtendi perſonarum acceptatorem.* lib. 1. ſect. 2. n. 11. p. 209.

Clauſ. 2. *Intrauit autem Rex, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte Nuptiali.* Solus Rex vidit hominem veſte Nuptiali non indutum, miniſtri, ſociiſque conuiuæ non viderunt. *Ad ſolum etenim Regem, ſeu Præſidem attinet, ſubditorum defectus aſpicere, vt corrigat.*

Clauſ. 3. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem Nuptialem?* Iniquum hominem, imò iniquorum cœtum Rex cœleſtis vocat amicum. *Vrbanitas enim erga ſubditos etiam iniquos Principibus agnata; quos debent cuncti Præſules imitari.* lib. 1. ſect. 2. n. 37. p. 213.

CONCIO III.

Fatur Origenes, *Regnum cælorum ſecundum eum, qui regnat, ſimile eſt homini Regi; ſecundum autem conregnantem Filio Regis; ſecundum verò ea, quæ ſunt in Regno, inuitatis ad Nuptias.*

Diſcurſ. 1. *Simile eſt Regnum cælorum homini Regi.* Regnum cœlorum, ſeu Rex cœleſtis aptè Rex homo appellatur, vt diſtingui poſſit à Rege terreno. *Rarò enim terrenus Rex apparet, qui Rex homo valeat vocitari:* affectata Deitate exurgens ſupra ſubditos. lib. 1. ſect. 1. n. 19. p. 202.

Diſcurſ. 2. *Qui fecit Nuptias filio ſuo.* Nuptias Chriſti & Eccleſiæ, ſeu animæ iuſtæ expende, & illuſtra.

serm.4.de Assumpt. *Quis misericordia tuæ ô benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Misericordia tuæ longitudo vsque ad diem nouissimum. Latitudo replet orbem terrarum, sublimitas ciuitatis supernæ inuenit restauratorem. Profundum sedentibus in tenebris, & vmbra mortis inuenit redemptionem.* Quomodo si in inferno nulla est redemptio? Certè quia Mariæ pietas inferno est profundior. Pulchrè Richardus Laurent. lib. 4. *De misericordia Mariæ potest intelligi illud Iob.11. Excelsior cælo est, & inferno profundior, longior terra mensura eius, & latior mari.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Vis tormentorum, & tribulationum vel damnatos efficit prudentiores.* lib.3.sect.3.n.14.p.253. Diues in deliciis, cum epulabatur quotidie splendidè, cum induebatur purpura, & bysso: Deum nesciebat, pauperem Dei imaginem minimè reuerebatur. At cum esset in tormentis, pristinam (proh dolor inutiliter,) exuit stultitiam: *Mitte Lazarum*, &c. Sciebat inopis Dei imaginis ministerio, posse ad fœlicitatem remeare, si gutta sanguinis Christi, (ex mente Augustini,) flammas tartareas extinguere poterat.

Claus.1. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso.* Expressit Christus diuitis ornamenta ex purpura, & bysso; vt deprauatos hominis mores exprimeret. *Assolet enim amictus aut religiosus, aut prophanus morum rectitudinem, aut iniquitatem indicare.* lib. 3. sect. 1. n. 12. p.236.

Claus.2. *Et epulabatur quotidie splendidè.* Alterum improbæ vitæ diuitis documentum, quotidianis epulis deliciari. *Pariter enim assolent incedere prophana conuiuia, & morum relaxatio.* lib.3.sect.1. n.20. p.237.

Claus.3. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*, &c. Si diues epulo Lazaro inopi iacenti ad ianuam eius succurrisset; diuinæ pietatis proculdubio expertus fuisset circa salutem documentum. *Eleemosyna etenim plures iniquos diuites ab æterno liberauit exitio?* lib.3.sect.1.n.46.p.241.

Claus.4. *Factum est autem, vt moreretur mendicus. Mortuus est autem & diues.* De diuite non dicitur, *Factum est, vt moreretur*, quemadmodum de Lazaro. Quare? *Quia mundialis potentia, aut felicitas adeò obnoxia ruinæ, vt suomet pondere corruat.* lib.3 sect.2.n.27.p.245.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Is erga cognatos amor innatus, vt plus de eorum incommodis, quam de malis propriis doleamus.* lib.3. sect.3.n 19. p.253. En diuitem gehennali cruciatum in flamma, adeò, vt vel sibi inuisi Lazari inopis auxilium imploret: tandem velut propriæ calamitatis oblitum inclamare: *Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis; ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Claus.1. *Homo quidam erat diues. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Non designatur proprio nomine diues; quia velut ficta eius fœlicitas; pauperis autem nomen exprimitur, quia ille apud Deum verè diues est. *Verè quidem pauper est diues infœlix sine Deo. Verè diues est pauper hæreseus Conditori.* lib.3.sect.1 n.27.p.238.

Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit, &c. Diues in tormentis constitutus oculos aperit, ad suam miseriam dignoscendam: ad differentiam perpendendam temporariæ, & æternæ fœlicitatis. *Et quando non labores, mentis oculos acuunt, ad inuisibilia aspectanda, ad vtilia intelligenda?* lib.3.sect.2.n.33.p.246. *Claus.2.*

Vidit Abraham a longè, &c. In sinu pauperem Abrahamus collocat, vt ostendat, sibi esse æqualem circa eleemosynarum elargitionem. *Pauperrimus enim homo potest Abrahamum munificentissimum erga pauperes, imitari.* lib. 3.sect.2.n.41. p.247. *Claus.3.*

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Taxabiles admodum ostentantur illi, qui contemnentes cœlestia necessaria sibi pro inutilibus ad aliena commoda pertinentibus precantur.* lib. 3. sect.3.n.29. p.255. Vidisti diuitem impium in tormentorum loco constitutū peccatoris è vitæ prauitate damnabilis simulacrum. Qui quidem cum deberet instare precibus, se ab statu miserando eripi, ad cœlùmque spe transferri: pro inanibus fratrum commodis enixè deprecatur: *Rogo te pater.* Vtitur verbo *Rogo* ad commoda aliena, ad propriam autem salutem, minimè, sed ait: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam.*

Claus.1. *Homo quidam erat diues.* Diues homo quidam erat, sed non est; quia dum diues efficitur, quasi exuit naturam hominis, & in brutum est verè mutatus. *Diuitiæ enim obturantes rationem, brutescere homines efficiunt.* lib. 3. sect. 1. num. 34. p.239.

Claus.2. *Pater Abraham, miserere mei. Mitte Lazarum, vt refrigeret linguam meam.* Totus ardet diues, & soli linguæ expetit refrigerium? Ita planè. *Lingua enim posset confessione delictorum, si verè fieret, gehennæ incendium illicò extinguere.* lib.3.sect.2.n.48.p.248.

Claus.3. *Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei*, &c. Diues epulo carnali in suos dilectione etiam post dissolutionem corporis pulsatur? *O quam difficilè abolетur praua vitiorum consuetudo!* lib.3.sect.3.n.7.p.252.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Membrum specialiter serviens iniquitati, speciali tormento in gehenna afficitur.* lib. 3. sect. 2. n. 54. p.249. Miserum vides diuitem tartareo immersum incendio: *Cum esset in tormentis, sepultus est in inferno.* Attamen signanter expetit linguam refrigerio donari: *Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quasi sola ex linguæ conflagratione miserabilis ostentetur. Profectò acerbius diues in lingua experitur incendium, quia aut procacitate linguæ deliquerat: aut pauperi insultauerat.

Claus.1. *Homo quidam erat diues.* Vt Christus exprimeret damnationis exemplum, non luxuriosum, aut raptorem hominem memorat; sed diuitem. *Diuitiis enim assolet damnatio insidiari.* lib.3.sect.1.n.40.p.240.

Claus.2. *Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei.* Nil diuitis preces proficiunt, qui (licet in statu fuisset, quo vtiliter proferrentur,) deberet instare, & replicare orationem; vt mereretur exaudiri. *Instantia enim precum à Domino exigit beneficia.* lib.3.sect.3.n.23.p.254.

Clauſ.3. *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos.* Aſſerit Abrahamus, ſufficientiſſimè prouiſum eſſe diuitis fratrum ſaluti, dum Moyſem, & Prophetas habent; id eſt, ſacras Scripturas; à quibus poſſint viam virtutis edoceri. *Scriptura enim ſacra via eſt ad ſalutem, perfectionis Christianæ magiſterium.* lib.3.ſect.3.n.36.p.256.

4. Dominic. VIII. poſt Pentecoſt.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum. Luc.16.

Salut. PRudenti conſilio villicus cunctis debitoribus benefacere curauit, vt cum amotus fuiſſet à villicatione, eorum exciperetur in domos. O quam prudens mens, Mariæ obſequium litare peccatorem, vt cum amotus ſit cœleſtem excipiatur ad domum. An non Maria domus cœleſtis eius ſtudioſis præparata! Richardus Laurent.lib.2. *Qui diligit, & honorat Matrem Domini, securè poteſt à Patre, & Filio eius petere miſericordiam, cum amotus fuerit à vita. Recipietur enim in domo Mariæ. Vnde Pſalmiſta dicit Pſalm.23. Domine dilexi decorem domus tuæ. Domus iſta beata Virgo. Vnde ſapientia ædificauit ſibi domum Prou.9.* Qui ergo Mariæ præſtat obſequium, cum amotus fuerit à villicatione, ſeu à vita defecerit, in domum Deiparæ, & conſequenter in æterna tabernacula recipietur.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *O quam prudens, qui procurat nunc obſequiis pius ſibi amicos in iudicij die comparare.* lib.4.ſect.2. n. 37. p. 271. Villicus diuitiarum Domini diſſipator procurat beneficiis expreſſis amicos acquirere, vt in eorum domos reciperetur. Prudentibus hiſce operatoribus, Diuis intercedentibus, *æterna tabernacula* præparantur.

Clauſ.1. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum.* Taxatur villicus, non quod bona Domini diſſipauit, ſed quod diffamatus fuerit: *Quid hoc audio de te? Reprehenſibilis obiicitur œconomus, ſiue Præſul, aut vir illuſtris, qui vel ſpeciem contra bonam famam non curat abſtrahere.* lib.4.ſect.1.n.9. p.261.

Clauſ.2. *Quid hoc audio de te?* Mox vt Dominus villici piacula audiuit, ſupplicio affecit. *Ac ſi celeriori, & grauiori ſint obnoxij ſupplicio, qui domeſtici Dei non verentur ſe delictis inficere.* lib. 4. ſect.1.n.14.p.262.

Clauſ.3. *Iam enim non poteris villicare.* Audita diffamatione villici Dominus incunctanter dat operam ſupplicio. *Quia impudenter, ſeu ſine cautela delinquere, Deum cogit ad vindictam.* lib.4.ſect.1. n.20.p.263.

Clauſ.4. *Conuocatis ſingulis debitoribus Domini ſui dicebat primo.* Villicus nullum habebat debitorem: nec priuatus munere, vnde poſſet vitam traducere. Vndenam miſero penuria tanta? Certè ex ipſa iniuſta bonorum Domini diſſipatione. *Etenim res in iniuſtitia poſſeſſæ iniuſtum illicò effugiunt poſſeſſorem.* lib.4.ſect.2.n.18.p.268.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Efficaciſſima eſt eleemoſyna, ad veniam de iniquitatibus aſſequendam.* lib.4. ſect.2. n.44. p.272. Villicus amotus à villicatione homo eſt à Dei gratia deficiens. Prudenter ille ſatagit, pauperibus debitoribus bona à Deo accepta largiri, vt de ſæcularibus diuitiis, (iniquitatis mammona,) amici acquirantur, qui ſe in æterna tabernacula poſſint excipere.

Clauſ.1. *Redde rationem villicationis tuæ.* Hortatur Dominus villicum, vt reddat rationem muneris iniuncti, & ad obiectiones reſpondeat. *Nec enim iudicem æquum ſe oſtenderet, ſi reum inauditum damnaret.* lib.4.ſect.2.n.25.p.264.

Clauſ.2. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* Secretiſſimum diſſipationis bonorum delictum vulgariter aperitur. *Quia nullum tam occultum facinus, quod non agnatum ſit manifeſtatiom.* lib.4.ſect.1.n.32.p.265.

Clauſ.3. *Conuocatis itaque ſingulis debitoribus, &c.* Beneficio & tritici, & olei exhibito, prudens villicus cogit homines, gratitudinis ergo ſe conſtituere illius, in domum, receptores. *Et quando beneficia accepta non cogunt homines ad gratiam referendam?* lib.4.ſect 2.n.25.p.269.

Clauſ.4. *Facite amicos de mammona iniquitatis.* Cur diuitiæ iuſtè acquiſitæ iniquitatis mammona vocitantur? *Certè quia diuitia eſt fomes delinquendi.* lib.4.ſect.2.n.49.p.272.

5. Dominic. infrà Octau. Corpor. Chriſti.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc.14.

Salut. COnuiuium hominibus à Domino præparatur? Deiparæ pietas neceſſariò exponitur. Iſaias præfatur, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ.* cap.25. Conuiuium hoc quid niſi Cœna illa magna de qua Dominus, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Certè conuiuium, ſeu cœna magna *in hoc monte* præparatur, id eſt, in Deiparentis miniſtrante pietate. Pulchrè Richardus Laurent.lib.2. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis, id eſt, electis ex omni populo, in monte hoc, id eſt, in Maria Monte, conuiuium pinguium, id eſt, omnimoda ſatietatis; conuiuium vindemiæ, id eſt, omnimoda iucunditatis. Conuiuium iſtud erit Cœna illa magna, quam fecit homo quidam Luc. 14. id eſt, Deus Pater, &c.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Pauperes efficacius à Deo aſſolent inuitari, quia facilius ratum parent.* lib. 5. ſect. 2. n. 9. p. 286. Cœnam ſuam Dominus exponit, inuitati ciues, variis excuſationibus expreſſis, non accurrunt. Iubente Domino, pauperes aduocantur, qui epuli cœleſtis ſatietate potiuntur.

Clauſ.3. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Beatitudinis cœleſtis magnum epulum illuſtretur. Interim innuatur, *mundi amatorem, qui herens fallacibus bonis, tantæ fœlicitatis nuncium remittit, ſtultiſſimum eſſe.* lib.5.ſect.1.n.13.p.278.

Clauſ.2. *Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent.* Hora cœnæ, hoc eſt, mortis articulo omnia bona cœleſtia inuitatis iuſtis præparantur. *Hinc mortis iuſtorum beatitudo eſt exprimenda.* lib.5.ſect.1.n.23.p.279.

Quia

Clauf. 3. *Quia iam parata funt omnia.* Inuitat Dominus, imò cogit ad conuiuium, hoc eft, ad amoris in ipfum fuauitatem, exprimens dona, quibus homines affecti funt. *Quia quafi cogit homines ad amorem diuinum bonorum à Deo acceptorum recordatio.* lib.5.fect.s.n.28.p.280.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Amicos fuos Deus ad fe allicit, non dulcedine expofita; fed laborum verbere.* lib. 5. fect. 1. n.36. p.281. Nuncius monet inuitatos primùm, effe omnia dulcia præparata: nil laboris exponit. O quam perfpicuum documentum inuitati hi præleferunt haud effe ex iuftorum cœtu, ex amicorum numero, fed ad eos pertinere, qui cœnam beatitudinis non guftabunt. Porrò pauperes, qui laboribus compelluntur ad cœnam incundam, euidenter oftentant,fa effe ex electis ad cœnam beatitudinis.

Clauf. 1. *Primus dixit, villam emi.* Agricola cum effet inuitatus, hic villæ emptor, fuperbia laborans oftentatur. *O quam agnatum affolet effe abiectis hominibus, fuperbia morbo laborare.* lib. 5. fect. 1. n.43.p.282.

Clauf. 2. *Iuga boum emi quinque.* Qui conuiuiam iniens, poterat vni iugo fuauiffimo hærefcere: multa fibi iuga importabilia parat. *Difficilius planè, diabolo feruire, quam Domino. Vide extrema damnatorum dementia taxatur.* lib. 5. fect. 1. num.49. p.283.

Clauf. 3. *Vxorem duxi, & ideò non poffum venire.* Qui vxorem duxerat, fiue qui concupifcentiæ vitio myfticè laborabat: loquitur inurbanè; impudenter de luxuriei ingenio refpondet. *Nam luxurias animos efficit inurbanitate, ac rufticitate laborantes.* lib.5.fect.1.n.56.p.283.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Præfidum facta non tam inuitant, quam cogunt fubditos ad imitationem.* lib.5.fect.2. n.15. p.287. Appofita cœleftium virtutum menfa, Dominus feruum immittit qui inuitatos fermone moneat, vt fefe epulo incundo præparent. An nihil dictione profecere, cunctis inuitatis fefe excufantibus à profectione. Porrò Dominus feruo ait, *Exi cito in plateas,*&c. *& compelle intrare.* Seruus igitur homines non dictione inuitat, fed exemplo,(ex Patrum mente,)intrare compellit.

Clauf. 1. *Exi in vias, & fepes.* Compelli iubentur pauperes, defpecti, ac laboribus acti, tribulationum irruptione. Quia tribulationes, de laborum moleftia homines trahunt ad virtutis conuiuium. lib.5.fect.2.n.22.p.288.

Clauf. 2. *Dico autem vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati funt, guftabunt cœnam meam.* Cum Dominus in omnes Iudæos inuitatos iratus admodum oftenditur: multos ex hifce recepit ad cœnam. Quia cum iræ igne fuccenditur, mifericordiæ aura refrigeratur. lib.5. fect. 2. n.30. p.289.

Clauf. 3. *Quia nemo virorum illorum,* &c. Iudæi fe excufantes à cœna cœlefti, traditi funt hoftibus puniendi, non ab irato Numine flagellantur. *Domino enim Regi indignum, proprias iniurias propria manu vindicare.* lib.5. fect. 2. num. 36. p.290.

De Cœna Euchariftica.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

Salut. COEnam Euchariftic am præparat ouibus cœleftis Paftor. Proculdubio Mariæ manus inter dulcia gramina, inter cœleftia fercula oftentantur, falutaris vt fit ouibus faturatio, *Qui pafcitur inter lilia.* Cant. 2. An cum Dominus à nobis pafcitur, feu comeditur: manus Mariæ lilia non funt? Audi Bernardum. *Manus Mariæ quædam lilia candidiffima funt. Nec caufabitur liliorum amator, inter lilia non inuentum, quidquid inter manus Mariæ inuenerit.* ferm. de Aquedu. Si dulciffimi epuli Mariæ manus cibaria miniftrant, quid fideles oues vereantur accederè?

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Hoc in epulo Regis cœleftis omnes diuitiæ continentur.* lib.5.fect.3.n.17.p.293. Ideò Euchariftia & *Cœna magna* appellatur, & multis, id eft, cunctis hominibus præparata eft: & pauperibus omnis ditandis ftatuitur: & miferrima premuntur inopia, qui epulo priuantur: *Nemo virorum illorum, qui vocati funt, guftabunt cœnam meam.* Cur non aliud fupplicium inurbanis hominibus præparatur? Quia horribile eft fupplicium Dei omnibus priuati diuitiis.

Clauf. 1. *Homo quidam fecit Cœnam magnam.* Euchariftia eft Cœna magna, feu cœlefte epulum vitæ cœleftis continens delicias. Affere, *dignè ad Euchariftiam accedentes vita æterna refici, beatitudine cœlefti potari: falutis fcilicet præftantiffimo pignore accepto.* lib.5.fect.3.n.17.p.293.

Clauf. 2. *Et mifit feruum fuum hora Cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent.* Hora Cœnæ hora mortis eft. *Tunc etenim dignè Euchariftica Cœnæ hærent inuitati, cum ita difpofiti accedunt, ac fi illicò è vita effent difceffuri.* lib.5.fect.3.n.9.p.292.

Clauf. 3. *Et cœperunt omnes fimul excufare.* Tribus hifce inuitatis ad Cœnam Euchariftic am peccatores cuncti exprimuntur: quibus Euchariftica medicina offertur. *Nam ad vitia ex animo ablegandà, Euchariftia aguata eft medicina.* lib.5. fect.3 n.25.p.294.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Væ qui fine fui immutatione defectuofius accipit Euchariftiam.* lib.5.fect.3.n.98.p.303. Euchariftica Cœna præparatur, vocantur multi. Qui confcientiæ vulnere ex fuperbia, aut auaritia, aut luxurie fauciabatur, debebat fefe pœnitudinis ablutione mundare, & inire conuiuium. At fi mandandi non erant illi, minus taxabilas oftenduntur dum abftinent. Ideò eis non additur gehennæ flamma, fed inedia fpiritualis: non delinquit, qui non comedit, dum non iubet Ecclefia: efto fame prematur. Porrò pauperes, debiles, cœci, & claudi, id eft, peccatores defectibus affecti multis, vocantur ad cœnam: non vt defectuofi comedant; fed vt immutati prius menfæ accumbant.

Clauf. 1. *Et cœperunt omnes fimul excufare.* Haud excufatio admittitur. Ineptè enim à conuiuio Euchariftico excufantur, qui poterant ad Cœnam venientes contriti, & Confeffione

præmissa, à Mundo, à diabolo, à carne liberari. *Eucharistia enim è tribus animæ hostibus illustrissimum agit triumphum.* lib.5. sect.3. n.30. p.295. *Vilam*, (ait ille,) *emi. Aduersus mundum inuictâ Eucharistia munati, dimicamus.* n.31. ibid.

Clauf.2. *Iuga boum emi quinque.* Seu diaboli tyrannidi sum addictus voluntariè. *Contra diabolum, Eucharistia muniti procedimus.* lib. 5. sect. 3. n. 37. p.296.

Clauf.3. *Vxorem duxi.* Voluptates hic noxiæ significantur. *Carnem hostem horribilem Cœna Eucharistica superamus.* lib.5.sect.3.n.46.p.297.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Panis hic intellectus mentem edocet, ac sapientes efficit homines.* lib.5.sect.3.n.82.p.301. Inuitantur multi ad Cœnam Eucharisticam, in qua omnes Dei thesauri, omnes cœlestes deliciæ vel Regibus exponuntur. Conuiuæ illi rusticitate nimia premuntur, quia pro villa, pro boum iugis, pro mundiali voluptate tot bona contemnere; quæ quidem paupertas agnouit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, ac scientiæ Dei, quæ abscondisti hæc à sapientibus sæculi, & reuelasti ea paruulis!* Seu syncæris effectis vtique sapientibus ex epuli participatione.

Clauf.1. *Villam emi*, &c. Quam demens inuitatus ille, qui Cœnam Eucharisticam pro villa, id est, terrenis bonis commutauit! *In cœna enim Eucharistica cœlestium bonorum fruimur abundantia.* lib.5.sect.3.n.54.p.298.

Clauf.2. *Iuga boum emi quinque.* Inuitatus infælix, vt plurium Dominorum seruitutem emat, Eucharistica filiorum mensa imprudens priuatur. *O quam à seruitute abstractus, qui Cœna Eucharistica fruens, in Deum conuertitur!* lib.5. sect.3. n.62.p.299.

Clauf.3. *Vxorem duxi*, & *ideo non possum venire.* Nil magis repugnat mensæ Eucharisticæ puritati, quam libidinis voluptates. Ideo se venire non posse affirmat, qui duxit vxorem. *Si non potest decêter quidem) Cœna huic interesse, qui licitis dedit studium voluptatibus: quid Veneris iniqua libans obsequium?* lib.5.sect.3.n.73.p.300.

---

6. ## Dominic. X. post Pentecost.

Dixit IESVS *ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti.* Luc.18.

Salut. ILla clausula Dominus perficit huius parabolæ argumentum: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Profectò Dominus omnium potuisset supercilia supprimere Matris exemplo. Nam cum mirum in modum eueheretur ad Dei Maternitatem, se se mirabiliter demittens, ait: *Ecce ancilla Domini.* Luc.1. Richardus Laurent.lib.4. *De humilitate Mariæ ait ipsa Cant.5. Anima mea liquefacta est per incendium vtique charitatis, parata, instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos diuinæ voluntatis. Vt dilectus locutus est ad me per Gabrielem postulans me in matrem, ei me obtuli in ancillam fecit, quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Luc.18. Exaltata es, ô Maria, super Choros Angelorum ad cœlestia Regna.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Qui à propria abstinet laudatione, dignus obiicitur, vt ab aliis commendetur, & efferatur.* lib.6. sect.2. numero 30. pagina 318. Sistuntur Domino Pharisæus, & Publicanus; hic se deiicit, & opprobriis agit: *Deus propitius esto mihi peccatori*; dum ille se se laudibus effert: *Non sum sicut cæteri homines*, &c. Quam merito Publicanus à Deo ipso commendabilis exprimitur! *Descendit hic iustificatus.*

Clauf.1. *Duo homines ascenderunt in Templum, vt orarent.* Reprobatur Pharisæus, qui apud Templum Publicano detraxit: nec loci sanctitate compunctus est. *Hinc debitam delubris reuerentiam illustro.* lib.6. sect.2. numero 15. pag.309.

Clauf.2. *Non sum sicut cæteri hominum.* Superbus Pharisæus se se ab hominum communitate abstraxit. *Quia superbia sola incedit, nec reputat cum hominibus esse flagellandam.* lib.6. sect. 1.n.27.p.310.

Clauf.3. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Dum se Publicanus humilitatis virtute præditum ostendit, apertè monstratur, quam iniustè à Pharisæo adulter fuerit appellatus. *Quia castitas & humilitas assident vna in sede commorari adeò, vt si animus castitate emineat, quasi necessario debeat humilitate niteret.* lib.6. sect.2. num.37. p.319.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Humilitas Deum semper inuenit, qui non ab ascendentibus, sed à descendentibus est inueniendus.* lib.6.sect.2. n.43.p.320. Deum Pharisæus stans curabat inuenire ieiuniis, decimarumque solutione: nec inuenit, quia iustificatus non est. At Publicanus *descendit iustificatus*, id est, Deum descendendo inuenit.

Clauf.1. *Non sum sicut cæteri homines, &c. velut etiam hic Publicanus.* Pharisæus despectis cæteris, Publicano vituperiis affecto: cupit ex omnium fulgescere obscuratione. *Superbus enim numquam se eximium fore putat, nisi quando reliquos contemnit.* lib.6.sect.1.n.33.p.311.

Clauf.2. *Ieiuno bis in Sabbatho.* Superbus Pharisæus inaniter quidem pœnitentiæ fictæ operibus peregrinatur. *Quam agnatum superbiæ, vias difficiles terere, per præcipitia ad tartara properare!* lib.6.sect.1.n 40.p.312.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Nihil superbia, Deo iudice, magis agnatum flagellandæ, quam humiliationis dedecus.* lib.6. sect.2. num.12. p.316. Pharisæus se se mirum in modum efferre procurat, dum Publicanus se se deprimere studet. Ostentat ille affectum superbiæ inuisæ admodum Numini; quia cum proximi detractione colligabatur. At cum Deus iratus curat supplicio verberare superbum non illicò eum flammis addicit, sed humiliatione diuerberat: *Qui se exaltat humiliabitur.*

Clauf.1. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat.* Orabat Pharisæus apud se, id est, non verè apud Deum orabat qui in superbiæ piaculo persistebat.

Quid

Quid li.n enim quodammodo implicatorium est, verè orare, & delinquere. An quia vera oratio illicò adiltruit animi innocentiam? lib.6.sect.1.n.47. p.313.

Clauf.2. *Non sum sicut cæteri hominis.* Pharisæus cunctis virtutibus, quas iactitabat, inanis ostenditur, dum se alium à cæteris proferebat. *Quia vacuus omnino, qui communitatis viam deserit, singularem vißtuus.* lib.6.sect.1.n.55.p.314.

Clauf.3. *Et qui se humiliat, exaltabitur.* Humilitatem Publicani Deus exaltatione munerauit. *Nihil enim magis agnatum humilitati, quam exaltatio.* lib.6.sect.2.n.20.317.

7. Dominic. VI. post Epiphan.

Simile est Regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

Salut. GRano sinapis assignatur humilitas; *minimum enim est omnibus seminibus.* Quid præter paruitatem huic grano cum humilitate? Certè totum exiguitati addicitur; nam paruulum granum, quod velut indiuisibile ostentatur, totum consecratur humilitati: nec adest particula superbiæ litanda. Hæc verè humilitatis proprietas ex Sapiente, Humilia te in omnibus. Quam aptè Deiparæ humilitas potest sinapis granulo comparari! Io omnibus sese humilem exposuit. Audi perpulchram Richardi Laurent. lib. 4. sententiam. *Humilitas Maria fuit in omnibus; in corde, & sensu, velut Dauidis, si non humiliter sentiebam. Psalm.130. In cogitatu, capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 6. Capilli isti sunt cogitationes humiles. In oculis, & visu. Dixit cum Dauid, Neque elati sunt oculi mei. Psalm.130. Denique in auditu, in olfactu, in sermone, & voce, in opere, in collo, & capitis demissione, in tactu, in incessu, in habitu, & omni motu.*

CONCIO I.

Introitum totius Euang. *Lacryma seu affectus pœnitentiæ virtutum difficilium gustum excitant.* lib.7. sect.1. n.26. p.326. Arbor, inquam sinapis granum conuertitur, vbi volucres cœli nidificare dicuntur, summum virtutum fastigium est. Profectò sinapis excitans lacrymas pœnitentiæ ac contritionis getens simulacrum appositè virtutum euehitur ad cumulum. Difficiles pennatæ virtutes sinapis huiosce gustu saporantur.

Clauf.1. *Simile est Regnum cælorum grano sinapis.* Sinapis est feruor internus, quo exercitamenta virtutum fastidium non afferunt quotidie absumenti. *Nauseans enim vitam repetit secularem, qui interno huiusmodi feruore fastidium non curat expellere.* lib.7.sect.1.n.20.p.325.

Clauf.2. *Et fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.* Sinapis tam æternæ vitæ meditatio est, qua sufflatæ animæ, pondere temporariæ vitæ pressæ, possunt à fatigatione respirare. *Vita quidem hominis tot, tantisque est plena laboribus: vt non fruamur ea, sed eam vtique patiamur.* lib.7.sect.1.n.33.p.327.

Clauf.3. *Minimum est omnibus seminibus, & maius fit omnibus oleribus.* Sinapis granum vigens, condiens, sanans magnum fructibus: vile quidem ostenditur, ac minimum apparet. Vnde meritò fit maius oleribus, & proceram ascendit in arborem. *Agnatum humilitati, mirum in modum eleuari.* lib.7.sect.1.n.41.p.328.

CONCIO II.

Introitum totius Euang. *Inutilis prorsus prædicatio eorum, qui conceptuum celsitudine, ac verborum inuolucris verbum Dei proferunt.* lib.7.sect.1.n.11.p.324. De quotidiano vsu, de communi conuersatione Dominus parabolarum sumit similitudines; non de occultis, vt possint à rudioribus capi. Quid vulgarius sinapis, ac fermenti similitudine. Edisceant Concionatores, verbi Dei asperitatem sinapi condiri, hoc est, sermonis seu stili facilitate dulcorari.

Clauf.1. *Simile est Regnum cælorum grano sinapis*, &c. Sinapis granum est passionis Dominicæ meditatio, quæ quidem laborum cibos dulces efficit. *Nihil enim ita reddit nos auidos ad laborum sustinentiam, quam Christi patientia exemplum.* lib.7. sect.1.n.46.p.329.

Clauf.2. *Simile est Regnum cælorum fermento.* Fermentum, quod farinam in vnum corpus vnit, Ecclesiæ significat concordiam triumphantem. *Concordia enim totus orbis Ecclesiæ subigitur.* lib.7. sect.2.n.18.p.332.

CONCIO III.

Introitum totius Euang. *Principatus præcelsi est haud hos plus, quam illos subditos pergrauare.* lib.7. sect.2. n.41.p.335. Si vir granum sinapis curæ ferendi dat operam; fœmina interim fermento admiscendo farinæ impendit studium. E cœlo labores communiter omnibus subditis exponuntur.

Clauf.1. *Simile est Regnum cælorum fermento.* Verbi diuini efficacia ex prædicatorum virtute in fermento innuitur. *Euangelica enim prædicatio efficacius mundum allicit ad Deum Concionatorum, ac Magistrorum, seu patrum familias exemplo, quam eloquentia vi.* lib.7.sect.2.n.26.p.333.

Clauf.2. *Simile est Regnum cælorum fermento.* Christus in Eucharistia fermentum est, faciens, massam, cui hæserit, eleuari. Ostende hinc, *Hispania Reges Austriacos ex Eucharistia mirum in modum eleuatos; augustißimum eorum dilatatum imperium.* Cuncti quidem fideles fœlicitate opplentur ex Eucharistiæ frequentia. lib. 7. sect.2.n.34.p.334.

Clauf.3. *Quod acceptum mulier abscondit.* Fermentum in massæ insipiditatem non transit; sed potius massam ad saporis sui trahit æmulationem. *Iusto enim agratum est, ab iniquis socius non solum non peruerti; sed eos ad sui imitationem allicere.* lib.7.sect.2.n.47.p.336.

Dominic. in Sexages. 8.

Exiit qui seminat seminare. Luc.8.

Salut. SI semen Dei verbum, terra debet esse Deipara, vt fructus vberrimos orbi proferat. Richardus Laurent. lib. 8. *Maria est terra Gerara, in qua seminauit Isaac, & inuenit illo anno centuplum, Gerara interpretatur aduena appropinquantes, quia illi, qui prius erant iniqua terra, via, spinæ, petra,*

&c

& ideò *abstracti à Deo* seminatore: *per orationes Mariæ appropinquant illi. Conuertit homines ab errore viæ suæ, duros emollit, & pacificat Filio, spinosos facit pacificos.* Denique Mariæ intercessione bonam aptam semini conuertuntur in terram.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Rebelles subditi non tam trahuntur armorum vi, quam sermonibus dulcibus, beneficiorúmque vinculis alliciuntur.* lib.8.sect.1. n.42.p.346. Exiit Dominus seminator, non Dux exercitus, seu nobis appropinquat, verbi sator ostenditur, vt rebelles homines in via, petra, ac spinis designatos ad frugem meliorem adducere studeat.

Discurs.1. Exiit qui seminat seminare. Agricola hic non eximit seminationis prætextu ad alia negotia suo muneri repugnantia; sed ad offerendum suum terræ granum exiuit. *Subtaxant Euangelij ministros, ac spirituales parentes, qui ministerij sacri prætextu secularibus negotiis implicantur, & propriis commodis student.* lib.8. sect.1. n. 14. p.342.

Discurs.2. *Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est.* Licèt ex seminibus tanta vis deperdita est, particula cadens in terram bonam, centuplum fructum reddit. Quia agricola non ex alieno penu; sed ex proprio tritico seminauerat. *Fructificant enim propria diuitiæ; quæ acquiruntur ex raptu imminuuntur.* lib.8.sect.1.n.37.p.345.

Claus.1. *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.* Granum iuxta viam, virtus in publico conculcatur: proficit in recessu, & honorabilis ostenditur. *Moneantur iusti, à curia recedere, ad occulta properare: vbi & virtus accrescit, & hominibus venerabiliter obucitur.* lib.8.sect.1.n.48.p.347.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Nunquam perit, semper reddit cum fructu, ac vsura, quod pauperibus granum expenditur nunquam non terra bona.* lib. 8. sect. 1. n. 21. p.343. Verbi sacri semen diuersimodè cadit in auditorum terram, petrosam quidem, viæ hærentem, ac spinis offusam. At misericordiæ grana nunquam non fœliciter excidunt.

Claus.1. *Et aliud cecidit supra petram.* In corde petricoso granum cœleste exaruit ob humoris defectum. *Lacrymæ enim præcordia fœcundant ad seminum cœlestium incrementa.* lib.8. sect.1. n.53. p.348.

Claus.2. *Aliud cecidit inter spinas.* Bona & noxia herba simul exoritur. At noxia, nempè spinæ bonum semen suffocauerunt: non bonum semen noxiam herbam. *Facilius enim malorum societas inficit bonos, quam boni contubernium malos ad virtutem adducit.* lib.8.sect.1. num.62. p.349.

Claus.3. *Aliud cecidit in terram bonam*, &c. Terræ bonitas ex centuplo fructu auspicatur. *Edoceris, eum appellandum veraciter bonum, qui non solum verbis, sed operibus probitatis augustissimam naturam ostentat.* lib.8.sect.1.n.69.p.370.

CONCIO III.

Theophylactus, *Non seminans granum proiecit, vt perderetur; sed diuersimodè cadit in audientes.* Si terra bona est, fructum profert vberrimum. Ergo malitiam triplicem prauæ terræ perpendamus.

Discurs.1. *Semen est verbum Dei, Quod autem secus viam, hi sunt, qui audiunt; deinde venit diabolus*, &c. Magna sollicitudine curat diabolus, volucris præpetis in morem, arripere verbi sacri granum à fidelium præcordiis. *Quid mirum, si verbum sacrum inferme est euacuatiuo ob peccatorum conuersionem?* lib.8.sect.2 n.22.p.354. Hinc iniquitas terræ exponitur, non curantis à via tecedere, seu à tumultu sæculari.

Discurs.2. *Nam qui supra petram*, &c. *hi radices non habent.* Granum sine radicibus protinus exiccatur. *Quia virtus non radicata ex laborum sustinentia facilè temporum iniuria languit.* lib.8.sect.2. n.29.p.355.

Discurs.3. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt*, &c. Quis crederet, granum à voluptatibus suffocandum esse? *Profectò voluptates verè sunt animæ, corporisque tortores.* lib.8. sect.2. n.35. p.356.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Diuitissimo agnatum Principi, supremóque optimo Præsuli, nulli subditorum munera denegare.* lib.8.sect.1.n.19.p.344. Cœlestis Agricola, qui exiit seminare in petram, in viam, in terram spinis redundantem, & in terram bonam beneficiorum grana immisit; bonos & malos donis affecit.

Claus.1. *Quod autem secus viam, hi sunt*, &c. Potentissimum ad salutem hominum vel vnici sacri verbi granum. Profectò *ad iustorum profectum, & ad peccatorum correctionem sacrum Verbum est potentissimum: in prædicationis commendationem.* lib.8.sect.2.n.15 p.353.

Claus.2. *Et à sollicitudinibus, & diuitiis vitæ suffocantur.* Sæculares diuitiæ spinæ sunt triticum suffocantes. *Hinc diuitiarum fallacium ostenta.* lib.8.sect.2 n.44.p.357.

Claus.3. *Quod autem in terram bonam: hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Vberrimæ bonæ terræ ex patientia fructus expone. Assere, Euangelij ministros ex patientia vberrimos fructus conuersionis hominum reportare. lib. 8. sect.2. n.49.p.358.

Fer.VI. post Domin.II. Quadrag. 9.

Homo quidam erat Paterfamilias, qui plantauit vineam. Matth.21.

Salut. EXistimo generis nostri vineam omninò tradendam fuisse perditioni, si vitis Maria fœlicissimè nostra germinans in tellure Agricolæ cœlesti non summè placuisset. Pulchritudinem vitis Marianæ Richardus Laurent. lib. 12. expendit ex illis Eccli.24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Ego*, inquit Maria, *quasi vitis, fructificaui suauitatem odoris, id est, odorem sanctæ conuersationis, & opinionis, cum iucunditate morum, quæ designatur in vite. Et flores mei, id est, virtutes humilitatis, charitatis, virginitatis fructus, qui parturiunt fructum vitæ æternæ. Ego igitur quasi vitis. In hoc ostendit ipsa,* quod

quod plenitudo sua redundauit in alios. Nam aliæ vites sociæ Mariæ eius intercessione repurgantur, eius reformantur exemplo, eius proteguntur placente admodum Numini speciositate.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Templum tota fidelium est incolumitas, securitas, profectio.* lib.9.sect.1.n.59.p.369. Vnde Paterfamilias cœlestis, qui vineam plantauit humani generis post Angelorum custodiam, quæ instar sepis cingit hæreditatem, post torcularis laborum apertionem: adhuc putat non satis vineæ incolumitati prouisum, nisi turrim ædificaret, id est, Templum erigeret.

Claus.1. *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam.* Si vinea Regnum, Rex apposité Paterfamilias appellatur. *Reges enim, Principes, Præsules optimos illos habe, quos sese videris patres gerere subditorum.* lib.9.sect.1.n.16.p.363.

Claus.2. *Plantauit vineam.* Cum verè subditi homines Dei hæreditas exponantur, apposité sub vineæ nomine signantur. *Quia Deus expetit homines in virtute persistentes: stabilibus bonis, non mobilibus delectatur.* lib.9.sect.1.n.24.p.364.

Claus.3. *Cum autem fructuum tempus appropinquaret.* Immittit Dominus seruos exactores ad fructus capiendos; quia agricolæ vltro soluere renuebant. *Hinc expende, quam difficilis sit solutio debiti, quam penè impossibilis ex auaritia hominum, restitutio.* lib.9.sect.2.n.9.p.372.

Claus.4. *Et agricolæ apprehensis seruis,* &c. Deus vineæ Dominus innumerabilia beneficia homini vineæ confert, quæ ille ingratitudine mirabili rependit. *Hominis ingratitudinis vitium agnatum.* lib.9.sect.2.n.33.p.375.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Gratia Dei operantis in nobis ipsius vinea, id est, nostram requirit operationem.* Paterfamilias vineam plantat, sepe circundat, fodit torcular, turrim ædificat: nihil intentatum relinquit, quod ad vineæ commoda pertinere videatur. En gratia conditoris, en auxilium cœleste. At dum seruos immittit redditus hæreditatis exacturos, ostendit hominum requirere cooperationem.

Claus.1. *Et sepem circumdedit ei.* Vineam suam cœlestis Paterfamilias sepe circumdedit, id est, Angelorum custodia muniuit. *Angeli tutelaris necessitas ad hominis Dei vineæ custodiam expendatur.* lib.9.sect.1.n.30.p.365.

Claus.2. *Et fodit in ea torcular.* In vinea sua Dominus Crucis, seu tribulationum torcular fodit, quo botri premantur fideles. Tribulationum enim pressura cogit homines ad probè viuendum. lib.9.sect.1.n.33.p.368.

Claus.3. *Hic est hæres, venite, occidamus eum,* &c. Stultissimè agricolæ intendebant, posse retinere hæreditatem, hærede occiso. *Nulla enim bona cum piaculo consistunt, nullus sine Deo diuinitius poterit.* lib.9.sect.2.n.26.p.375.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Proh hominum dementiam! Ideò non curant de solutione, quia cu[n]cta à Deo accepta existimant esse propria.* lib.9.sect.2.n.15.p.373. Vineam, quam Dominus plantauit, quam muniuit, & ornauit sepe, torculari, turri; non dedit agricolis, sed *locauit.* At ipsi quasi Domini essent hæreditatis fructus sibi retinent, & iniuriis, ac vulneribus diuexare curant eos, qui exacturi fructus vero Domino aduentarunt.

Claus.1. *Plantauit vineam, & sepem circumdedit ei.* Primum Patrisfamilias studium, vineam septo circumdare ad honorem custodiæ: non ad suspicionis vituperium. *Nec enim indicium suspecti animi in Præsule, subditum custodire; sed æstimationis. Quod enim magni habetur, assolet addici custodiæ.* lib.9.sect.1.n 40.p.366.

Claus.2. *Et sepem circumdedit ei.* Vineam suam Deus antiquorum Patrum patrocinio velut sepe, circumdat. *Assere, ob virtutem parentum à Deo donari filios custodia, & cœlestibus bonis oppleri.* lib.9.sect.1.n.48.p.367.

Claus.3. *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* venit puniturus, qui semper adest. Cur ergo recessisse dicitur? *Certè videtur Dominus à nobis recedere ex longanimitate; quia patiens redditor non è vestigio peccatorum pœnas exigit.* lib.9.sect 3.n.12.p.378.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Quando felicitas sæcularis hominem à diuino non exturbauit obsequio?* lib. 9. sect. 2. n. 20. p. 374. Vinea agricolis traditur munita, custodiæ, turris ac sepis ornata. Agricolæ autem fructuum vbertate fœlices renuunt sese Domino submittere, imo in seruos, & in Filium crudeles exsorgunt hæredem, vnde meritò à Dei domo deturbantur.

Claus.1. *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Tota vinitorum ruina ex eo ortum habuit, quod sibi persuaserunt Dominum non præsentem semper esse, sed venturum, quia peregrè esset profecturus. Edocemur, nunquam à Dei præsentia recedere, etiam cum delinquimus. *Nam Dei præsentiæ meditatione & rarius delinquimus, & citius ad pœnitudinem adducimur.* lib.9.sect 3.n.18.p.378.

Claus.2. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Ablata à Iudæis prauis agricolis vinea, datur Gentilibus, qui diligentius obsequium Numini proferunt. *Qui se negligentes diuino præstant obsequio timeant reprobationem; vt eligantur alij, qui fidelius Dei mandata exequantur.* lib.9.sect.3.n.25.p.379.

Claus.3. *Malos malè perdet,* &c. Ipsi Principes Iudæorum contra se ipsos ferunt sententiam damnationis. *Peccator enim sui acerbissimus iudex exurgit.* lib.9.sect.3.n.30.p.380.

Claus.4. *Auferetur à vobis Regnum Dei.* Prædicit Dominos supplicium vinitoribus, non indicit iudicio expresso. *Quia adeò repugnanter tribunal ascendit, puniturus peccatores: vt nec verbo iudex apparere quodammodo studeat.* lib.9. sect.3. n.38. p.381.

Dominic. in Septuages. 10.

Simile est Regnum cœlorum homini patrifamilias. Matth. 20.

Salut. QVemadmodum Deus Paterfamilias exit operarios in vineam suam, id est, in propriæ animæ hominum culturam aduocare: ita Deiparens

Deiparens Materfamilias ad vineæ cultum suos vocat alumnos. De hisce operariis ait pulchrè Richardus Laurent. lib. 2. *Qui gratiam Mariæ cupit excipere, primò debet vineam cordis sui diligenti inquisitione fodere, & germina vitiorum extirpare: & tunc poterit gratiam Matris familias Mariæ excipere: & tandem fructum virtutum, & denarium gloriæ colligere. Modicus labor refectiu fructus.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Praua actiones minimè replicandæ, quæ consuetudinem, impossibilitatémque quodammodo conuersionis efficiunt.* lib.9. sect. 4. n.19. p.386. Deus immortalis! Quot itinera peragit Pater ille familias IESVS, quot operarios mittit, quot ingerit inspirationes; vt vnicum peccatorem praua vitij alicuius consuetudine affectum ad virtutem afferat!

Claus.1. *Conuentione autem facta ex denario diurno.* Sine excusatione operarij illi pigritarent, aut à vineæ labore abstinerent; postquam recipiendi denarij conuentio præmittitur. *Tam efficax enim præmij recipiendi certitudo, ad labores leuandos: vt peccatores reddat inexcusabiles.* lib.9. sect.4.n.26.p.387.

Claus.2. *Quid hic statis tota die otiosi?* Paterfamilias de hominum salute sollicitus, curat ab eis otiositatem ablegare. *Adeò animi salutis causa sancta est eum operatione: vt salutis contemptor ostendatur, qui otiositati morem gerit.* lib.9.sect.4. n.37.p.389.

Claus.3. *Cum autem serò factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo,* &c. Paterfamilias serò iussit reddi operariis denarium; quia merces erat, quia præmium laboris. *Semper enim apud nos serò soluitur debitoribus, nunquam præmium laboris prematurum accipitur.* lib. 9. sect. 5. n. 13. p.394.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Nulla hominum ætas non apta conuersioni.* lib.9.sect.4.n.31.p.388. Ideò Paterfamilias Deus omnes diei horas quæsiturus operarios percurrit, siue cunctas hominum aduocauit ætates ad obsequium, ad pœnitudinem exerendam.

Claus.1. *Qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam: Conuentione autem facta ex denario diurno,* &c. Fit Christus Paterfamilias, vinea, denarius ad hominum salutem. *Omnia Euangelij minister munia gerat, omnia omnibus esse curet, vt Paulus; ne aliquo ad salutem fideles possint indigere.* lib.9.sect.4.n.45.p.390.

Claus.2. *Vidit alios stantes in foro otiosos.* Tanta est Domini pietas, ad peccatores adducendos: vt postquam eos in locis abditis, ac peruiis sibi non inuenit; vel ad forum sibi inuisum eos quæsiturus egrediatur. Edocens Religiosos, Euangelij ministros, *nullum locum indignum Sacerdotali authoritate: si vbi proximus edocendus requiritur* lib.9.sect.4.n.52.p.391.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Labores, quibus premitur iustus assolet esse inflata merces.* lib. 9. sect. 5. n. 39. p. 397. Primo manè exiit Paterfamilias cœlestis operarios conducere; hora tertia, sexta, nona, ac vndecima rursum requirit operarios, cuncti in vineam mittuntur. Alij quidem totius diei pondus sustinent, alij vix vna hora incumbunt labori. Denique cuncti singulos accepere denarios. Porrò querulis totius diei operariis Dominus respondit: *Amice, non facio tibi iniuriam,* &c. Quonammodo non facit iniuriam ei, qui post laborem maiorem minus præmium accepit? Equidem quia illud ipsum, amplius laborasse maioris præmij locum gessit.

Claus.1. *Et accipientes murmurabant aduersum Patremfamilias.* Agricolæ post acceptum denarij munus, obmurmurare aduersus largitorem non verentur. *Stolidi enim animi est, post beneficia accepta ingratitudinis actionibus lædere largitorem.* lib.9.sect.5.n.19.p.395.

Claus.2. *Hi nouissimi vna hora fecerunt. & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Quam stultè conantur operarij, ex antiquitate solummodo, potioribus præmiis oppleri. *Præmia quidem non antiquitatis, sed actionum, ac meritorum iura debent affectare.* lib. 9. sect. 5. n. 25. p.396.

Claus.3. *Qui portauimus pondus diei, & æstus.* Qui à primo manè, id est, ab ætate prima ad vineam operarij mittuntur: validiores sunt, pondera diei, & æstus comportare. *Affert, illos contra legis tentaminum molestias fortius vincere, pulchreréque operum fructus exponere; qui à pueritia virtuti litarunt obsequium.* lib. 9. sect. 5. n. 32. p.396.

Dominic. V. post Epiphan. 11.

Simile factum est Regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Matth. 13.

Salut. AGer Ecclesiæ bono semine à cœlesti Agricola donatur, sed *inimicus superseminauit zizania* impiorum, tritici iustorum *in medio.* An colligenda, perdendáque zizania? Minimè, sed tradenda Deiparæ aquæductui, vt rigatu cœleste ea tandem commutet in frumentum. Fatur ipsa. *Dixi, rigabo hortum plantationum.* Eccli. 24. Ad quæ Richardus Laurent. lib. 9. *Ecclesia dicitur hortus plantationum, quia ibi plantantur boni, & mali. Cum Dominus enim plantauerit eam hortum voluptatis, & bonum semen seminauerit in agro suo habet zizania, quia inimicus homo hoc fecit. Propter hoc Maria rigat hunc agrum aqua triplici, doctrina, vt purgetur ab erroribus; gratia, vt ornetur floribus, & fructibus virtutum; tribulationum, vt omnis plantatio, quam non plantauit Pater, eradicetur: & vt omnis fructu fructificans purgetur.* Profectò Augustinus asseruit cœlestem Agricolam prohibuisse, ne zizania colligerentur, ne eradicaretur & triticum; quia zizania in triticum conuertenda erant; quod quidem huius aquæductus beneficio præstatur.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *A temerario iudicio abstineamus, oportet; quia multa virtutis actiones vitij specie obuci assolent; & è contra sub virtutum indumento vitium latitat.* lib.10.sect.2.n.11.p.410. Terræ Agricola bonum semen

---

Dominic. XII. poſt Pentecoſt. 12.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10.

13.

Sabbath. post Dominic. II. Quadrages.

Homo quidam habuit duos filios. Luc. 15.

aut alio crimine defœdatur. lib. 12. sect. 2. n. 13. p.445.

Clauſ. 3. *Et abiit, & adhesit uni ciuium regionis illius.* Miseram Prodigi seruitutem expende, *Peccatoris quidem seruitutis diabolo statum infelicissimum exponens.* lib.12.sect.2.n.22.p.447.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Patris cælestis est, ea filiis impendere, quæ vtilia, quæ salutaria; vt parentes temporales edocent.* lib. 12. sect. 4. n.18. p.461. Non tam dat Pater substantiam filio iuniori, quam ablatam permittit. Dat quidem pœnitentiæ affectum, dat reuersionis voluntatem, dat vestimentum primum, annulum, calceamenta, dat vitulum saginatum, dat in symphonia Angelorum plausum. At imprudens filius senior conqueritur, se à Patre hædum non accepisse. Quonammodo Pater filium donaret hædo, signo quidem maledictionis?

Clauſ. 1. *Facta est fames valida in regione illa.* In regione illa, id est, libidinis in plaga fames erat: non in regione hac, vbi senior filius Patris subditur voluntati. *Ostende, abundantia potiri fœminas, (speciatim,) & viros, qui non audent peccato subiacere, vt acquirant temporaria subsidia.* lib.12.sect.2.n.17.p.446.

Clauſ. 2. *In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus,* &c. Sola memoria panis, quo in domo Dei vel famuli vescuntur: potest oculos prodigi aperire, eúmque ad frugem adducere meliorem. *Eucharisticus enim panis illuminat peccatorem, eúmque ad salutis viam ineundam adducit. Frequentem suade recens conuersis communionem.* lib.12. sect.3. n.14.p.451.

Clauſ. 3. *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Prodigus inspiratione audita, licet procrastinare videbatur, *surgam, & ibo*, illicò tamen surgens ad Patrem accurrit. *Edocens, pœnitentiam non esse differendam. Facilius enim agitur reditus, dum quis mox post peccatum assurgit.* lib. 12. sect. 3. n.21.p.452.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Dum peccator misere eget cunctis, probus semper spiritualibus, & temporariis frequentius abundat cælestis Patris subditus voluntati.* lib. 12. sect.4. n. 54. p.462. Frater iunior à voluntate Patris recedens licet diuitiis plenus ostenditur: crudeli fame pressus cogitur seruituti addici, ventre adhuc inani. Porrò euigilans, asserit in Dei domo etiam mercenarios abundare. Quid filij? seniori Pater fatur: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Quomodo non omnibus abundaret, qui omnium Domino seruiebat?

Clauſ. 1. *Pater, peccaui in cælum, & coram te.* Dum Prodigus mente recolit, se in præsentia Dei delinquere, affectuosè currit ad pœnitentiam. *Nihil enim sic excitat peccatorem ad pœnitudinem, operáque virtutis gerenda: quam Deum præsentem sibi obijcere.* lib. 12. sect. 3. num. 27. p.453.

Clauſ. 2. *Ego autem hic fame pereo. Surgam.* Surgit Prodigus, vt redeat ad Patrem, cum se comperit fame, ac laboribus exactum. *Labores enim ac tribulationes nos validè cogunt, vt Dominorum reuertamur ad Patrem.* lib.12. sect.3.n.34. p.454.

Clauſ. 3. *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Post pœnitentiam Prodigus non solum venia donatur, prima recepta stola: sed & annulo, ac calceamentis ornatus est. *Pœnitentia enim hominem ad augustiorem sanctitatis gradum adducit.* lib.12.sect.3.n.42.p.456.

Clauſ. 4. *Citò proferte stolam primam.* Curat Pater cœlestis, filij nuditatem illicò operiri, ne aliis obiiciatur. *Quam Deificum, proximorum operire defectus!* lib.12.sect.3.n.49.p.457.

Dominic. III. post Pentecost. 14.

Erant appropinquantes ad IESVM *Publicani.* Luc. 5.

Salut. AN arguendus Pastor, seu taxandus, qui relinquens nonaginta nouem oues in deserto, ad ouiculæ errantis reductionem aduentauit? Minimè, quia Mariæ curæ omnes electæ oues relinquuntur. Apud desertum oues sine suspicione periculi commorantur. Pulchrè Richardus Laurent. lib.8. *Maria est desertum, de quo Dominus dicit Isa 43. Dedi in deserto viam, id est, in Maria Christum: & glorificabit me bestia agri, id est, oues electæ sub Maria custodia. Quia semper gratias agere debent de tali, ac tanto dono, quo custodiuntur ad gratiam, & gloriam.* Oues igitur in deserto Mariano non pauent luporum incursus; quia & Mariæ custodia donantur, & Pastoris nunquam à Virgine recedente præsentia fruuntur. Nunquam non etenim Christus via Mariæ deserto adhærescit: *Dedi in deserto viam.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *O quam stultus peccator, qui perit, vt laboret! Deliciæ voluptatis nomine vacuo quidem verè torquent.* lib.12. sect.5. n.36. p.470. Errat ouicula, à grege abstracta, vt vitiis indulgeret, vt nullum esset pratum, quod eius luxuriei non deseruiret; quæritur à Pastore cœlesti, & super humeros deportatur; quia ipsa lassata voluptatibus, fracta deliciis, haud poterat ambulare.

Clauſ. 1. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues,* &c. Pastor oues in deserto dimittens, non derelictas agit, committens eas solitudinis custodiæ. *Quam securus obuicitur, qui abstractus à tumultu, in solitudine commoratur!* lib.12.sect.5. n.15.p.467.

Clauſ. 2. *Et si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat.* Ouis vocatur perdita, non cum à lupo diripitur; sed eo ipso, quod sola diuagatur. *Edoceantur fœminæ, sexum muliebrem perditum iudicari cum solus diuagari aspicitur.* lib.12.sect.5.n.30.p.469.

Clauſ. 3. *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo,* &c. Peccator feruenter è crimine sur-

gens,

gens, & Deo seruiens, præfertur iustis tepiditate laborantibus. *Amat Dominus in hominibus iustis nouitium illum feruorem, quo assolent à crimine resurgere.* lib. 12. sect. 5. numero 51. p.472.

CONCIO II.

Intentum to-tius Euang. *O quam taxabiles Sacerdotes, ac Præsules, qui ex Pastoritio munere aliud expetunt, aut acquirunt, præter ouium vtilitatem!* lib.12. sect.5. 0.44. p.411. Pastor cœlestis commendatur non ex ouium expilatione, lactis ac lanæ lucro; sed ex anxio studio custodiendi io deserto oues nonaginta nouem, & vnicam erroneam ouiculam recuperandi. O quam dulce onus vero Pastori deperditæ ouiculæ acquisitio!

Clauf.1. *Erant appropinquantes ad* IESVM *Publicani, & peccatores.* Pharisæi improbi murmurabant eo quod Dominus recipiendi peccatores munus proprium obiret. *Nam plerumque improbos obmurmurare, signum est te tuo muneri satisfacere, illósque verè esse sceleratos.* lib.12.sect.5. n.23.p.468.

Clauf.2. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, &c. Non horroribus tonitruorum cœlum suscipit ouiculam pœnitentem; sed Cœlicolarum profusa exultatione. *Assere, mansuetudinem potentissimam esse exactionem, ad subditos trahendum ad virtutem.* lib. 12. sect. 5. n.56. p.472.

CONCIO III.

Intentum to-tius Euang. *O quam iucunda est superis peccatorum conuersio!* lib.12. sect 6. n.37. p. 478. Si ouis perdita recuperatur, si drachma inuenitur; & Pastor exultat, & mulier lætatur, Domino proclamante: *Ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, & gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Clauf.1. *Quæ mulier habens drachmas decem*, &c. Quam pretiosa drachma vna, cuius amissio fœminam afficit mœrore: cuius post versam domum, inuentio tanta explet exultatione! *Monemur, maximam adhibere curam, ne animam vnicam, quam Deus tanti æstimat, perditioni adducamus.* lib.12.sect.6.n 9.p.475.

Clauf.2. *Quæ mulier habens drachmas*, &c. Fœmina tam anxiè drachmam vnam requirens, auaritiæ exprimit affectum. *Aptè auaritia designatur in fœmina; nam effœminat animum eorum, quibus dominatur.* lib.12. sect. 6. num.19. p.476.

Clauf.3. *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Amicas, & vicinas conuocat mulier, ad inuentæ drachmæ exultationem celebrandam; quia iuuerant illæ ad quærendi laborem. *Operæpretium est ad virtutis allectamentum, vt præmium viriliter operantibus obueniatur. Socij laboris socij sint muneris.* lib.12. sect.6.n.27.p.477.

HISTORIA IEZABEL.

CONCIO I.

Insuper duxit vxorem Iezabel. 3. Reg.16.

IMpius Achab impiam duxit vxorem Iezabel vt typum agerer Babylonis, id est, cœtus malorum, cuius caput diabolus. Ideò Deus prouidit Iosephum sanctissimum Mariam sanctissimam sibi purissimo coniugali vinculo colligasse, vt typum ageret Ecclesiæ, id est cœtus bonorum cuius caput IESVS. Reddens caussas Richardus Laurent. lib.6. cur Maria asseratur desponsata, fatur: *Septima causa mystica est, quod Virgo desponsata typus est Ecclesiæ vera Ierusalem: sicut Iezabel Achabo desponsata typus est Babylonis. Ecclesia itaque nos concipit virgo de spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideò fortè Maria alij nupta, ab alio repleta est. Quia Ecclesia singula & spiritu replentur, & gratia inunguntur; tamen ad operis ministerium Sacerdoti iunguntur, sicut Maria Ioseph desponsata est.*

Histor. Regi Amri impio planè successit Achab superioribus Regibus longè peiór, qui & vitulos coluit aureos; & inductus ab vxore Gentili genere Sidonia Iezabele, deos præterea Gentilicos in Ierusalem inuexit. Quo tempore ædificata fuit Iericho, quod Dominus per Iosuë, ne fieret, seueri supplicij denunciatione cauerat. Profectò Elias Thesbites cum Regi Achabo longam prædixisset famem, iussus est à Deo in torrentem secedere, ex quo biberet; nam de epulis iam illi per coruos abundè prouiderat. Cum verò diu deficiente pluuia, torrens aruisset: iubetur iterum in Sarephthato Sidoniorum excedere, vbi à vidua pasceretur: cui quidem, quia prius ex sua tenuitate Prophetam pauit, ad tempus vsque vbertatis, neque io lecytho oleum, neque in hydria farina defecit. Hic fuit misericordiæ fructus primus; neque verò solus, nam cum viduæ filius recessisset è viuis, illum Elias excitauit à mortuis, contrahens se, quoad eius fieri potuit, ad pueri mensuram. Statuerat Deus exacta iam triennij siccitate, indulgere pluuiam, & Eliam apud omnes sic honorare; vt eius precibus concessa videretur. Iubet itaque, vt adeat Achabum, quo concessæ sibi diuinitus pluuiæ testem habeat. Quod cum facere aggreditur, obuiam habet Abdiam, quem in varias Regni partes Rex ipse diuiserat, sicubi pro alendis equis pabulum inueniret. Porrò Abdias fuit vir vsque adeò strenuus, & patriæ religionis amans, vt cum capitis non dubio periculo, centum Prophetas Iezabelis ferro subtraxerat, eósque in speluncis abditos abundanter aluerit.

Clauf.1. *Insuper duxit vxorem Iezabel.* Porrò Iezabel idem ac fluxus sanguinis mulieris crudelitatem nomine designante. Quam indigna imperio! *Nulla quidem in Rege moralis virtus commendabilior apparet, quam humanitas, seu mansuetudo.* lib.1.sect.1.n.13.p.201.

Fecit

Clauf. 2. *Fecit Achab malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum.* Idololatriæ Baal crudelissimæ studium impendit, nihilo humanior viro, Rex vtique fera. *Rarò terrenus Rex additus terrenis commodis inuenitur, qui pleno ore Rex bonus possit vocari.* lib. 1. sect. 1. n. 19. p. 202.

Clauf. 3. *Fecit Achab in conspectu Domini malum super omnes, qui fuerunt ante eum.* Præcedentium prauum exemplum secutus est. Hinc vim boni, aut praui exempli exere. *Profectò præcedentium exempla bona validum est ad inertiam tepidorum ablegandam circa Dei obsequium, incitamentum.* Secus exempla praua. lib. 1. sect. 1. n. 44. p. 205.

Clauf. 4. *Et dixit Elias ad Achab, Viuit Dominus Deus, si erit annis his ros, & pluuia, &c.* Cur ad Achabum Regem? *Agnata est Regibus sollicitudo, ac prouidentia circa subditorum commoda, aut incommoda.* Ideò Regem pungit Elias ciuium io dicta fame. lib. 1. sect. 2. n. 30. p. 212.

CONCIO II.

Vade, ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ. 3. Reg. 18.

Salut. Haud è memoria excidat Sarepthana illa vidua, quæ pauit Eliam fame, ac siti pressum. Hæc plane typum Mariæ gessit. Richardus Laurent. lib. 6. *Maria vniuersarum decus designata fuit per illam viduam Euangelicam, quæ tantum duo minuta misit in gazophylacium, Luc. 21. Vnum minutum fuit eius humilitas, aliud minutum fides, quæ comparatur grano sinapis. Luc. 17. Designatur etiam per viduam illam, quæ vasa vacua impleuit oleo. 4. Reg. 4.* Quid plura? *Item per viduam illam Sarephthanam signatur, quæ pauit Eliam, id est, Christum. 2. Reg. 17. de cuius hydria non defecit farina, nec oleum de lecytho.* Scilicet ad inunctionem, roburque, ac lætitiam peccatorum.

Histor. Ab illo igitur pijssimo Abdia Elias rogat, vt annunciet Regi Achabo, iouentum Eliam, quem magno quæsierat studio, propeque adesse. Quod cum principio recusaret Abdias, obsecutus est tamen. Cùmque dur. us Prophetam appellaret Achabus, non minus durè, atque constanter respondit Elias; qui hortatur Achabum, vt omnes Baal prophetas accersat, atque lucorum, quorum ingens erat numerus, vt certo aliquo constet experimento, quis sit verus Deus, quæ sancta, ac probanda religio: neque aliunde putat, quam e cœlo diuinitus petendum testimonium. Porrò illud proponitur, & omnium omnino admittitur consensu, vt ille Deus verus existimetur, qui à suis cultoribus imploratus, misso desuper igne oblatum sibi sacrificium consumat. Quod cum omni adhibita contentione, effusóque sanguine Sacerdotes Baal non obtinuissent: neque id difficile impetrasset Elias: indignatus in eos vehementer populus, Elia iubente, omnes ad vnum; trucidauit. Deinde Propheta Regem monet, vt pluuiam expectet, séque vt illius imperum declinet confestim præparet. Quam Elias tandem expressit in ardente oratione intentus, quam habuit in Carmeli vertice, vbi paulo ante factum fuerat de vera religione iudicium. Nubecula igitur parua, famulo annunciante, quasi vestigium hominis è pelago perulans, totum paulatim cœlum offundens sitim arentis terræ vbertim extinxit.

Clauf. 1. *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui reliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Ex crimine turbatio, confusio, siccitas, calamitates, omnium rerum defectus. *Porrò peccatum hominem omnibus diuitijs, amicis, auxiliatoribus illicò spoliat.* lib. 2. sect. 1. n. 28. p. 221.

Clauf. 2. *Ascende, & dic Achab, Iunge currum tuum, & descende; ne occupet te pluuia.* O Domini munificentiam! Plus admodum tribuit, quam audeant homines postulare. lib. 2. sect. 1. n. 46 p. 224.

Clauf. 3. *Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus effugiat ex eis.* An crudelis Elias? Profectò pius inflixit delinquentibus supplicium; si illi meliorem inentem inirent, admodum salutare. *Felix, qui Deum temporaliter experitur iratum: si supplicio affectus temporario, non subit æternum.* lib. 2. sect. 2. n. 41. p. 251.

Clauf. 4. *Ait Elias ad Achab, Ascende, comede, & bibe, quia sonus multæ pluuiæ est.* Vides Regem veraciter sine Deo pauperem: vides Eliam inopem Deum habentem, & Regibus opem promittentem. *Verè quidem pauper est diues infœlix sine Deo; verè diues est pauper baresceus conditori.* lib. 3. sect. 1. n. 27. p. 238.

CONCIO III.

Nunciauit autem Achab Iezabeli, omnia, quæ fecerat Elias. 3. Reg. 19.

Salut. Vidisti è mari nubeculam ascendentem *quasi vestigium hominis*, quæ terram ab sterilitate liberauit. Sæpè Tom. 3. de Sanct. nubeculam asserui esse Deiparam. In præsenti affirmo mare existere gratiarum, è quo Christus homo ascendit plenus misericordiæ ac munificentia, vt ex eius omnes plenitudine accipiamus. Audi Richardum Laurent. lib. 12. *Caro Christi dicitur nubecula. Vnde 3. Reg. 18. Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Et loquitur ibi, quia non pluerat per tres annos. Isti anni spiritualiter tempus sub lege, tempus Prophetarum, in quibus non distillauit super terram pluuia gratiæ. Sed in tempore gratiæ apparuit nubecula gratiæ, id est, Christus quasi vestigium hominis. Ascendit tam plenus gratia de mari, id est, de vtero Mariæ ascendit.* Vt autem agnosceres gratiam Mariæ intercessione datam fuisse: *Elias Deus est Pater, & puer missus ad mare Gabriel est missus ad Mariam.* A qua quidem *gratia plena* consensum exquirit, vt IESVS è fluctibus huiusce maris velut nubes ascendat totum orbem largiter rigaturus.

Histor. Edocta Iezabel à Rege, quidquid contra Baalis Prophetas ausus esset Elias; illi in diem crastinum exitium non dissimile minitatur. Muliebris tunc furoris metuens Elias, quàm primum, qua se aditus ad salutem ostentabat, fugam intendit, incertus quo tenderet, sine cibo, aut alio vitæ subsidio. Cum verò iam fame, lassitudinéque languidus sub iunipero iaceret, vitæ tot iam laboribus, periculisque propositæ mortem optabat. Porrò diu tædio, mœroréque laoguenti somnos obrepsisset, excitatus ab Angelo panem inuenit subcinericium, ac vas lquoris. Cùmque his se paululum

lum refecisset, rursus somno pergrauanti succubuit. Excitatus rursum fuit à cœlicola, & iussus comedere, longæque se viæ committere. Cui ipse confestim obsecutus, & ad quadragesimum vsque diem, quamdiu durauit illa profectio, illo cibo recreatus vsque ad montem Horeb peregrinatus est: vbi cum in spelunca abditum sibi quæsisset hospitium, euocatus est: & semel, atque iterum rogatus, quid ibi solus ageret? Respondit, ex omnibus Prophetis se solum esse relictum, & qui suæ vitæ insidientur esse quam plurimos, præcipuè mulierem omnis feritatis epilogationem. Tandem cum se ad ostium speluncæ foras efferret, inibi aduenientem Dominum expectauit, quem turbo quidam vehemens, & ingens motus, & post illum ignis antecedebat. Ac tandem aura tenuis exile quid sibilans, ex qua diuinam accepit vocem, & ab ea mandatum, vt recta inde Damascum abitet, & ibi Regem Syriæ Hazaëlem vnctione designaret, & Iehu Regem Israël; & pro se Prophetam vngeret Elisæum. Porrò hic duodecim tunc temporis terram vertebat aratris: qui vbi primum fuit sacra inunctione ab Elia delibutus, atque ab ipso consequutus facultatem, vt parentibus suis salutem diceret extremam, Eliæ parentum loco tanquam duci, ac Magistro totus adhæsit.

Clauf.1. *Petiuit anima sua, vt moreretur.* Priusquam Eucharistiam referente epulo Elias frueretur, aptè se morti proximum contemplatur. *Tunc enim dignè cœna Eucharisticæ herent inuitati: cum ita dispositi accedunt, ac si illico è vita essent excessuri.* lib.5.sect.3.n.9.p.292.

Clauf.2. *Ecce Dominus transit.* Post timorem, post fugam, post famem Elias Deum aspectauit sub inuolucris auræ tenuis. *Et quando non labores mentis oculos acuunt, ad inuisibilia aspectanda, ad vtilia intelligenda?* lib.3. sect. 2. num.33. p.247.

Clauf.3. *Spiritus grandis & fortis subuertens montes*, &c. Nec fugit Elias, sed ardentiori hærendi Numini affectu tenetur. *Profectò Deus amicos suos ad se allicit, non dulcedine exposita, sed laborum verbere.* lib.5. sectio. 1. numero 36. p.281.

Clauf.4. *Petiuit anima sua, vt moreretur. Ecce ad caput suum subcineritius panis.* Post exanthlatos labores, Elias sacro epulo fruitur. *Quia tribulationis, ac laborum molestia homines trahit ad virtutis communionem.* lib. 5. sectio 2. numero 22. p.288.

CONCIO IV.

Vinea erat Naboth Iezrahelita. 3. Reg.21.

Salut. Hortum olerum cupit sibi Achabus plantare in vinea Naboth. Haud hortum huiusmodi Maria irrigare dignatur; sed Ecclesiæ vineam Dei plantatoris delicias. *Quasi aquæductus exiui à paradiso.* Eccli. 24. Richardus Laurent. lib.9. *A paradiso exiuit Maria, id est, à sancta Trinitate, quæ est locus totius voluptatis. Exiuit quasi aquæductus, sed ad quid exiuit? Ad irrigandum hortum Domini, id est, Ecclesiam, & fidelium animam. Vnde statim subiungit: Dixi, rigabo hortum plantationum: non hortum olerum Regis Achab 3. Reg. 21. sed hortum deliciarum, qui est Ecclesia, & sancta anima, hortum scilicet conclusum custodia Angelorum, qui fecundatur, & fructificat austro gratiæ flante.*

Histor. Naboth Iezrahelita iuxta Regis palatium vineam relictam à parentibus hæreditario iure possidebat. Quam cum ab illo Achabus peteret, vtpote ad laxandum animum, & domesticos vsus opportunam: negauit Naboth; quia parum putabat pium, à sua familia vllo modo distrahere, quod in illa iampridem inueterasset. Accepit Rex hanc vocem, quam impudentem interpretabatur, & liberam cum stomacho. Cum autem sui doloris signa neque leuia, neque obscura prodidisset: illum vxor Iezabel bono animo esse iussit, certum de proxima vineæ possessione; quod negotium in se ipsam recepit, perfecitque iniquo, crudelique consilio. Statuit itaque Iezabel vineam Naboth esse eripiendam, cuius voti vt tandem compos fieret, scelerato consilio vitam eripuit, & honorem. Quam ad rem Senatum, qui ex optimatibus, & senioribus constabat, aut metu concussit, aut pretio corripuit: vt Nabothum blasphemæ linguæ conuictum crimine condemnarent. Itaque literas dedit Iezabel Regio annulo consignatas, quibus iubet iis, qui in Iexrahele præerant, vt ieiunium popularibus intiment: quod fieri solebat, cùm graue aliquod peccatum admissum, aut Deus grauiter offensus credebatur. Deinde vt seniorum, optimatúmque fieret frequens, legitimúsque concessus; ad quem etiam cum aliis Naboth accerseretur. Quo tempore curandum esset, vt aliquot testes, quos non puderet falsum testimonium producere: essent ab ipso Senatu comparati, qui crimen Nabotho obiicerent, propter quod ex lege deberet lapidibus opprimi, quale est, aliquid impium contra Deum, ac Regem protulisse. Fecerunt seniores, & optimates, quod à Iezabele fuerat imperatum, rémque ad illum statum deduxere, non tam legitimo, & iusto: quam simulato, ac corrupto iudicio; vt in innocentem virum agi iam posset capitalis iniuria. Quare de more hominem extra ciuitatem educunt: & seruatis omnibus, quæ in reos asseruari solebant, prorsus iustum, & immerentem lapidibus obruerunt.

Clauf.1. *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Vinea destruitur auulsis vitibus, vt nouus hortus olerum construatur. Nec fruitus est Rex vinea, nec horto potitur. *Certè bona furto, seu iniquitate acquisita, nulli commodo cedunt, nullius sunt vtilitatis.* lib.2. sect.1. n.34.p.222.

Clauf.2. *Literarum hæc erat sententia: Prædicate ieiunium.* Quam iustè Regina fuit horribili affecta supplicio: admodum irato Numine; quia impudenter totum senatum ad crimen excitauit. *Certè impudenter, seu sine cautela delinquere, ad horribilius Deum cogit supplicium inferendum.* lib.4.sect.1.n.20.p.263.

Clauf.3. *Fecerunt ergo ciues, maiores natu, & optimates*, &c. Quomodo tam facilè Senatus Reginæ iniustissimę placito accommodatur? *Regum, Præsulúmque*

fulúmque facta non tam mutant, aut alliciunt a quam cogunt subditos ad imitationem. lib. 5. sect. 2. n. 15. p. 287.

Clauf. 4. *Proiiciens se in lectulum suum*, &c. Mitor Regem iracundia succensum non illicò in Nabuthem irruisse; sed magis mirabile Iezabelem Prophetarum interemptricem aliena manu curauisse virum sanctissimum comminuere. Certè Regiæ dignitatis eos vis continuit ab illato propriæ manus vulnere. *Etenim Regi indignum, proprias iniurias propria manu vendicare.* lib. 5. sect. 2. n. 36. p. 290.

CONCIO V.

Surge, & descende in occursum Achab Regis Israël. 3. Reg. 21.

Salut. Regis Achabi capitis submissio commendabilis in conspectu Domini apparuit. *Ambulauit demisso capite.* Deus autem Eliæ profatur: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Mirabilis certè Mariæ humilitas prædicatur ex demissione capitis. Pulchram do Richardi Laurent. sententiam lib. 4. *Humilitas Mariæ fuit in capitis demissione, cuius eleuatio signum est elationis: demissio signum humilitatis. Non enim fuit de illis filiabus Sion, quæ elatæ ambulabant extento collo: sed magis exemplo Achab humiliati coram Domino demisso capite creditur ambulasse. Qui scilicet Achab inde legitur à Domino commendatus.*

Histor. Iezabel igitur nunciis de morte Nabothi lætissima, maritum sollicitat, vt defuncti vineam in suam redigat possessionem. Reorum enim læsæ Maiestatis Diuinæ, & humanæ bona ad Regios creduntur thesauros tunc temporis, vt modo pertinuisse. Non moratus Achab ad concupitum solum festinat, cuius amœnitate delectatus, sibi tanti agri domino non parua applaudebat exultatione. Profectò die postera dum inter gaudentem familiam redit ad Regiam Achabus, illi Elias ocurrit, homicidium iusti hominis, insuper & iniquam agri possessionem obiicit iam diuinam mulctam expauescenti, quam sic Propheta miseros euulgat in Reges: vt illos faciat intelligere, quam dura conditione erant à vita arripiendi, sanguine namque Achabi Nabothi vinea erat irriganda, Iezabel autem à canibus absomenda, in tanti facinoris supplicium. Quin & vniuersa domus Achab extirpanda prædicitur, vt nullus de illo ortus inter viuos remaneat. Profectò vbi Rex Dei ab Elia pronunciatam sententiam audiuit, ingenti metu perculsus domum init, & in cinere, ac cilicio excubans; ieiunio Dei misericordiam sollicitat. Quæ non defuit homini sic humiliato; sed eius pœnarum complementum remisit in posteros. Ipse autem Nabothi viam fœdo irrigauit sanguine; nam cum Iosaphat Regis Iuda comes præliaretur cum Benadab Syro, telum in nullum certum à sagittario destinatur scopum; sed delatum fuit non temerè, aut casu: sed Deo scelerum vindice ita disponente, ad Achabum in illam Regij corporis partem, in qua vulnus non potest esse non lethale: ex quo decessit ad vesperum, cuius postea canes linxere cruorem.

Clauf. 1. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Vel impius Achabus Deum humiliatus propitium inuenit. *Et quando humilitas Deum non inuenit, qui quidem non ab ascendentibus, sed à descendentibus est inueniendus?* lib. 6. sect. 2. n. 43. pag. 320.

Clauf. 2. *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Vinea Nabothi Achabi sanguine irrigata sterilitatem peperit domui Regiæ. Ait Ambrosius sanguinem Abelis sterilem campum reddidisse. *Fructificant quidem propria diuitiæ,* quæ acquiruntur ex raptu imminountur, nihil prosunt possessori lib. 8. sect. 1. n. 37. p. 345.

Clauf. 3. *Surge, & descende in occursum Achab.* Descendit ex Carmelo Thesbites ideo maximè venerabilis Regi, quia abstractus à coria. *Moneantur Euangelij ministri, à curia recedere, ad occulta preperare, vbi & virtus accrescit, & hominibus venerabilior obiicitur.* lib. 8. sect. 1. n. 49. pag. 347.

Clauf. 4. *Cum audisset Achab sermones istos scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, &c.* Ad frugem meliorem impios adducunt verbi Eliæ efficacia. *Certè ad iustorum profectum, & ad peccatorum correctionem sacrum verbum est potentissimum.* lib. 8. sect. 2. n. 15. p. 353.

CONCIO VI.

Haccine est illa Iezabel? 4. Reg. 9.

Salut. Quam fucata Iezabelis pulchritodo. *Iezabel introitu eius (Iehu) audito, depinxit oculos suos stibio.* Profectò fucata illa pulchritudo non modo non pellexit Ducem, sed & coëgit, vt iuberet fœminam agi præcipitem. Proh Mariæ luminum pulchritudo sine stibio fulgentium, non Iehu, sed IESV cor alliciens, imò Trinitatis beatissimæ arripiens affectum! *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum.* Cant. 4. Vbi Richardus Laurent. lib. 5. Alia litera dicit, percussisti nos corde, totam videlicet Trinitatem. Vulnerasti cor vulnere charitatis. Quia oculi tui columbarum, quæ lacte sunt lotæ non Iezabelis stibio picti. Casti, & simplices. In columba notatur simplicitas & innocentia, quod videlicet columbæ super riuos aquarum sedentes, & aquas aspiciunt, quæ fluunt, fluxerunt & affluent. Sic & oculi Virginis sine fuco conspiciunt in speculo Trinitatis præterita, præsentia, & futura; *vmbram etiam accipitris, id est diaboli,* vt nos possit alumnos protegere.

Histor. Post Eliæ ad cœlos volatum currus ignei alis expansis, post Elisæi Discipuli gloriam euulgatam: huius ministerio conditor disposuit vxoris Iezabelis expleri tragœdiam, vt mariti Achabi miserum exitum æmularetur. Vngitur ergò Iehu Rex Israël cum esset in castris ad Ramoth Galaad, ad quam oppugnandam Ioram Rex Israël Achabi hæres descenderat. Cui quidem id negotium à Propheta datur, vt domum Achab funditus exscindat. Rem principio Iehu dissimulat, tandem amicis, qui iidem viri Principes erant in exercitu rem totam manifestat. A quodam Prophetarum filio quem

(quem miſerat Eliſæus,) ſe inunctum aſſeruit. Orat, ne ea de re qoidquam prodeat in vulgus, donec rerum maturitas aduenerit, quo melius poſſit imperata præſtare. Eo autem tempore, Ioram vulneratus à Syris, curandi vulneris gratia in Iezraël diſceſſerat; quo cum ſimul erat cognatus Ochozias, qui ad eum officij gratia venerat. Tunc autem Iehu corripuit ſecum totum pondus exercitus, & quam maximè potuit feſtinato in Ieztaël contendit. Vidit hoc ſpeculator, & annunciauit Regi, qui ſemel, atque iterum miſſis exploratoribus, ipſe cum Ochozia tandem Duci obuiam progreditur. At ſtatim vulneratus Iezraël occubuit in agro, quo prius Naboth lapidibus oppreſſus obierat. Porrò cum fugæ ſe daret Ochozias deprehenſus tandem non longè ab eo loco, eundem ſortitus eſt exitum. Progreſſus inde Iehu, peruenit Ieztaël; quem ex feneſtra Iezabel, compoſita, ac fucata ad venuſtatem forma, cum offenſione alloquitur, & perfidiæ turpe exprobtat ſcelus. Qoam Iehu præcipitem dari iubet ex feneſtra, quam lacerarunt canes, reliquerúntque vſque adeò exiguas Regij cadaueris reliquias, vt qui in illius ſpectaculum intuebantur horribile, tantam fieri poſſe mutationem admirarentur: *Heccine eſt illa Iezabel?*

Præcipitate eam deorſum. Patientiſſimus Dominus cur non ſimul cum Achabo vxorem impiiſſimam vulnerauit: ſed poſt temporis interſtitium? *Profectò patiens redditor non è veſtigio peccatorum pœnas exigit, dans peccatoribus inducias.* lib.9.ſect.3.n.12.p.378. Clauſ.1.

In agro Iezrael comedent canes Iezabel. Dum Regina ſanguinem Nabothi curat canibus exponi contra ſe eandem decernit ſententiam. *Certè peccator ſui acerbiſſimus iudex exſurgit* lib.9.ſect.3.n.30.p.380. Clauſ.2.

Depinxit oculos ſuos ſtibio, &c. Vidua Iezabel, & orbata filio haud recedit à libidinis ſtudio. Porrò *Iezabel fluxus ſanguinis.* Quam difficilè vincitur praua cooſuetudo! *Minimè praua actiones replicandæ, quæ conſuetudinem, impoſſibilitatémque quodammodo conuerſionis efficiunt.* lib.9. ſect.4.n.19.p.386. Clauſ.3.

Haccine eſt illa Iezabel? Ex illa pulcherrima impudica fœmina paruulæ reliquiæ perſtitere. Pulchritudo, honor, diuitiæ, ſpiritualia bona, æterna beatitudo auolarunt. Quæ typum geſſit eorum, qui fluxo ſanguinum de quibus Dauid petebat liberari, laborant; luxurioſum oſtentat cunctis bonis deperditis, prorſus inanem. *Luxuria enim ſpiritualia, ac temporaria bona comminuit.* lib.12.ſect.1.n.29. Clauſ.4.

INDEX

INDEX RERVM,

Quæ in quinto, & sexto Volumine Euangeliorum Temporis continentur.

COENA MAGNA I.

Inuitatorum excusatio.

COENA II.

Pauperum adductio.

COENA III.

Eucharistia.

D.

Damnatio, Damnatus.

DEBITOR I.

Regis debitor.

Remißio debiti.

DEBITOR II.

Serui in conseruum crudelitas.

Debitum.

Defectus.

Delictum, Delinquens.

Desolatio.

Detractio.

Deus.

Fructificant

Tribus

F.

Innocentia.

tualis

MORTIS IESV PRÆDICTIO I.

IESVS signo Ionæ exhibito suam Mortem prædicit.

Ionæ signum.

MORTEM SVAM IESVS prædicit II.

Iudæorum supplicium.

MORTEM SVAM IESVS rursum præloquitur Ierosolymam scandens I.

Ascensus in Ierosolymam.

MORTEM SVAM IESVS rursum præloquitur. II.

Filiorum Zebedæi petitio.

PASSIO CHRISTI I.

IESVS futuram passionem discipulis præsentat.

Cæci clamores.

PASSIO CHRISTI II.

Cæci sanitas.

Paterfamilias.

Patiens.

Pauper.

Peccator. Peccatum.

Conuersio.

Non

PROPHETA I.

Iesvs falsorum Prophetarum describit futuram irruptionem.

Falsi Prophetæ.

PROPHETA II.

Arboris fructus.

PVBLICANVS I.

Pharisæi superbia.

PVBLICANVS II.

Publicani humilitas.

T.

Licet

VILLICVS I.

Villicus à Domino taxatus.

VILLICVS II.

Villicus laudatus.

VINEA I.

Vinea plantatio.

Vrbanitas.

Z.

ZIZANIA I.

Apparitio Zizaniorum.

ZIZANIA II.

Zizaniorum extirpatio.

F I N I S.